



DE SVCCEDANEIS MEDICA-MENTIS LIBER DE-nuo auctus, Ioanne Fragoso Toletano Medico & Regiæ Maiestatis chirurgo autore.

Eiusdem animaduersiones, in quamplurima medicamenta composita, quorũ est vsus in Hispanicis Officinis.



CVM PRIVILEGIO.

Mantuæ Excudebat Petrus Cosin, anno. 1575.

Vendẽse en casa de S. Yuañez librero

Folio 20. pagina 2. linea 5. gallinaceus, gallinaceum.
[illegible] pen. caulicorum, cauliculorum.
34. 1. 4. oleo de pulmone Vulpis, oleo vulpino.
36. 2. 13. secundos, secundum.
46. [illegible] 7. beata, beta.
47. 1. 4 ilra, illa.
61. 2. 6. schitus, schistus.
63. 2. 11. si, sit.
70. 2. fin. recepis, recepisset.
74. 1. 11. naturalis, naualis.
96. 1. 2. eleterio, elaterio.
109. 2. 7. si, sit.
128. 2. 7. cymini semen, cymini semen. Carum, Anisum.
139. 1. 6. tum, cum.
141. 1. 15. nascitur, ærugo, nascitur, vt ærugo.
159. 1. 15. magisq;, magis quàm.
162. 2. 3. vsus, vsu.
195. 1. 14. antidosis, antidotis.
247. 1. 3. quū, quam.
289. 1. antep. fructum, fructuum.
291. 1. 4 ses trahit, ses inditum trahit.
293. 2. 5. est, es.
305. 1. 1. inijcere crocum, inijcere. Accedit & Rhazij Hie
ra rosas habet croci loco. Crocum.
314. 1. 12. fructum, fructuum.
316. 2. 10. suadentis, suadente.
317. 1. 3. conijce, conijcere.
319. 2. 1. est, &c.
325. 1. 2. lx, l.x.
350. 2. 17. haras, horas.
351. 2. 16. Fundantur, Tundantur.
355. 2. 3. comple ftantur, complectuntur.

EL REY.

POr quáto por parte de vos el licenciado Fragoso medico cirujano, nos fue fecha relacion, diziendo q̃ vos auiades cõpuesto vn libro intitulado de Succedaneis Medicamentis, o Quid pro Quo, con vnas animaduersiones sobre las medicinas compuestas que se vsan en las boticas de los nuestros reynos de la corona de Castilla, y nos suplicastes os mandassemos dar licẽcia y facultad para poder hazer imprimir el dicho libro, y priuilegio por quinze años, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro consejo, por quanto en el dicho libro se hizo la diligencia que la pregmatica por nos agora nueuamente sobre ello fecha dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, e nos touimos lo por biẽ. Y por la presente vos damos licẽcia

y facultad, paraque vos, o la persona
que para ello vuestro poder vuiere,
y no otra persona algũa, podays ha-
zer imprimir y vẽder el dicho libro
que de suso se haze mencion, en estos
nuestros reynos, por tiẽpo y espacio
de diez años cumplidos primeros si
guientes, q̃ corren y se cuẽtan desde
el dia de la fecha desta nuestra cedu-
la, so pena que qualquier persona q̃
sin tener para ello vuestro poder lo
imprimiere o vendiere, o hiziere vẽ
der, o imprimir, pierda toda la im-
pressiõ, q̃ hiziere, e vendiere, con los
moldes y aparejos della, y mas incur
ran en pena de cinquenta mil mara-
uedis, por cada vez q̃ lo contrario hi
zieren. La mitad de laqual dicha pe
na, sea para nuestra camara y fisco, y
la otra mitad, para vos el dicho licen
ciado Fragoso, y todas las vezes que
se ouiere de imprimir el dicho libro
durante el tiempo de los dichos diez
años, se traya al nuestro cõsejo jũta
mente

mēte con el original q̃ en el fue visto q̃ va rubricada cada plana, y firmada al fin del de Alōſo de Vallejo nueſtro eſcriuano de camara, y vno de los q̃ enel nueſtro cōſejo reſidē, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſta cōforme al original, y ſe os de licencia para lo poder vender, y ſe taſſe el precio a q̃ ouieredes de vender cada volumen, ſo pena de caer, e incurrir en las penas contenidas en la dicha pregmatica y leyes de nueſtros reynos. Y mādamos a los del nueſtro cōſejo, y otras qualeſquier juſticias de nueſtros reynos, q̃ guardē y cumplā y executen eſta nueſtra cedula, y todo lo en ella contenido. Dada en Madrid a 13. dias del mes de Nouiembre de 1574. años.

YO EL REY.

Por mandado de ſu Mageſtad:
Antonio de Eraſſo.

NOs Don Phelippe por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Aragon, de las dos Sicilias, de Hierusalem de Vngria, de Dalmacia, de Croacia. de Leon de Nauarra, de Granada, de Toledo de Valencia, de Galicia de las Mallorcas, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua de Corcega, y de Murcia, de Iaen, de los algarues, de Algezira, de Gibraltar, de las islas de Canaria, de las Islas Indias y tierra firme del mar Oceano, Archiduque de Austria Duque de Borgoña, de Brabante y de Milan, Conde de Barcelona de Flandes y de Tirol, Señor de Biscaya, y Molina, Duque de Athenas y de neopatria, Conde de Rossellon y Cerdania, Marques de Oristan y Goceano. Por quanto por parte de vos el Licenciado Iuan Fragoso medico y nuestro Cyrujano, nos hos ha sido fecha relacion que vos aueys cõpuesto vn libro intitulado de succedaneis medicamentis, y animaduersiones sobre las medicinas compuestas que se vsã muy vtil y prouechoso, a todos los que professan la dicha arte de medicina, y que lo desseays imprimir y lleuar a vẽder los impressos a los Reynos y señorios de nuestra, corona de Aragon, supplicando nos os mandassemos dar licencia para ello por tiempo de diez años, con prohibicion que ninguno otro lo pueda hacer sino vos o la persona que vuestro poder vuiere. Y nos teniẽdo respecto al fruto y prouecho que del dicho libro se puede sacar, y a los gastos y costas que aueys sostenido y se os ofrecẽ en hacer la dicha impression, y que ha sido reconoscido y aprouado por nuestro mandado, auemos tenido por bien condescender a vuestra supplicacion, por la manera infrascripta. Porende con tenor de las presentes, de nuestra cierta sciencia, y Real authoridad, damos licencia permision y facultad a vos el dicho licenciado Fragoso: y a la persona o personas que vuestro poder vuieren que podays imprimir. o hacer imprimir al Impressor o impressores que quisieredes, el dicho libro arriba intitulado en qualesquier ciudades, villas y lugares de los dichos nuestros Reynos y Señorios de la corona de Aragon, y vender en ellos assi los impressos fuera: como los que hareys imprimir, prohibiendo segun que con las presentes prohibimos y vedamos que ninguna otra persona le pueda imprimir, ni hacer imprimir ni vẽder, ni lleuar los impressos a otras partes a vender en los dichos Reynos y Señorios: sino vos o quien vuestro poder houiere, por tiempo de los dichos diez años, que comiencen a correr desde el dia de la data de las presentes en adelante, so pena de dozientos Florines de oro de Aragon, y perdimiento de moldes y libros: diuididera en tres partes yguales: vna a nuestros Reales cofres, otra para vos el dicho licenciado Fragoso, y otra al acusa-

dor

dor. Con esto empero que los libros que hizieredes imprimir del dia presente en adelante, ayan de ser conformes cō el que haueys presentado en este nuestro Supremo consejo de Aragon y esta rubricado y al fin del firmado de mano de Pedro Franquesa nuestro escriuano de mandamiento infra scripto. Mandando con el mismo tenor de las presentes de la dicha nuestra cierta sciencia, y Real autoridad a qualesquier Lugartinientes y capitanes generales Cāceller Vicecanceller regentes la cancelleria regente el officio y portantes vezes del general gouernador Alguaciles porteros Vergueros y otros qualesquier officiales y ministros nuestros mayores y menores en los dichos nuestros Reynos y Señorios de la corona de Aragon Constituidos y constituderos y a sus lugar tinientes y Regentes los dichos officios so incorrimiento de nuestra yra e indignaciō y pena de mil florines de oro de Aragon de los bienes del que lo cōtrario hiciere exigideros y a nuestros Reales Cofres applicaderos que la presente nuestra licencia y prouisiō y todo lo en ella contenido os tengan guarden y obseruen tener guardar y obseruar hagan sin contradicion Ni dar lugar ni permitir que sea hecho lo contrario, en manera alguna si nuestra gracia les es chara, y demas de nuestra yra e indignacion en la pena suso dicha, dessieā no incurrir, en testimonio de loqual mandamos despachar las presentes con nuestro Sello Real comun enel dorso selladas. Datum enel nuestro Bosque de Segobia, a doce dias del mes de Iunio. Año del nascimiento de nuestro Señor Iesu Christo, de mil y quinientos setenta y cinco años. YO EL REY.

V. Sentis. R. Vt. Sapena R. Vt. D. Bernardinus vicus. Vt. Comes generalis thesorarius. Vt. Talayero pro conseruatore generali. Vt. Terca. R. Vt. Campi R. Vt. Pla. R.

Dominus Rex mandauit mihi Petro Franquesa, visa por dō Beringuerium vicecancella. Comitem generalē Thesaurarium. Sentis, Sapena, Campi, Terca & Pla Regentes cancellariam, & Talayero pro conseruatore generali.

YO Alonso de Ballejo Secretario del Consejo de su Magestad doy fe que auiendo presentado Sebastian yuañes librero, ante los dichos Señores, vn libro intitulado de succedaneis medicamentis, que compuso el licenciado Fragoso que con licencia de su Magestad se imprimio se tasso el precio en que cada libro se ha de vender en Quatro Reales y medio en papel, y mandaron que esta tassa se ponga al principio de cada libro, y no se venda sin ella, paraque se sepa el precio en que se ha de vēder, y paraque dello conste de mandamiento de los dichos señores di esta firmada de mi nombre en Madrid a 15. de Iunio 1575. Años. A. Ballejo

AD LECTOREM PRAEFATIO.


CVM multis iam annis animaduerterim (lector humanissime) in plurimis Hispaniæ nostræ officinis, errores graues ac detestandos cõmitti, partim ob Pharmacopolarũ imperitiã, partim ob medicorũ negligentiã, sæpius animo reuolui, qua potissimũ via illis foret cõsulendum. Inter alia enim in quibus hi delinquere solẽt, vnum ac maximũ est, quod in Succidaneorum appositione consistit ad arbitrium potius, quam ad grauißimorum autorum testimonia respiciendo. Vnde fit, vt paßim compositiones vitient atque peruertant, Nec mirum omnino videri debet, si plerique in hac parte hallucinentur, cum non habuerint quò poßent tãquã ad exẽplar

cõfugere, caruerintq; omnino duce. Nã Succedanea medicamenta, quæ Galeni nomine circunferuntur, & in Pauli libro .7. ad verbum ferè citantur, hinc constat Galeni nõ esse, quòd multa in eo ponantur absurdissima, vt loco Agarici Euphorbium, pro Politrico Absinthium, pro Aconito, quod deleterium est, syluestris iridis radix, Pro Lemnio sigillo Sandaraca, pro Poligoni succo Erucæ semen, & alia viribus dissimilia. Præterea quid stolidius, quàm pro Chamæmelo Anthemidẽ substituere, & pro Elaterio Cucumeris agrestis succum, qui nihil aliud est quàm Elateriũ, & Anthemis nil præter chamæmelũ. Accedit quod nullibi reperimus in proprijs Gale. libris illius tractatus fieri mentionẽ, ipsũq; Galenum in exemplaribus Græcis ad libel

libelli præfationem citatũ videamus. Quæ verò apud recentiorum testimonia videmus substituta, & paucissima sunt, & verius liberè scripta, quã veterum sententijs, aut rationibus demonstrata, His igitur de causis maximè conatus sum, legitima promedicamentis componẽdis (quorũ hodie vsus est) simplicia apponere, & penuria deficientiũ apta constituere, vt hac via veluti ex promptuario quodam, haberent omnes materiam perpetuo paratissimam, idq́ autoritatũ copia, & rationum claritate. Primum itaq́ ex vsitatis maximè Mesuæi & Nicolai descriptionibus simplicia apposui, eorumq́ naturam vnico verbo exaraui, & quid simplicis alicuius nomine absolutè scripto accipiendũ sit. Mox in quo hactenus erratũ est, obi-

ter

ter demonſtratur, deinde quoties occaſio tulit, compoſitionẽ in quā ſimplex medicamentum recipitur, in memoriā reuocauimus. Ad finem verò (quod præcipuus nobis fuit ſcopus) eius genuinum ac proprium vicarium adhibuimus. Hos igitur labores, ſi beneuolo animo ſuſceperis, ſpero equidem, te non parum vtilitatis conſecuturum, & me ſemper excitabis, vt eandem rem in poſterum aggreſſus, jacentem medicamentorum agnitionem non deſinam ſubleuare.



LIBELLVS RECENS DE METHO do inueniendi Succedanea Medicamenta.



VT sępenumero cõtingit homině probatissimũ alicui muneri obeundo constitutũ, aut deficere, aut procul abesse, ac arduũ sit (necessariũ tamen) aliũ inuenire cui eędem animi corporisq; dotes insint ei operi cõplendo requisitę, similiter in medicamentis accidit: quorũ selectissima multoties desiderãtur ac deficiũt, aut vires ꝓprias vetustate, aliave occasione amiserũt. Evenit enim aliquando ad manum esse medicamentum, quia tamẽ aut vetustate exoletum, aut putredine quasi rancidũ existat, succedaneũ eius requirere oportet. Sic Galenu lib. 9. de compositione pharmacorũ

secun-

ſecũdũ locos, cũ valde vetus euphorbium eſt, duorũ ſcilicet aut triũ annorum, duplum ipſius inijciendum iuſſerat. Quũ itaq; neceſſum ſit propter ſubitos etiam morborum incurſus ea vti facultate qua præditum eſt medicamen deficiẽs, & quãdoq; niſi temporis momento occurratur periclitentur homines (eſt enim occaſio prӕceps Hippocrate autore) optima ratione factũ eſt, vt medici alia ſupponant medicamẽta quæ Antiballomena, hoc eſt ӕqualia & ſuccedanea nuncuparunt.

Scopi ad inueniẽdũ ſuccidanea medicamẽta.

Sunt autem duo potiſsimùm ſcopi quibus tota ratio inueniendi ſuccedaneum medicamentum perficitur, facultas medicamẽti & ipſius in medicina vſus. Nam vt in partibus corporis aliæ ob proprias facultates ſunt neceſſariæ vt cor, cerebrum & iecur, aliӕ non propter facultatem, ſed ob alia quӕ ipſis inſunt acciden-

tia,

tia, vt ossa ꝑpter duritiē, quędā oculi partes ob colorem, trachea arteria cauitatis causa, & aliæ similiter, ad eundē modū quędā propriæ facultatis occasione requirūtur, vt Alexiteria, purgantia, & adstringentia: alia propter accidētia, vt inter purgātia, iubet Hippocrates admisceri odorata, quò aduersa ventriculo facultas (quæ purgātibus inest) odoriferi mistura remoueatur. Coloris etiā ratione eligūtur aliquādo medicamenta, vt miniūDioscorides requirit pro inficiendis vnguentis. Sapore etiā vtilia sunt multa, quę propter oris affectiones cum alijs miscentur.

Cū ergo medicamentorū nōnulla, ob pręcipuā facultatem expetātur, quędā ob aliqua accidētia quæ propriā ipsorū naturā sequūtur, merito in succedaneis eligendis, ad hęc duo animus cōuertendus, nēpe ad medicamēti facultatē, & ad ipsius in medicina

dicina vſum. Adeò vt vnũ abſq; alio nõ liceat cõſiderare in delectu ſuccedaneorũ. Neq; enim ſatis eſt calcẽ albã eſſe, vt pro ceruſſa ponatur, quò albũ fiat medicamẽtum: nec abſynthiũ pro rhodomellite in vlceribus oris, quãquã ambo abſtergũt & exiccãt. Sed opus eſt, vt tũ facultate cõueniant aut non multũ interſit, tũ etiã reliquis accidentibus reſpondeant, aut ſaltem quæ affectui curando obeſſe non poſsint.

Medicamẽtorũ facultates quot ſint.

Inſuper ſcias quod medicamentorum facultas non eſt vna, ſed multiplex, ſcilicet prima, ſecunda, tertia & quarta. Quodcũq; igitur medicamẽtum in his quatuor facultatib9 cum alio conuenerit, optimum eſt ad omnia ad quæ reliquum vtile erat. Si verò ſecundum aliquam deficiat qualitatem, tantum etiam relinquitur ab alterius vſu & vtilitate. Quæ facultas, ſi potiſsima præcipuaque fuerit

fuerit qualis Alexiteria ſolet eſſe, lon
gè diſtabit medicamentum à natura
ſuccedanei. Hinc fit vt ſtacte myrrhæ
non poſsit eſſe legitimum ſuccedaneũ
Balſami, non eſt enim myrrha Alexi-
teriũ medicamentum vt Balſamum,
quòd (Dioſcoride autore) aduerſus
venena valde efficax ſit. Nec Euphor-
biũ pro Sylphio optimè ſubſtituetur,
niſi in vulneribus neruorum. Sylphiũ
enim (vt inquit Dioſcorides) aduer-
ſus venena tellorum & animalia om-
nia quæ virus iaculantur, vtiliſsimum
eſt, Euphorbium verò non ſecundum
hanc commendatur qualitatem.

Primæ igitur facultates medicamẽ
ti ſunt illę, ſecundum quas calefaciũt,
refrigerant, humectant & exiccant:
aut copulatim dictis qualitatibus ope
rantur. In quibus non ſolum eſt aduer
tendum quod calefaciant, ſed gradus
cuiusq; qualitatis conſiderandus, qui
quaternario numero comprehẽditur

â Galeno libro. 5. de Simplicium medicamentorum facultatibus cap. vltimo in fine. Ita vt ex medicamẽtis quędam in primo, alia in secundo, tertio & quarto calefacere, refrigerare, humectare & exiccare dicantur. Et quia in quolibet horum excessuum, triplex etiam obseruatur differentia, ea erit perpendenda. Quanquam enim multa primo vel secundo aut tertio calefaciunt gradu, est tamen magna defectus & excessus latitudo, vt in principio primi ordinis, medio vel fine id prestent. Hinc fit vt Asarum nõ optime pro Acoro ponatur: nam quãuis ambo calfaciant tertio excessu, cum asarum valentius sit, aut quantitas minuenda, aut non æquè substitues, contra verò vbi deest ab augmẽto excessus, duplicandum medicamentum, vt cum pro cinnamomo, duplum casiæ inijciendum præcipitur.

Secunda facultas dicitur quæ ex dicta

sta proxime oritur, vt extenuandi in crassandi, obturãdi vel laxãdi corporis meatus. Calida enim laxant, deobstruũt, rarefaciũt & aperiũt. cõtra frigida incrassant, cõtrahunt & claudũt. Quãuis hę facultates, modũ etiã substãtię sequi potius videantur. Nã quæ sunt crassę essentiæ, obturant & fluxus retinent. Quę verò tenuis substantiæ, penetrant, incîdunt & abstergũt. Aduertendum insuper quòd in substantię modi ratione, pleraq; medicamenta duplici substantię modo constant. Partes enim habent crassas quibus adstringunt, alias tenues quibus aperiunt & discutiunt. In quo etiam defectum & excessum considerabimus, quatenus alia magis, alia minus extenuandi vel incrassandi facultatẽ posſident.

Tertia facultas oritur ex secunda, qualis est menses mouendi, ciendi vrinam, scirrhos emolliendi & tollendi,

deniq; Bechica, Hepatica, Splenetica, vt Eupatorium hepar respicit, Scolopedrium splenem. Hinc fit vt pro herba hepati accomodata, altera hac ipsa facultate destituta minime conueniens sit, etsi in alijs qualitatibus conueniāt.

Est & quarta facultas, ratione cuius medicamenta secundum particularē qualitatum proportionem agere nata sunt. Et est triplex, Alexiteria, venenata & purgatoria. Harum facultatū in medicamētis ipsis docuit Dioscorides exempla, vt plurimùm in fine cuiusque medicamenti. Alexiteriam enim facultatem manifestè explicat dicens: Aduersus venena efficax est, aut Antidotis permiscetur. Venenatę verò meminit tum proprijs capitibus, tum etiam libro. 6. purgatoriam similiter enarrans. Cum igitur hæ facultates tanti sint momenti in medicamētis, inquirere oportet, an similes alteri insint. Venenata medicamētorū

Alexiteria facultas quę sit

rũ facultas duplex in genere est, quan titate alia, altera qualitate. Quátitate, frigida in.4.gradu deleteria dicũtur, qualitate verò seu tota substátia; quæ nostri corporis naturę, prorsus habét aduersam ex elementis permistioné.

Hæc deinde triplex est, aut putrefa cientium, aut erodentium, aut eorum quę vehementi actione & subito enecant. Quę quantitate interficiunt pu trefaciendo aut erodendo, nisi intro sumantur, interficere non possunt, re liqua verò vtcunque, veluti morsu ra bidi canis, tum & ictu Scorpionis. Ergo in his quæ enecant interius assumpta, id cauendũ, ne quę succedunt alio rum vice, illam venenatam posside at qualitatem, qua nos enecent. Propterea Galenus lib. 4. de Methodo medé di, quęcunq; metallica, vlceribus curandis idonea, non voluit interius assumi.

Purgatoria medicamentorum vis, quędam communis est omnibus quæ Ecoprica seu stercoris eductoria dicũtur. quæ in lenientem, mordicantem, abstergentem, adstringentem, & pondere grauantem diuiditur. De hac tamen, non est pręsens institutum, sed tantum de ea quæ fit attractione familiaris succi, vt quæ chalagoga, phlegmagoga, melanagoga ve dicitur, etsi qua etiam hęmagoga reperitur. Hæc verò in succedaneis est contemplanda vis. Quare fit vt non ęque lycium aut magnum Centaurium, pro aloe substituatur. Si enim interius assumendum est aloe ad purgationem, quomodo lycium succedere poterit?

Hactenus alterum scopum attigimus in succedaneorũ delectu potissimum, quanquam neq; is complet totã integramq; methodum in vere succedaneis, sed alius addendus est qui petitur ex vsu ipsius medicamenti, vt pro

pter

pter odorem, saporem, colorem, crassitiem, lentorem, fluxibilitatem, idque præcipuè in compositione medicamẽtorum. Commendantur enim gustui grata, quæ ad oris affectiones commoda sunt: odorata quæ tum ori, tum naribus, tum stomacho conducunt: mollia & liquida quę tenuioribus corporibus, & partibus maiori sensu seu acutiori prędiris, admouentur, tum etiã vbi defluere medicamẽtum volumus, contra glutinosa quando detineri medicamentum, nec statim fluere cupimus. Sapor in medicamentis quę aliorum vice supponuntur: vires habet præcipuas, & multę considerationis. Cum enim medicamẽta per os assumpta linguã & palatum attingant, vbi discernendi saporis est instrumẽtum, deinde in ventriculum incidant, qui ab amaris afficitur, acida verò, austera & salsa amplexatur, iure fit vt medicamen interius assumẽdum, aut sal-

tem quod in ore detineri debet, requiramus grati iucundiq; saporis. Propterea cum melle pleraque stomatica fiunt, Theriaca recipit vinum Falernum, acre, laudatissimum.

Odoris eadē est ratio, afficitur enim quoddammodo ventriculus ab ingratis odore, vt vterus. Quare purgantibus medicamētis odorata iubet Hippocrates permisceri, vt carum, ligusticum, anisum, & similia semina.

Color medicamentorum commendatur magis propter decorem & fastidiosorum hominum ventriculū. Multi aliquibus deterrentur coloribus, vt viridi, quòd arbitrentur forte nimis, ac molestum esse medicamentum.

Epilogus. Atque vt summatim totam complectamur Methodū, qua substitutionis ratio cōstat, distinguere sic oportebit. Succedanea enim aut propriè & absolute dicūtur, aut in relatione ad vsum aliquem & impropriè. Sic vnum homi-

nem

nem alterius vices proprie integreq; gerere posse dicemus, cum secundum omnes corporis & animi dotes alium representat, ita vt quęcunque à priori gerebantur, ea alter exequi, sine vllo defectu possit. Sic etiam quodcunque medicamentum alterius & proprium succedaneum, omni ex parte illius naturam representare debet, vt & primis, secūdis, tertijs facultatibus, potissimùmque quartis respondeat. Insuper & accidentia alia quę odore, sapore, colore, consistentia, agendi celeritate, & alijs prędituin erat.

Illegitimum verò succedaneum, solum in relatione, vt ad talem superioris medicamēti vsum dicetur. Quo casu vt penè infiniti sunt medicamentorum vsus, ita propemodum multiplicia sunt vnius succedanea, imo si verè ac propriè loquendum sit, non succedanea sunt dicenda, sed medicamenta tali affectui perse conferentia. Vnde di-

stinguere conueniet ad quos vsus, & quibus in compositionibus quodque ingrediatur medicamentum, & in illarum qualibet, cuius vsus causa, quo nō decipiamur, in illegitimi succedanei propinatione. Nemo enim lyciū purgationis causa pro aloe exhibebit, cú tamen ad externa vlcera inuicé substitui posint. Erit igitur legitimum & verum succedaneū spica, pro calamo aromatico, quoniam ea illi respondet, secundum primas, secundas, tertias & quartas facultates, odore, sapore, tenuitatę substantię & agendi celeritate.

Succedaneū optimum quod.

Vt itaq; docti, & qui non in Methodo substitutionum sunt valde exercitati, sine labe substituant medicaměta, quæ dicta sunt hactenus maxime aduertant.

Cæterùm animaduertendum est, nō ob id hæc scripsisse, vt succedanea quibus vtimur, talia esse debeant, qualia descripta sunt, vix enim reperies di-

ctorum

ctorum aliqua. Etsi forte in illis quatuor facultatibus, & in vsu, medicamẽtum aliquod conueniret, non esset succedaneũ, sed idem potius cum illo pro quo ponitur. Vbi enim tanta similitudo quæritur, potius erit identitas æstimanda. Accedit quod Galenus lib. 7. de Simplicium medicamentorum facultatibus, cum de marrubio loquitur nõ quærit tantã in succedaneis paritatẽ, substituens pro illo simpliciter Mellisophyllon, dicensq́; „ Mellisophyllõ, „ marrubio simile est facultate, sed plu- „ rimùm ab eo vincitur. Quamobrem „ nec vtitur eo quispiam, superuacaneũ „ siquidem foret præsente marrubio, cu- „ ius tantus est vbiq; terrarum prouen- „ tus, velle vti Mellisophyllo. Cæterùm „ si cui forte ad manũ quandoq; marru- „ bium non fuerit, illo vti liceat, modo „ non exciderit quanto ab hoc exupe- „ retur, hactenus Galenus. Quod tamẽ nõ cõueniãt in omnibus facultatibus

marrubium & mellisophyllũ scilicet in tertia, liquet ex eo, quia hoc respicit cor, ipsumque corroborat, non autem marrubium.

Similiter, quod Galenus ipse aliquã do recipiat simpliciter & generatim succedanea, constat ex ipsius scriptis libro. 1. de compositione medicamentorum per genera, cap. 14. de albis Emplastris, vbi ait. Anodinum erit pharmacum si & adipis aliquid inieceris, velut ego facere consueui, adeps verò anserinus sit, vel huius inopia gallinaceus, si neque hunc habeamus, suillum iniiciamus, nõ ignari quidem magnã esse anserini ad reliquos eminentiam, vtentes tamen peioribus, etsi quando optimi copia non conceditur.

Si igitur aliquando vti licet peiori succedaneo, & tale nõ conuenit in illis quatuor facultatibus (aliter enim optimum esset Antiballomenum) nõ erit perpetuò necessariũ, æqualia aut

potius

potius omnino similia, pro medicamẽtis componendis inuenire substituta.

Hic ergo (quem manuscriptũ reperimus commentariolus) erit veluti exemplar, aut (vt effertur) Polycleti statua, ad quam respiciendo, quoad fieri posit magis accedant succedanea, secus etenim tota substituendi tractatio esset superuacanea.

Vt autem quâm proximè accedatur in sequenti opere, totis viribus curauimus. Sed quoniam præcipuum in eo institutum fuit, illa tantũ referre quæ succidanea recipiunt, haud mirum videri debet si inter rarissima inuentu, aliquot etiam facilè parabilia reperiãtur, presertim quòd quæ nobis sunt familiaria, in alijs regionibus desiderentur.

SVCCEDANEA
ABSYNTHIVM PONTICVM.

absynthij genera tria.

ABsynthij genera tria à Græcis describũtur. Primum est Ponticũ quòd à Põto veniat cognominatum. Hoc Mesuęus Romanũ appellauit in Syrupo de Absynthio, & in suorũ simpliciũ tractatu. Secundũ est Marinum, quod aliqui Seriphũ vocãt, à Seripho insula nomine accepto. Tertiũ Santonicum dicitur à Santonibus Galliæ Cissalpinæ populis, siue à Sãtonia Gallię regione (quę nũc appellatur Xantorgue) cuius semine quod sanctũ vocãt ab ea regione, vtũtur officinę pro necãdis intestinorũ vermibus. Ponticũ absynthiũ, pręstãtissimum quoq; post Dioscoridẽ iudicauit Galen. lib. 11. de Methodo medẽdi his verbis scribẽs: Porrò absynthium Põticum tum folio, tum verò flore, lõgè

est

eſt quã cetera abſynthia minore, odor ”
quoq; huic nõ modo nõ inſuauis, verũ ”
etiã aromatũ quid præferẽs, reliquis ”
omnibus planè eſt fœdius. Quare hæc ”
fugere cõueniet, vti aũt ſẽper Põtico. ”
Abſynthium noſtrũ vulgare folijs la
tioribus & amarius, nõ multũ â Põti
co diſtat, niſi loci & culturę varietate:
qua de re in Pontici penuria ſubſtitue
tur. Autor ille ſuccedaneorũ Galenõ
adſcriptus, pro abſynthio ſimpliciter,
perperam abrotonum ſuppoſuit. Ab-
ſynthiũ enim (vt inquit Galen. lib. 6.
cap. 1. de Simplicium medicamentorũ
facultatibus) gratum eſt ſtomacho
quia plurimam adſtrictionem conti-
net, abrotonum verò inimicũ ob vin-
centem qualitatem amaram. Reli-
qua duo abſynthij genera nempe Seri
phum & Santonicum, cum ſtomacho
aduerſentur vtî abrotonum, ſimilem
cum illo facultatem obtinent, vt me-
ritò inuicem ſupponantur.

Autor Gale-nicus ſucce-daneorum taxatur

Pro Absynthio Pontico.	Absynthiũ Hispanicum.
Pro Seripho & Santonico.	Abrotonum.

ABROTONVM.

ABrotonum masculũ vulgaris est notitiæ in Regijs viridarijs: de fęmina verò non satis inter omnes constat, Plures etenim sunt plãtæ quibus Abrotoni fæminę effigies & notæ ad amussim conueniant. Vtrunq; abrotoni genus ad eadem valere autores conueniũt, nec aliquam differentiã agnoscunt. Autor ille succedaneorum qui Pauli nomine circũfertur, origanum vice abrotoni reponit, ab antiquorũ scriptis nõ discedens: Galenus enim & post eum ipse Paulus in proprijs de origano & de abrotono capitibus, similes ambobus facultates tribuunt.

Cum tamen (vt illi asserunt) omniū specierū origani vna sit facultas, origanum nostrū & vulgare, pro abrotono vsurpabitur.

Pro Abrotono fœmina. Abrotonū mas.
Pro Abrotono Origanum.

ACACIA.

VEram Acaciam nostra ætas adhuc desiderat. Est quippe arbor in Ægypto spinosa, ex cuius semine succus expressus siccatusq; in vmbra, ad vsus seruabatur: qui nimirum ad nos non affertur hoc tēpore. Quare cōsuetum erat officinis ex fructu pruni syluestris succū colligere sub acaciæ titulo, qui ob mirificam constringendi vim, leui & tolerabili errore medicamentis miscebatur, scilicet Theriacæ antidoto, & empla-

ſtroDiaphænicon Meſuęi.melius tamen eſt rhois folia,aut ſuccum foliorum lentiſci, aut hypociſtidem ſubſtituere iuxta Dioſcoridis ſententiá libro.1.capite de lentiſco adhũc modum ſcribentis:
„ In totum acaciç &
„ hypociſtidis vicem lentiſcus repre-
„ ſentat. Et capite de rhoe inquit,Fo
„ lia vim habent adſtringendi, & aca
„ ciç effectus prçbent.

Pro acacia.	Rhois folia.
	Liquamẽtũ lẽtiſci.
	Hypociſtis.

ACORVM.

gladiolus aquæ. Eſpadaña.

VVlgare acorum luteis floribus præditum iuxta flumina & in aquoſis locis paſsim proueniẽs,quod gladiolus aquæ herbarijs dicitur, & ſermone vernaculo Eſpadaña, nequaquam eſt in vſum medicinę recipien-

piendum, nam & si aliquam veri acori speciem referat, genuinum tamen non esse hinc liquet, quòd illius radices gustu acres non sint, sed potius adstringentes. Quare vrinā non mouebunt vt verum acorum, nec menses euocabunt, sed potius sanguinem fluentem suppriment Caueant igitur seplasiarij ne Diacorum & Theriacam ex prius narratis radicibus conficiant, sed curent vt verum acorum habeant. Neque enim est calamus odoratus officinarum, vt suo loco demonstrauimus, etsi eo vti possent Myropolæ quoties in componendis medicamentis acori fit mentio, si conferantur quę à Dioscoride & Gale. de vtriusque viribus tradita sunt. Galenus libro sexto de Simplicium medicamentorum facultatibus, acori inopia, asarum supponit his herbis. Huius herbę idest asari radices vti-

Calamus aromaticus officinarū, nō est acorum.

les sunt, facultate similes radicibus acori, intensiores tamen.

Pro Acoro. Asarum.
Calamus aromatic9

ADARCES.

ADarces, Dioscoride autore, est tā quam cōcreta salsilago humidis locis siccitatē emergens: & arundinibus ac herbis agglutinata. Vnde apparet Plinij lapsus lib. 16. cap. 36. qui adarcem inter species arundinū connumerauit, cum Dioscorides, Galenus & Paulus non arundinis speciē, sed salsuginem quandam arundinibus hęrentē esse, liquidò scripserint. Hallucinantur etiam qui credunt, idem esse adarcem quod pila marina (Græcè enim est, Sphera Thalasia) cuius meminit Galen. lib. 1. de cōpositione pharmacorum secundum lo-

Plinij error.

cos referens quæ Crito ad conseruã-dos augendosq́; capillos scripsit, & Nicolaus Myrepsicus in quodam vnguento ad lumbricos, siquidem pila marina in mari tantum nascitur, & in sicco reperitur litore, similis illi quæ in lactentiũ hædorum ventriculis ex exutis vnà cum lacte pilis, plerunq; videtur. Fit autem ex alga proiecta simul cum vndis, quæ ob motũ ex fluctu collidente, in gyrum & pilæ formam transit. Adarces verò in paludibus aquæ dulcis prouenit, & in arundinibus alijsq́; herbis adhærens visitur in Hispania, venditurq́; in officinis ad fucandas muliercularum facies. Galen. lib. 7. de compositione medicamentorum secundum genera meminit Adarce in compositionibus ad ischiadicos, & post eũ reliqui autores Græci in emplastris extrinsecus ad mouendis. Nã vt idẽ Galenus docuit lib. 11. simpliciũ me

Pila marina qd.

dicamentorum, adarce ob vehementiam inutile est medicamẽtum, neq; intro summi debet. In adarce penuria, sinapi supponi potest ex Plinio lib.16.cap.36. cum ait. Est & in Ita-
" lia nascens Adarcha nomine vtilissi
" ma dentibus, quoniam vis eadem est
" quę sinapi. Nec hoc repugnat ijs quę â Galen. in simplicibus de Adarce & sinapi proferuntur. Calx etiã viua minori pondere substitui potest, cum eiusdem quamuis intensioris sit facultatis. Sic etiam sensit autor ille Galenicus de substitutis medicinis, qui pro albesto, idest calx viua, adarcem posuit. Hispanicè poluos de rio.

Pro Adarce.	Siñapi.
	Calx viua minori pondere.

ADEPS.

GAlenus libro undecimo de Simplicium facultatibus, adipem à pinguedine differre ſcribit, ex eo q̃d adeps ſubſtantia craſsior eſt, prouenitq́ue in animantibus totam naturam terroſiorem habentibus, vt bouibus, vitulis, hircis, capris, taxonibus, ceruis, veruecibus, leporibus, & canibus. Pinguedo verò fit in humidioribus, qualia ſunt, anſeres, anates, grues, columbi, catti, & volucres omnes. Poſtea tamen inquit, quod in omni animanti, adeps dici poteſt pinguedo, & contra. Vnde fit vt medicorum vulgus hæc nomina inuicem confundat, quum (eodē Galeno autore) omnis pinguedo ſit facultatis excalfactoriæ & humectatorię humani corporis: differētięq́; cuiuſq; animantis, in maioris minoriſq́; ratione cōſiſtāt, ſecundū ipſius

adeps & pinguedo in quo differant.

temperaturam, vitæ rationem, ætatem, ſexum & pabulationem. Cæterũ inter adipes, anſerini meminit Meſuæus in Emplaſtro Philagrij, cuius vice gallinaceus aut ſuillum ſubſtituit Galenus libro. 1. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera capi. 14. de albis Emplaſtris vbi ſic ait. Anodinum erit pharmacum, ſi & adipis aliquid inieceris veluti ego facere conſueui. Adeps verò, anſerinus ſit, vel huius inopia gallinaceus. Si neque hunc habeamus, ſuillũ inijciamus non ignari quidem, magnam eſſe anſerini ad reliquos eminentiam, vtentes tamen peioribus etiam, ſi quando optimi copia non conceditur. Pro vitulino tamẽ, ſuillum vetus appoſuit Galen. libro. 4. cap. 5. de Emplaſtris ad vlcera maligna ſic ſcribens. Cæterùm vos ſcire in primis velim, vt ſi quando vitulinum pingue deſideretur, eius loco

vetus

vetus suillum, quod nominant axun xiá, admisceatis: verùm salis expers & non nimis multorum annorum. Hispanicè vnto y enxundia.

Pro adipe anserino.	Adeps gallinaceus vel suillus.
Pro adipe vitulino.	Adeps suillus vetus.

ADIANTVM.

ADiantum, officinę Capillum veneris vocant: sub qua nomenclatura in vsu frequentissimo vsurpatur syrupus ad thoracis affectus & viscerum obstructiones. Apud Nicãdrum in Theriacis, Theophrastum libro plantarum. 7. cap. 13, Plinium libro. 22. cap. 21. duo genera ostendũtur, caulicorum colore differentia. Adiãti inopiam resarcit Trichomanes

nes nunc non minus quàm adiantū nota per vniuersam Hispaniam. Cuius sententiæ autor est post Dioscoridem Galenus lib. 8. de Simpliciū facultatibus sic dicens: Trichomanes eadē præstat quę adiantum. Hispani cè Culātrillo de pozo. Yerua brēca.

Pro Adianto. Trichamanes.

AGALLOCVM.

Xyloaloes.

QVod Dioscorides & Paulus Agallocū dicūt, Ætius & Actuarius Xyloalē vocarunt à similitudine quadam cum aloes colore. Recentiores lignum aloes appellarūt, sub quo nomine habetur à Mesue in confectione Alchermes, & in electuario de aromatibus. Sub nomine verò Xyloaloes in confectione trocischorum de gallia muscata, & in alia de Xiloaloes. Optimum agallocum ex India

Lignū aloes.

India ad nos adferri ſolet, nigrum va rij coloris, ſucci plenum, duritie cō-pactum, & quod accenſum diu per-durat. Hoc crudum dici ſolet, aut quod ſepeliatur ſtatim ab illius re-gionis incolis, melioris odoris gra-tia, aut quòd non fuerit antea elixũ. Autor ille Galenicus de ſubſtitutis medicinis, calamũ odoratũ pro aga-lloco ſuppoſuit, haud non præter ra tionem, nam Dioſcorides & Pau-lus de Agalloco ſcribunt, quod ſto-machum reſolutum ex humiditate confirmat, & quod prodeſt iocinoro ſis. Pari modo Galenus libro. 7. de Simplicium medicamétorum facul-tatibus, de calamo aromatico ſcri-bit, medicamentis quæ iecori ſtoma choq; imponuntur, miſceri poſſe. Hiſpanicè linaloe.

Pro Agalloco. Calamus odoratus.

Aga-

SVCCEDANEA AGARICVM PONTICVM.

ORitur Agaricum, in truncis magnarum arborum vetuſtate iã putreſcentium tanquam fungus vel apoſtema earum. Eſt autem duplex, maſ. & fæmina. Præfertur autem fęmina, Dioſcoride autore, rectis intus venarum diſcurſibus conſtans. Veteres ex Agaria vel Ponto Agaricum petebant, vnde Agaricum Ponticũ immittit Theriacæ Andromachus iunior. Hoc tempore pręſtantiſsimũ ex Africa ad nos perfertur, vt minime ſit opus ex Agaria, aut Põto, aut aliunde queritare. In pleriſq̃ue etiã Italiæ locis laricibus frequenter innaſcitur, vt infirmius tamen reliquis eſt omittendum, niſi in omnimodo defectu: quamuis non multũ referat quo in loco proueniat, aut à quo adferatur, modò pręſtantiſsimi notas

notas habeat. Autor ſuccedaneorũ Galeno adſcriptus, Euphorbiũ pro Agarico ſubſtituit abſurdè, cùm Galenus libro Simplicium medicamentorum, Euphorbium cauſticę ſiue vrentis naturæ conſtituat, & tenuium partium, Agaricum verò deiectorium, & ex diuerſis partibus cõpoſitum. Veruntamen in extrema Agarici inopia, colocynthis rectius ſupponi poſſet: quoniam ad eadem valet, ſi conferantur vtriusque facultates, maximè in Meſuęi ſimplicibus. Accedit Pauli teſtimoniũ lib.7.cap.4. ſic dicentis: Agaricum „ ſimiles colochyntidi vires habet. „

Autor ſuccedaneorum taxatur.

Pro Agarico Pontico.	Agaricũ Africanum.
Pro Agarico.	Colocynthis.

ÆS VSTVM.

So-

Solent nostri temporis chirurgi Emplastrum viride, vel potius Ceratum Isis vocatum, in commodum vsum vertere ex Galeni scriptis libro secundo & quinto. capit. secundo de compositione medicamentorum secũdum genera: cui nimirum æs vstum admiscetur. Eligendum est rubrum Dioscoridis testimonio, & quod contritu Cinnabarim imitetur. Vnde qđ in quibusdã officinis habetur, pauci momenti esse crediderim, quum sit nigrum, & plusquam oporteat igne exoletum. Æris defectu, ipsius scoriam substitui posse, Dioscorides autor est libro quinto, his verbis scribens: Æris recremẽtum stercus ve, quod scoriam vocãt, eodem modo lauatur, & eãdem vim sed imbecilliorem habet.

Pro ære combusto. Scoria æris.

ÆRVGO.

AErugo (quæ æris rubigo est) officinis ac medicis, viride æris nuncupatur, vulgo verdete & cardenillo. Estque idem in ęre ærugo, quod in ferro ferrugo. Ærugo sub nomine Ziniar habetur in vnguento de cerussa Mesuæi. Destituimur hoc tẽpore scolecia ac fossili ęrugine: adulteratæ tamen & factitię vbiq; ingẽs copia, quę postremum locum bonitatis obtinet. At verò in omnimodo defectu, æs vstũ recipi potest, inefficatius tamẽ vt inquit Dioscorides capite de ęrugine sequẽtibus verbis: Antedicta ęruginũ genera vsto æri omnino respõdẽt, sed magis effectu valẽt. Pro ęrugine ferri (quę ꝑprius rubigo aut ferrugo dicitur) scoria ferri supponetur Dioscoride autore cap. de rubigine ferri sic dicẽte. Stercus ferri quod scoriam vocant, eadẽ potest quæ rubigo, sed inefficatius.

Viride æris. Verdete. Cardenillo. Ziniar.

Quid

Scoria quid. Quid autem sit scoria, Plinius libro 33. cap. 4. his verbis demõstrauit.
" Quæ è camino iactatur spurcicia, in
" omni metallo vocatur scoria.

Pro ærugine fossili. Aerugo factitia
Pro ærugine æris. Aes vstum.
Pro ærugine ferri. Scoria Ferri.

ALELVIA.

Oxys. Trifoliũ acidum. Panis cuculli Azederilla. HVmilis herbæ nomé est Aleluia in Vnguẽti Martiani descriptione apud Nicolaum. Oxys Plinio & Latinis dicitur, alijs trifolium acetosum, nonnullis panis cuculli: vel ꝙ cucullus auis eo vescatur, vel quia hoc erumpente, cucullus suam vocé ædere incipiat. nobis azederilla y trebol azedo nuncupari solet. Hincque Oxys ab acido sapore dicta est. Nullibi copiosius quàm Valentiæ conspeximus in hortis & irriguis locis,

Quum

Quum tamen acidum in gustu sapo rem præ seferat, idem cum Oxalide (acetosam nostri nominant) habe- re temperamentum euidentissimũ est, ac proinde vnum alterius loco facilè substitui potest, citra aliam de monstrationem. Aceto sa.

Pro Aleluia. Oxalis.

ALVMEN SCISSILLE.

ALumen (autore Plinio) est salsugo terræ, id quod corriuatum hyeme, æstiuis solibus maturatur. Stypteria dicitur Nicolao in Antidoto æmagogo, ab adstrictione quę illi inest vehementissima. Cæterùm quamuis scripserit Dioscorides plu ra esse Aluminis genera, tria tantùm memorię mãdauit, nempe scissille, rotundum, & liquidum, quòd fortas sis suo tempore, ijs tantum vterētur Stypte ria.

medici. Veruntamē officinæ, alia excogitarunt aluminum nomina atq; etiam genera, ſcilicet, Alumē de pluma (quod verus eſt lapis amiãtus) cuius meminit Dioſcorides cap. de alumine, Alumen de rocha quod fit ex lapidibus quibuſdam in fornace calcinatis, multùm differens ab alumine liquido antiquorum, & Alumen Zuccharinum quod fit ex crudo alumine rochę, aqua roſata, & albis ouorum. Quoniam tamen Galeno autore libro. 1. cap. 12. de Compoſitione Medicamentorum ſecundum genera, præſtãtius eſt Alumen ſciſsile colore candidum, id perpetuò eligendum: taleq́ue Alumen Iameni videtur vocari à Mauritanis. vt cõſtat ex Serapione cap. 402. & ex Auicena libro. 2. cap. 70. Cuius inopia rotundum quod ſciſsilli eſt craſsius ſed minus adſtringens reponetur, vt docet ipſe Galenus libro quarto, cap. 5. de

Alumē de pluma Amiãtus lapis.

Alumē de rocha.

Alumē zucharinum.

Alumē Iameni.

Com

Compoſitione per genera. At lib.6. de Compoſitione pharmacorum ſecundum locos capite de medijs pharmacis, liquidũ quoq; pro ſciſsili exposuit ſic dicens: Quin etiam ſi Alumen addere velimus, non eſt neceſſum ſciſsũ inijcere, ſufficienter enim adſtringit etiam liquidum, quod vilis prętij, & maximè parabile in omnibus regionibus exiſtit, tenuitate tamẽ partiũ à ſciſſo differt, & ob id etiam minus efficax eſt. His tamen deficientibus, Alumen rupeum ſiue de rocha (quod veteres non cognouerunt) in vſum recipi poteſt, vt omnibus conſtare arbitror:

Pro Alumine ſciſsili.	Alumẽ rotundũ.
	Alumẽ liquidum
	Alumẽ de rocha.

AMOMVM.

AMomum Scythicum laudat Galenus libro. 8. de Compoſitione

Pharmacorum secũdum locos. Quũ tñ nec in Hispania, nec per vniuersam Italiam Amomum proueniat (quod sciam) an verum hoc tempore habeamus, multi ambigunt. Cæterùm cauendum est ne falsa Serapionis interpretatione, cap. Simpliciũ. 279, amomi vice supponatur herba pes columbinus vocata, quæ geranij potius species est: vel vt alijs placet anchusæ radix. Nam tametsi Arabicè idem sit Hamama quod Latinè pes colũbæ vt ab Arabibus recepimus, quid adhuc verè sit pes colũbinus ignoratur. Ineptè quoq; Cordus Hiericuntis rosam Amomum dixit in compositione Aureę Alexandrinæ, vt contra ipsum clarissimis rationibus & argumẽtis persuasit Matthiolus, & si ille cum Theriacam exponit quę Amomum recipit, nos vero carere asserat. Quare cum de incognitis periculum facere non sit

Pes cõlumbi

Hamama.

tutum,

tutum, acorum verum pro Amomo substituemus, quòd similes habeant ê Galeno vires libro.6.de Simpliciũ Medicamentorum facultatibus sic de amomo scribenti: Amomum aco-
" ro similem facultatem obtinet, nisi
" quod acorum siccius sit, maiore autẽ
" concoquendi facultate amomũ. Poterit etiam asarum subijci, quoniam tria hæc, acorum, asarum, & amomũ inuicem ex Galeno substituuntur.

Pro Amomo. Acorum.
Asarum.

AMMONIACVM.

Galenus Ammoniacũ Thymiama cognominauit, quod latinè ammoniacum suffimẽ & gutta dicitur, ad denotandã ipsius gummi bonitatem. Quamuis in sacris literis, cõpositio sit aromatica ex stacte, Ony- Thymiama qd sit.

che, galbano boni odoris, & thure lucidiſsimo, vt apparet cap. 30. Exodi. Ammoniaci defectũ ſupplet Opopanax ad Galeni cenſuram libr. 10. cap. 2. de Compoſitione pharmacorum ſecundum locos vbi ſic ait: Verùm, Ammoniacum thymiama & Galbanum, vltra hoc quod conferũt ad emplaſtri compoſitionem, etiam mitigãdi ac emolliendi vim quandã habent: opopanax verò eiuſdem cũ ipſis eſt generis, ſed fortiori facultate præditus.

Pro Ammoniaco. Opopanax.

AMMI.

PLanta quæ Græcis pariter & Latinis Ammi dicitur, Hiſpanię notiſsima eſt: quanquã pharmacopæorum deſidia, ignota deliteſcat: etiam ſi quotidie illius ſemen in vſum me-

dicũ vocent, Ameos corruptê offici
nis appellatur: sub quo nomine à Me
sueo recipitur in Diacymino. Sed
cum hoc tempore varia semina pro
Ammi vendant, quæ legitimũ Am-
mi non referunt, huius vice Anisum
adhibetur ex Galeni placitis libro
sexto de Simplicium medicament.
facultatibus, vbi de Ammi sic scri-
bit: Herbæ quam vocant Ammi se- "
men maximè est vtile, facultatis ex- "
calfactorię & desiccatorię, tenuiũq; "
partiũ. Sed & gustu sub amarũ est & "
acre. Clarũq; est quod & digerat & "
vrinã moueat. fuerit aũt in calfacië- "
do & exiccãdo ex ordine tertio intẽ "
so. Postea Galen. de Aniso similiter "
scribit dicẽs: Anisi semẽ maximê vti "
le est, acre & subamarũ. Est aũt & in "
siccãdo tertij ordinis, sicut & in cal "
faciẽdo: Proinde & vrinã ciet & di- "
gerit. &c. Ex quibus cõstat easdẽ vi- "
res, similesque qualitatum gradus
 de

de Ammi & Aniso efferri, pindeq; inuicem supponi posse. Ami tamen quod Illyricum sit laudatur à Galeno libro,9. de Compositione Pharmacorum secundum locos, Anisum verò Cretense libro. 4. de Sanitate tuenda.

Pro Ammi. Anisum.

AMIANTVS LAPIS.

Latini codices Nicolai corruptè habent in vnguenti Citrini descriptione Amētū dulce pro Amiāto lapide, de quo Dioscorides lib.5, inter reliquos lapides mētionem fecit. Hunc officinę Alumē de pluma vocarūt, ex eo fortasse, quòd Alumini similis sit, Plinio & Dioscoride autoribus. In huius lapidis penuria, gypsum deustum rectè supponitur, cum ex Galeno lib.9. de Simplicium

Amentū dulce.

Medi-

medica.facult. tenuiſsimarũ ſit partium, & valentiſsimè deſiccet: quod non exigui momenti eſt ad illius vnguenti poteſtatem. Inter plura tamẽ gipſi genera quæ enumerauit Georgius Agricola lib. 5. foſsilium, illud potiſsimùm eligendum, quod è lapide fit ſpeculari qui Græcis Selenites dicitur, vt multis placuit. Ad quod comprobandũ accedit autor ille qui Pauli nomine ſuccedanea excuſsit, pro Amianto, Aphroſelinũ ponens: cuius Galenus meminit inter lapides, qui verus Selenites exiſtit, vt elicitur ex Dioſcoride, cum ſcribit, *Selenitem, ab aliquibus Aphroſelinam appellari, quoniã noctu inueniatur lunæ imaginem reddere.* Conſtat ſimiliter ex Galeno, qui de Selenite ſeorſum non ſcripſit: imo eadem de Aphroſelino, quæ Dioſcorides de Selenite commemorauit. Selenites lapis.

Pro Amiãto. Gypſum vſtum.
Aphroſelinus lapis.

ALBATECA.

ALbatecę hodie vſus eſt in confectione trochiſcorum de Alchechengi Meſuæi. Ea cucumeris genus exiſtimatur, antiquis Græcis incognitũ. Quod aũt Albateca genus ſit melonis vulgaris, docet Serapio cap. 243. Simplicium ſuorũ abſolutè melonẽ vocans bateca, cucumerem chateche, & citrullũ Kura. Pręter id etiã quod Batheic Indum Arabibus, eſt idem quod melon Indus. Dicitur igitur Albatheca melon magnus Indicus, aliquatenus rotundus, ſemine ante maturitatem albo, poſt nigro & ſubrotũdo. cuius meminit Auicena Fen. 1. canonis, 4. tracta. 2. cap. 40. de cura tertianæ purę. Albatechæ inopia, cucumerem videtur ſubſtituere idem Avicena. 2. canone cum ait: Ba-

Batheca. Cathecche. Kura. Batheicindũ Melõ Indus.

the-

theca in natura exiſtit cucumeris. Paulus Ægineta lib.1. cap.80.cucumerem, peponem, & melopeponé, eadem poſſe inſinuauit,maioris minoriſq; habita differentia. Quid autẽ veteribus fuerint pepones ac melopepones,quid ve nobis ſint hoc tẽpore (quamuis nõ ſatis cõſtet apud omnes)inclinat tamẽ animus ad credendum,per pepones Galenum libro ſecundo alimentorum, noſtrates melones intellexiſſe,ſi tamẽ ipſe eorum vnquam habuit notitiam. Sed quid per melopepones intellexerit,certi nihil ſtatuimus.etſi non deſint qui dicant eſſe quos vulgus pepinos vocãt,in iis enim,pars intima quæ ſemen includit, ab hominibus mãdi ſolet,vt inquit Galenus: quod contra euenit in peponibus: in quibus illam ſemper cum ſemine reiicimus.

Pepones & melopepones.

Pepinos.

Pro

Pro Albatheca. Cucumis.
Pepo.
Melopepo.

AVRIPIGMENTVM.

ārſenicū Grecorum & officinarū quo differāt.

AVripigmentū (Arſenicō Græcis dictū) differt multū ab Arſenico officinarū chryſtalli modo ſplédēte, quod vulgo Rejalgar dicitur. Hoc enim non ſua ſponte naſcitur, ſed arte fit ex Auripigmēti ſcobe, admiſto ſale, cum vi ignis tamdiu coquitur, donec ita purum efficiatur, vt chryſtallum referat. Arſenicum tamen ſiue Auripigmētum natiuū, in terræ viſceribus vt & reliqua mineralia gignitur, colorem auri repreſentans. Vnde Galenus libro. 10. de Compoſit. pharma. ſecūdum locos, Auripigmētum auri coloris paſsim commemorat. Quum tamen per maiorem naturæ coctionem, colorem rubeum

rubeum contraxit, Sandaracha dici- Sandaracha.
tur: ab alijs verò Auripigmentũ ru-
brum, vt apparet in secundo canone Auicenę: & in Emplastro Mesuęi relato ad Andromachum, Auripigmentum rubeum & citrinũ recipiẽte. Constat igitur pro Auripigmento, Sandaracham subrogari posse, vt etiam Dioscorides testatur lib. 5. de Sandaracha his verbis dicens: Dos eadem & vstio quę Auripigmẽto. Galenus similiter libro. 9. de Simpliciũ facultatibus, Sãdaracha, inquit, vrẽtis est facultatis ceu Arsenicũ quod vocant. Meritò igitur digerentibus facultatibus commiscent, atque extergentibus. Calx etiam à Galeno supponitur lib. 3. de Compositione medicamentorum secundum genera cap. 2. vbi inquit: Auripigmentũ adiungi tetrapharmaco, sed cum id nõ esset, Sandarachã vti vocãt, sicut calcem restinctam & viuã lotam & illotam,

illotam, minus autem viuæ, plus restinctę, & hac plus adhuc lotę adieci.

Pro Auripigmento. Sandaracha. Calx.

ASTER ATTICVS.

Planta est Aster Atticus nõ satis hoc tẽpore recognita. quãuis quibusdã ea iudicatur essẽ, quę ab herbarijs, Filius ante patrẽ nũcupatur, folia habens amigdalina, odorẽ granem, luteosq; flores in stellę modum radiatos. Vnde deceptus est Serapio qui hanc cum Eryngio confudit, florum similitudine deceptus, qui in vtraque, planta stellæ figuram referunt. Bubonium siue Inguinalis dicitur, quod inguinum aut Bubonũ pręcipuum sit remedium. Pro Astere Attico, Antirrinum herba hodie cognita substituitur à Galeno lib. 6. de Simplicium medicamentorũ facul-

Filius ãte patrem.

Bubonium. Inguinalis.

cultat. sic scribẽte: Antirrinum aut „
Anarrinũ, semẽ habet vituli naribus „
simile ad sanationes inutile. Ipsum „
autem ad similis est cũ Bubonio fa- „
cultatis sed multo minoris. „

Pro Astere Attico. Antirrinum duplum.

ASPALATHVS.

TAnta est in hoc frutice autorum dissẽsio, vt nec quid sit, nec quid eius loco recipi debeat in Hedycroi præparatione pro cõficiẽda Theriaca, ex illorum scriptis satis constet. Quidam enim sunt opinati legitimum aspalathum esse Rhodiũ oleastrum: alij santalum rubrum, nõnulli vulgare agallocum, quorum sentẽtias euidentissimis argumẽtis conuellit Matthiolus in doctissimis suis supra Dioscoridem commentarijs. Nicolaus verò, cui summa ętate nostra in describendis medicaminum com-

cōpositionibus fides adhibetur, pro aspalatho corruptè corallos ponit: in suaque Theriaca, trochiscos Diacoralli cōmemorat, de prauato hedycroi vocabulo in Diacoralli. Auicena. 2. canone cap. de Darsisaham (qđ illi est aspalathus) loco eius fructum Aliembar, hoc est siliquæ, supponit. At Galenus noster, centaurij magni radicem aspalatho æqualem viribus constituit, quum lib. 6. de Simpliciū facult. eadem de aspalatho scribat, quæ in septimo de Centaurij maioris radice postea exarauit. Autor ille de substitutis medicinis, semē ericæ aut viticis, id est agni casti, indistinctè supposuit. Nam de erica id tantū insinuat Galenus lib. Simpliciū. 6. quod digerendi facultatem obtinet, idque in floribus aut folijs, nulla seminis mentione facta. At semen viticis quamuis non in omnibus respondeat aspalatho, si tamē desit centau-

Darsisaham.

Aliēbut.

Autor Galenicus succedaneorum taxatur.

rium,

rium, eo nomine substituetur, quod teste Galeno lib. adducto, acre & adstringés percipiatur, vt de aspalatho profertur, venenatisq; ferarum ictibus auxilietur, Dioscoride autore.

Pro Aspalatho. Centaurij maioris radix.
Viticis semen.

ALCYONIVM.

ALcyonium, quod spumã maris officinæ & Arabum interpretes vocarunt, in mari fit (Plinio autore) ex nidis Alcyonum, vt quidam existimãt, alij ex sordibus spumarũ crassescẽtibus, alij è limo vel quadã maris lanugine fieri dicũt. Sũt pręterea qui ita appellari credãt, nõ quòd ex Alcyonum nidis fiat, sed quòd Alcyones super illud marinis vndis simul congestum nidificent: quorum spuma maris

E senten-

ſententia magis placet. Quinq; Alcyonij eſſe genera, compertũ eſt in Dioſcoride. quorum primum & poſtremum, frequentius reperiuntur. Galenus libro. 4. de Compoſitione pharmacorum ſecundum locos pro medicamentis componendis ad oculorum eminentias, Alcyonium paſſim admittit. in cuius penuria, adarcẽ ſupponemus ex Dioſcoridis ſcriptis in ꝓprijs capitibus. Præter id enim quod vtrique ineſt facultas acris & vehemẽter calida, quęcunq; de duobus primiſque alcyonijs pro faciei morbis delẽdis ab illo dicũtur, eadẽ fere ad verbũ de adarce enarrata inueniẽtur: quamuis in uniuerſum reliqua etiam alcyonij genera idẽ pręſtare poſsint, maioris & minoris habita ſemper ratione. Omnia ſiquidẽ detergũt ac digerũt, qualitatẽ habẽtia calidã & acrẽ, vt inquit Galenus lib. 9. de Simplicium facultatibus.

Pro

Pro Alcyonio. Adarce.

AQVA MARINA.

MArinæ aquę vsus est pharmaco polis in oleo de pulmone vulpis Mesuæi. Qui tamẽ procul degũt â mari, consulant Galenum lib. 1. capit. 4. de Simpli. facul. vbi aquam sale paratam (quam muriam vocant) his verbis substituit: Sępenumero cogimur in marinæ inopia quãdo muriam facere volumus, salẽ aquæ miscere potabili. Clarius autẽ id ipsum affirmauit cap. 19. lib. 4. sic scribẽs. Ipsiq; tibi marinam si lubet efficere licet sale in aqua fluuiali colliquato, cognoscereq; quãto grauior reddatur aqua eiusmodi. quam sit dulcis. Quim & modũ iã inuenerũt moderatá ad saliendũ conficiendi salsuginem, si ouum in ea videatur natare. Nam vbi etiamnum sidit, ac nondũ

ſuper ſalſuginis ſuperficiem innatat, aquoſa magis eſt, & dulcis. grauiter verò ſalſa eſt, vbi tanta eſt ſalis copia indita, vt amplius liquari qui poſtea adijcitur nequeat. Plinius tamen. 2. in præfatione ad libros de re medica, exquiſitius rem tractauit dicens: Et ſi forte curatio exegerit aquam marinam quæ in mediterraneo ſolo aut loco nõ erit, ſolicitudini cauſa tollet. Sextario ſalis & ſemis in quatuor ſextarios aquæ cõiecto, temperatũ mare repreſentat. Sextario verò ſalis & ſemi ſi plus adijciatur, exuperat ſal aquã nec liquari poteſt.

Pro aqua marina. Muria.

APIVM.

COnſtat autorum omnium teſtimonijs, noſtrum petroſelinum

hortorum, verum apium satiuum antiquorum esse. Hinc Galenus lib. 2. de alimentorum facultatibus inter cætera familiarissimum dixit, & ori gratissimum. id quod Plinius confirmauit lib. 20. cap. 11. his verbis: Apio „
gratia vulgo est. nam rami largis po „
tionibus per iura innatant, & in cō- „
dimentis peculiarem gratiā habent. „
Quo verò officinæ vti solebant, eleoselinum est, satiuo grādius, caule & folijs. Quapropter curent pharmacopolę, vt pro Apio, vulgare petroselinum accipiant in suis compositionibus. Dioscorides lib. 3. de Apio scribens, absurdè coriandrum pro Apio suppoſuit, Galen. enim libro. 8. Simplicium medicamentorum, Apium valde calidum esse dixit (quod nec ipse Dioscorides negauit) coriandrū tamen vim refrigeratoriam habere, idem Dioscorides cap. proprio scriptum reliquit. Hac de causa ex eodē

Dioscorid. taxatur.

autore, veri apij loco, eleoselinũ, id est apium vulgare & palustre subijci posset, cum ad eadem efficax sit. Galenus libro citato reliquas apij differentias substituit, oreoselinũ inquã, & hipposelinum, nisi quod hoc imbecillius est, oreoselinum valentius.

Pro Apio hortẽsi. Paludapium. Hipposelinũ.

ARISTOLOCHIA TENVIS.

ARisstolochiæ tria genera statuũtur, nempe rotunda, longa, & clematitis, quæ sarmentosa quoq; & tenuis nuncupatur, rara admodum & paucis nota. Sunt tamẽ nõnulli quibus persuasum est duo esse genera aristolochiæ longæ præter clematitim & tenuẽ. quarum altera sit radice crassa & longa, altera tenui & lõgiori: quæ (vt aiũt) ab Andromacho

& Ga-

& Galeno libro.1.de Antidotis, aristolochia tenuis appellatur. Vnde inferunt hoc secundũ genus aristolochię lõgæ, esse aristolochiá tenuem, quæ in Andromachi Theriacã addi debeat. Cęterũ falluntur errore magno. nã Dioscorides & Galenus tria tãtum aristolochiæ genera cõmemorãt. Præter id quod tenuis aristolochia, dignior videtur, vt in Theriacã immittatur. habet enim radicem, Dioscoride teste, cortice odorato vestitã. vnguentorũ spissamentis conueniẽtẽ, ac in alijs facultatibus similem rotundæ & longę, vt Dioscorides & Galenus scripserunt. Plinius etiam libro.25.cap.8.clematitem cæteris anteposuit ijs verbis: Tertium „ longissimæ tenuitatis, vitis nouel- „ lę cui sit pręcipua vis, quę clemati- „ tis vocatur, ab alijs Cretica. Galenus similiter libro sexto de Simplicium facultatibus, clematitis, inquit,

Aristolochia tenuis quę tertiũ genus est theriacæ cõueniẽtior.

fragantior est: eaque vtuntur ad vnguenta Vnguẽtarij. Cum igitur aristolochia, tenuis ab Andromacho appellata, non sit ab alijs tribus generibus distincta sed eadẽ omnino cũ clematite, talis inquam, vt pote tenuior, odoratior, & præstantior, in Theriacæ compositionem addetur. Hac tamẽ deficiente, rotunda aut lõga subijcietur ex Dioscoride, qui ad eadem pollere scribit omnes aristolochiæ species. Cui cõsentit Galenus lib. 3. de Cõpo. pharm. secũdos locos capite de dolore auris ex flatu sic di-
„ cẽs: Ex tribus aristolochijs quæcũq;
„ fuerit ad manum sumatur. Quando verò alterutra magis vti liceat, lõga aut rotunda, ipse monstrauit Galenus libro. 6. Simplicium medicamen-
„ torum his verbis: In quibus vsus est
„ modicæ abstersionis, commodior est
„ longa, putà in vlceribus carne explẽ-
„ dis, & fomentationibus vteri. At ve-
rò

rò in quibus crassum humorem vali „
dius extenuare oportet, illic vsus est „
rotundę.

Pro Aristolochia tenui.	Aristolochia rotunda.
Pro Arist. rotunda,	Arist. lõga & contra.

ANACARDVS.

ANacardius siue Anacardus, fructus est cuiusdam arboris auicularum corculis non dissimilis, vnde & nomen. Inest ei liquor, mellis crassitie sub cortice residens, sanguinis modò rubicũdus, qui (autore Serapione) præstat in medicina: etsi myropolæ cortice & nucleo vti soleant. Nascitur in Siciliæ montibus hęc arbor, quum Indis quoque sit familiaris. Confectio Anacardina Mesuęi, ab Anacardio cognominata est, cuius nulla mentio apud veteres, sed

apud Gręcos posteriores fit: nimirũ Ætium, Paulum, Actuarium & Nicolaum. hi enim multa simplicia ab Arabibus mutuati sunt, quorum vestutiores Græci nunquam meminere. Autor ille succedaneorũ qui Pauli nomine circunfertur, Psychã herbam pro Anacardoij, nõ inepté supposuisse videtur: si per eam betonica (vt suspicor) intelligatur. que vt autor est Plinius lib. 25. cap. 8. Psycotrophon appellata est, quoniã in frigidis locis proueniat. Tot hęc pręđita est viribus, vt de illius remedijs proprius liber inueniatur: quem quidam Antonio Musæ clarissimo Augusti Cæsaris medico, nonnulli Apuleio adscribendum autumant. Inter alia verò vt primarium auxilium recenset is autor, quod animas hominũ custodit & corpora: & quod in omni re sancta est. Quapropter Psycha fortassis vocatur, quæ vox Græcis

animã significat. cum presertim omnibus capitis morbis à frigida causa ortis, amplissimum & potentissimũ sit pharmacum: subacrique & amara ac siccãdi mirifica facultate polleat. Vnde Æmilius Macer libro de herbarum virtutibus, omnia ferè de betonica refert, quę de Anacardijs ab autoribus enarrantur. Sic Itali cum aliquem laudibus extollere volunt, vulgari prouerbio dicunt. Tu hai piu virtu che non hala betonica: Superest igitur vt nostra vulgarisque betonica, Anacardij suppleat defectum præcipuè si in aceto prępare tur. Sic etenim fit vt non maioris sit acrimonię quàm ipsa betonica: quę à Serapione inter medicamenta calida tertij ordinis ex plantis desumpta, connumeratur.

Pro Anacardo: Betonica.

Aqua

SVCCEDANEA AQVA PLVVIALIS.

Galenus libro.7.cap.2.de Cōpositione pharmacorum secundū locos in confectione Diacodion(id est ex capitibus papaueris) aquā pluuialē reposuit, similiterq; Mesueus in Syrupo de papauere. Habet enim

Aquā pluuia adstringit.

hæc aqua, Galeno autore capite.2. & 4.voluminis citati, aliqualem adstrictionē. Preter id quod(vt refert Hippocrates libro de Aere,aquis & locis,imbriū aqua leuissima est, limpidissima,tenuissimaq;:eo quòd Sol leuissimū & tenuissimum attrahit.

Aqua pluuia rū præstātior

Paulus Ægineta lib.1.cap.50.æstiuā aquam quæ tonitru decidit, reliquis præstantiorem iudicauit. Pro aqua pluuiali,fontana pura supponitur à Galeno libro superius adducto his

» verbis: Tibi verò etiam fontana suf-
» ficiet,pluuia non presente,si munda
» sit & omnis misture expers. Ob quā

rem

rem ea quę per plumbeos canales de „
riuatur fugiẽda erit: limus enim qui „
dam ex plumbo in ea cõtinetur. Vn „
de etiam qui aquæ eiusmodi fecem „
combibunt, dysenterici euadunt. „

Pro aqua pluuiali. Aqua fontana.

APARINE.

APparine herba, quæ inter lentes presertim ꝓuenit, vt Theophrastus inquit, asperguła siue asperula herbarijs dici solet: quòd asperitate sua prætereuntium vestibus pertinaciter hęreat: quibus nomenclaturis in vngueto Martiano Nicolai vsurpatur. Huius itaque inopia, gallium substituit Galen. lib. 6. de Simpliciũ medicamentorũ facultatibus ijs verbis: Adsimile enim est gallium aparine, facultatem obtinens exiccatoriam & subacrem. Cæterùm galliũ

Asper gula.

herba

Galliũ quid. herba eſt nunc cognita aparinæ aut rubię minori effigie ſimilis quę in plurimis Hiſpanię locis circa publicum iter & in pratis naſcitur, flore interdum candido, maiori ex parte luteo, racematimque congeſto, ſuauiſsimique odoris.

Pro Aparine. Gallium.

ANISVM CRETICVM

ANiſi ſemẽ, vſum maximè in medicina prębet, vt inquit Galen. libro. 6. de Simplicium facultatibus: quare Dianiſo, Diagalange, & alijs Meſuęi aromaticis confectionibus immiſcetur. Dioſcorides inter prima Aniſi genera, Creticum laudat, proximo loco Ægyptium. Prouenit nunc in Hiſpania noſtra, nec ſanè minoris efficatię. In cuius defectum ſubrogari poſſet cari ſemen, vt Dioſcorides autor eſt, de caruo ſic ſcribens:

cens:

bens: Carum, semen est vulgaris no- "
titię, Anisi vicem prębens. "

Pro Aniso. Carum.

ANTIMONIVM.

OFficinarũ Antimonium (quod Stibium latinis est, nobis vero Alcohol) in Germanicis maximè ar gẽteis fodinis, in Italicis, atq; etiam in Hispanicis reperitur in modũ lapidis: cuius est vsus pręcipuus in ocularibus medicamentis, vt in Sief de plumbo Mesuæi. Optimum est splẽdidum, confractu crustosum, friabile, nihil terræ aut sordidi habens. In huius penuriam succedit plumbum vstum, Dioscoride his verbis testante: Antimoniũ, vt in vniuersum di- " catur, vim habet vsto plũbo similẽ. " Antimonium enim si paulo magis " concremetur, plumbum fit. "

Stibiũ, Alcohol.

Pro

SVCCEDANEA
Pro Antimonio. Plumbum vstũ.

ARTHANITA.

ARthanita (cuius præcipua mentio fit à Mesuæo in vnguẽto magno de Arthanita relato ad Alexandrum) cyclaminus & cyclamen veteribus nuncupatur. Romanis peculiariter Rapũ, Tuberpanis, Vmbilicus terrę, & Orbicularis, ob radicis formam appellatur. Cassamũ etiam à Nicolao vocari in sua Mithridati cõfectione, tota iuniorum turba declarat. Illud quod de ea herba administratur in medicina, radix eius est, vt Auice. verbis vtamur cano. 2. tract. 2. cap. 62. vbi loco Arthanitę in abortu & contra venena, substituit æquale pondus Aristolochiæ longę, & seminis citri, & mẽtastri. Si tamen absolutè loquamur, tam in supradicto vnguento, quàm extra vnguentum,

Cyclamen. Rapũ. Tuber panis. Vmbilicus terræ. Orbicularis Cassamum.

cucu-

cucumis asininus pro Arthanita supponetur. Primũ enim de suo vnguẽto inquit Mesuæus, quod confert hydropicis, & educit aquam citrinam. Similiter verò de cucumere asinino scribit in Simplicium tractatu, scilicet quod succus eius & radicis ipsius est medicina bona hydropicis, extrahit enim aquam citrinam cum fortitudine. Id quod pariter dclarauit Serapio cap. 204. Simpliciũ suorum.

Pro Arthanita. Cucumis asininus.

B

BALSAMITA.

QVOD Græcis sysimbrium pariter & Latinis appellatur, hoc seplasię balsamitam vocant. sub quo nomine habetur à Nicolao in vnguẽ Sisimbrium.

to Martiano: & sub nomine sisymbrij à Mesueo in electuario Xyloaloes. Ex duobus verò sisymbrij generib9 quę à Dioscor. referūtur, alterū non simpliciter, sed cum adiectione Cardamine nominatur, nobis Berro Primū tamen, absolutè sisymbrium dici solet, & herbarijs mētha aquatica, quoniā circa locos aquosos proueniāt, Hispanis aūt çādalos, Autor ille qui succedanea Paulo adscripsit, in sisymbrij penuria, ocymū suppo suit. At quia suspectum est ocymum vt in corpus sumatur (autore Gale.) ob excrementitiā humiditatē, sampsuchū (quod maioranā officinæ vocant) salubrius substituendum censemus, potissimum in medicamētis per os sumendis. Ipse etenim Galen. libro. 8. Simpli. medicam. sisymbriū ait tenuiū esse, partiū digerētis, excal facientis, & resiccantis facultatis, & temperaturæ in tertio ordine, quæ

Mentha aquatica. çandalos.

omnia

omnia paulo antea de sampsucho di-
xerat his verbis: Sampsichon tenuiũ ,,
est partiũ, & digerẽtis facultatis, de- ,,
siccat enim & excalfacit ordine 3. ,,

Pro Balsamita. Maiorana.

BDELLIVM.

BDellij lachrimam vngui similem
ponunt autores, bdellium ony-
cha appellantes: aut quod vnguis huma
ni colorem referat: aut quod incensum
ac suffitum onychis Indici cõchylij
testæ, odorẽ representet, idq; voluis-
se Galenum liquidò apparet libro
2. de antidotis in Charmidis antido-
to, cum bdellij onychidis mentionẽ
fecit. Hoc bdellij genus, Iudaicum co
gnominauit Serapio, maxime diffe-
rens ab alio bdellij genere, cuius me ,,
minit idem capit. 117. taleque pro- ,,
uenit in Hispania : estque humilis

 palma

bdellij alterũ genus Serapionis in Hispania prouenięs, nobis dicitur Palmito.

palma apud Theophrastum lib.2.capit.8.de historia plantarum, vt suo loco diligentius (si Deo placet) enarrabimus. Galenus libro 8.cap.7. de Compositione pharmacorum secũdum locos, terebẽthinam pro bdellio supponit sequẽtibus verbis: Porrò ammixtum est pharmacho bdellium sufficienter emolliens & cõcoquens velut didicimus, ampliusq́ue moderatê discutiens, consimilẽ ferme vim terebenthina resina habet. Attamen libro Methodi.14. in curatione scirrosi affectus, ammoniacum pro bdellio apertê substituit dicens ea tantum ad illum affectum conuenire, quæ emolliendo digerere possunt: eiusmodi sunt ammoniacũ thymiama, & bdelliũ. Cellus similiter libro.5.cap.5.ammoniacum his verbis supposuit: „Bdellium in omnia „idem quod ammoniacum potest.

Pro

Pro Bdellio. Ammoniacum.

BEHEM.

REponũtur hodie in antidoto dia moſcho Meſuæi & in alijs paſſim Arabum confectionibus radices Behen nomine ex Armenia delatę, quarum meminit Auicena. 2. canone. & Serapio in Simplicibus. nam è Græcis autoribus nõ inuenitur qui illas poſteritatis memoriæ prodiderit. Radices autem vulgares officinarum quæ nunc vbiq́ue à medicamentarijs aſſumuntur, veræ ac genuinæ non ſunt de quibus Mauritani ſcribunt: cum prorſus inodoræ ac inefficaces habeantur. Harum inopia magno errore ſuppoſuit Syluius libro. 1. ſuorũ Simpliciũ, radices eryngij, eo q ſecacul Arabum (de quo eadem ferê dicuntur quæ de behen) nec ſciuit diſtinguere ab eryngio. Ex

barbaricæ familiæ autoribus, vnus est Halyabas qui sylueſtris paſtinacæ radices figura & temperamento illis aſsimilauit. Auicena. 2. canone ſemen Hormini & linguam auis his verbis ſubſtituit. Loco behen ponatur quantũ eſt ipſum Tuderi, & medietas ponderis eius linguæ auis. Caput enim Auicenę. 702. de Tuderi, eſt caput de Hormino apud Dioſcoridem, vt inueſtiganti conſtare poterit. At lingua auis, ſemen fraxini arboris eſt, quod tremori cordis cõfert & in coitu addit ſicuti & Behẽ, teſte Auicena, lib. 2. cap. 85. &. 435.

lingua auis q̃d

Pro Behẽ. Hormini tantundem.
Lingua auis pondere dimidio.
Paſtinacę sylueſtris radix.

BEN

Nux vnguẽtaria.

NVX vnguentaria quam Græci Myrobalanon & Balanõ My-

repſicon vocát, Mauritanis & officinis Ben dicitur. res quidẽ lõgẽ diuerſa à prædictis radicibus, quæ behen cũ haſpiratione proferũtur. Eſt enim ben (Dioſcoride autore) fructus arboris Myricæ ſimilis, magnitudine auellanæ nucis, albo cortice triqtro, fractu facili, nucleo intus cõferto & admodũ pingui: ex quo oleum exprimitur magni precij apud vnguentarios, non quòd aliquem odorem habeat [inodorũ quippe eſt] ſed quòd nunquã, etiam ſi ſit inueteratum, rãcorem ſentiat. Dioſcoridi præſtantius habetur recens, quamuis contrarium aſſerat Meſuæus, qui in duo genera diſtinguit, alterum maius nucis auellanæ magnitudine, quod melius cenſetur, minus verò alterum, ciceri ſimile non vacans periculo. Hallucinantur credentes ben eſſe ſemẽ cataputiæ, ideſt cheruæ. ex quo arripuerũt occaſionẽ nonnulli

Christophorus de honestis, & Quiricus de

ven agustis

vendendi oleum de cherua pro oleo de ben. Illi tamen decepti sunt vocabulorum affinitate intelligendo pro Almessus, qđ est ben, Albemesuch idest cherua, præsertim quod tam de ben quàm de cherua, reperitur magnum & paruum. Legitimum ben. (vt audio) ex Æthiopia, Ægypto, Arabia, & Iudea in Alexandriam fertur, postea Venetias vbi emi solet Auicen.2. cano.cap. proprio. Loco, inquit, ben ponitur quantum ipsum est de rubea, & medietas sui de cortice casiæ ligneæ, & decima ponderis eius de maci. Hoc tamen in medicamentis componendis intelligendũ, nam si verum ben pro oleo conficiẽdo desideretur, oleum de nuce iuglãdi vsurpabitur, Dioscoride teste libro.1. cap. de oleo balanino [hoc est de bẽ] sic ad finẽ scribẽte: Fit etiã è nuce iuglãdi oleũ qđ carynũ vocant eandem vim habẽs quã balaninum.

Almessus. Albemesuch.

Pro

Pro Ben. Rubeę tantundē cum medio pondere casię ligneę &. X. parte macis.

Pro Ben oleo. Oleum de nuce iuglandi.

BERBERIS.

QVod nunc Berberis officinis & Mauritanis vocatur, non est antiquorum. Oxyachanta, vt pleriq; opinantur ducti Serapionis sententia. Sunt quippe Bérberis ex Plateari j scriptis, fructus rotundi, aliquātulum oblongi & subnigri: quos in Hispania sępe videmus gustu acido & subaustero, punici mali acinis non absimiles. colligunturq́ue ex arbore quam recentiores herbarij Crespinum vocant, & Hispani Arlo, cuius veteres

crespinus arbor. Arlo.

veteres nullam [quod sciam] mētionem fecerunt. At Oxyachantę baccæ [quæ nostratibus majuelas dicuntur] licet sint rubrę, stypticæ & acerbę, longè tamē distāt à berberis fructu: qui præter adstrictionem, incisorius quoddammodo fit ob partium aciditatem. Sic Mesuęus confectionibus trocischorum de Berberis & Diarrodon, hunc fructum admiscet: q̃ valeat ad febres [vt ipse inquit] inflammatiuas, & ad acuitatem coleræ citrinę, & ad sitim, vt in enarratis antidotis testatum reliquit. Hinc toto cęlo aberrāt qui loco berberis, oxyachātę fructū assumūt, qui id solū pręstat [Gale. autore] vt omnibus fluxionū affectibus medeatur. Consultius itaq; visum est in defectu, mali punici acida grana substituere. nā adstringūt hęc, & ęstuāti stomacho auxiliantur, vt Dioscorides & Galenus testantur, perinde ac berberis.

Con-

Constat etiam [vt Placotomus aduertit] ribem, si ad manum sit, subiici posse, cum sint omnino eiusdẽ facultatis & temperamenti. Quę verò arbor sit illa quę ribem producit, recentiores plantarum scriptores demonstrarunt, & nobis in hortis apparuit frequenter.

Pro Berberis. Grana acida mali punici.
Ribes.

BETA HORTENSIS.

BEta [quę Hispanis Acelga vocatur] in hortis passim & cultis nascitur locis: illisq́; familiaris semper existit. Nam (vt inquit Galen.) agrestis beata nulla est, nisi vtiq; quis lapathum ita nominare velit. Betę nomen sibi adsciuit, quoniam figuram B literę Grecę dum semine turget, Acelgas. Betã cur sit dicta.

referre

referre videtur. Ea duorum generũ est, candida scilicet & nigra. Candida alio nomine Sicula, vt Theophrastus lib. 8. de historia plantarum: & Plinius lib. 19. cap. 8. memoriæ prodiderunt, appellatur. Nunc extrita litera vna, ferè omnibus nostri sæculi medicis Sicla nominatur. Galenus libro. 8. Simplicium medicamentorum betæ facultates adnotans, albam ad detergendum digerendũq; validiorem esse censet. nam nigra ad iunctũ habet adstrictionis quippiã. Et libro. 2. de Alimentorum facultatibus, rumicem pro beta supponit dicens: Rumicem, vt antea diximus, syluestrem betam posset quis appellare, cũ nõ gustu solũ verùm etiã facultate hortensi betæ persimilis sit.

Sicula

Pro Beta. Rumex.

BEDEGVAR.

Raro

RAro apud nos inuenitur planta quæ pro legitima Spina alba, siue Arabum Bedeguar posit demonstrari. Nisi forte illa sit quam Madriti videmus in pratis æstatis tempore omnino respõdens ei quę à Matthiolo depingitur. Hîc in primis animaduertát Myropolę, ne Brassauoli sententia, bedeguar & suchaha, à Syrupo de eupatorio propellát, quã do non ex adstringentibus vllis, sed meris aperientibus hunc syrupum cõstare autumat. Nam pari ratione absynthium, rosas, mastichẽ, spicã vt adstrictoria simplicia tolleremꝰ. Nec Iacobi Syluij consilium recipiẽdum, qui substituit filiculæ radicẽ, aut folia sabinæ, similes ve herbas aperientes. cum enim Mesuæus hũc syrupum composuerit ad illas curãdas febres, quibus naturalia viscera imbecilla sunt reddita, optima cõponendi methodo, tam spinam albam

quàm

quàm suchahá inseruit, vt pote quę sua adstrictione, lág uida ac infirma membra roborarent. Cuius vtilitatis Brassauolas oblitus, has herbas syrupi intentionibus aduersari, falsò contendit. Ioãnes Costa super cõfectionem aliam Hamec, substituit Carduum benedictum, aut Carlinã: Dioscorides & Galenus pro spina alba, spinam Arabicam (quæ Arabum suchaha est) reponunt. Cęterùm cũ hanc ex Orientalibus nõ habeamus, illius vice fumariam substituemus ex Auicenæ canone.2. capit. 48. de bedeoar, ideſt ſpina alba vbi sic ait:
„ Loco bedeguar in febribus ponitur
„ fumus terræ. Dixit autem in fumariæ historia, quod purificat sanguinem, & aperit opilationes hepatis, & confortat stomachum. Quas sanè proprietates cuncti medici syrupo de eupatorio adscripserũt. Sed quod hoc decretum ad mentem Galeni

fit, eiuſdem verba libro ſeptimo de Simplicium medicamẽtorum facultatibus, apertiſsimè demonſtrant quę ſic ſe habent: Capnios hoc eſt fumus, acris ſimul & amarę qualitatis eſt particeps, nec tamẽ plane expers eſt acerbæ. Quamobrem vrinam biliosam multamq́; prouocat, ſanatq́; iocinoris obſtructiones & debilitates. Poſſent ſimiliter Caryophillatæ radices ſupponi, vt Matthiolus lib. quinto ſuarum epiſtolarum annotauit, odore enim alijsq́ue facultatibus maximê conueniunt, adeò, vt ſpinæ albæ & Arabicę vires omnes nanciſcantur.

Pro Bedeguar,	Suchaha.
	Fumaria.
	Caryophillatę radix.

BITV-

SVCCEDANEA BITVMEN IVDAICVM.

asphaltos. Bitumē[quod Asphaltos est Græcis] optimum cæterisq́ue anteponendum, Iudaicum fore censent autores: quod è lacu cui mare mortuū nomen est, elici solet. Legitimum bitumen vix in Hispaniam aduehitur pro Theriaces antidoto conficienda. cuius ꝓbatio est vt purpuræ modo splendeat, sitq́ue ponderosum, ac validum odorem vibret. Illud autē quo officinę vti solent, impostura potius quædā est, pice, petroleo, & alijs parata. Credūt nōnulli veri Asphalti d̄fectu, mumiam vulgarē substitui pòsse. Nam in Syria pauperes mortui, bitumine implentur ad extrema vsque ossa. quo nimirum huius temporis mumiam condiri asserūt. Vtilius multo videtur genuini bituminis penuria, picem siccam reponere ad Galeni mentem, qui libro. 11. Simpliciu.

probatio bituminis.

plicium medicamentorum, easdem vires tribuit bitumini, quas libro. 8. pici concesserat. Et libro. 3. capit. 8. Methodi curatiuæ, resinam ait picẽ & asphaltum modicè siccare & immodicê calida esse. Conferens etiam Galenus siccam picem cum liquida, siccã ait glutinandis vulneribus magis congruere, id quod de bitumine quoq; promulgauerat. Accedit Auicenæ sententia canone.2.cap.118.de bitumine Iudaico sic scribẽtis: Virtus eius proxima est virtuti picis.

Pro bitumine Iudaico. Pix sicca.

BISTORTA.

NEmo hactenus, quod sciam, indicare potuit quo nomine veteribus medicis appellata sit herbariorum Bistorta: sic dicta quòd radice contorta nitatur. Alijs vero serpentaria, quoniam radice sit serpentis

iacentis modo contracta. Cęterùm non desunt qui Britanicam esse censeãt in Dioscoride. Sed eorum error multis testimonijs facilè deprçhenditur, vt vtrasq; herbas acri iudicio scrutanti, constare poterit. Duo bistortę genera non multũ variantia reperiuntur, eiusdemq́ue facultatis: Vnũ quod lęuibus folijs & radice in se contorta constat: masq́ue appellari solet: alterum rugosioribus folijs maioriq́ue radice & minus intorta, ac multum cappillata videtur: fęminaq́; constituitur. Huius plãtę vsus est hoc tempore in Diascordio Fracastorij apud nostros pharmacopolas. pro qua Tormentilla subijci potest. Compertum enim est apud herbarios, tormentillam ijsdem pollere facultatibus, quibus Bistorta prędita est.

Bistorta non est britanica

Bistortę duo genra.

Pro Bistorta. Tormentilla.

BLATTA BYZANTIA.

COnchylij tegumētū suauis odoris in nardiferis paludibus proueniēs, Onyx Dioscori. est Latinis vnguis odoratus, ꝙ habeat in se permixtū candorē in similitudinē vnguis humani. Paulo testa siue cōchula Indica dicta videtur, vt ab alijs secernatur. Quāuis Leonardus ille in suis ad Nicolaū Myrepsum annotationibus in cōpositione Aureæ Alexādrinæ, vbi ipso vertēte legitur ossis anterioris nariū purpuræ, scribit nihil aliud id esse Nicolao, quā quod Actuario & alijs posterioribus blatta byzantia dicitur: differreque blattam ab onyche, quod onyx conchilij sit tegumentum, blatta autem os anterioris narium purpuræ. Sed errat quoniam Serapioni & Auicennæ (quorum nomina & tam simplicia quàm composita medicamenta vt ipse fatetur, recentiores Græci

Vnguis odoratus.

Leonardi lapsus.

sæpius vsurpant) nil aliud significat blatta, quàm Dioscorid. Onyx, Latinis vnguis odoratus. Item quia purpurarum os tam oris quàm narium siue testa, nullo odore cõmendetur: nec vt vnguis odoratus inter odoramenta recenseatur. Ostendi solent quædam conchylia pro vngue, quæ accensa non redolent, sed potius fætent. Quapropter si veris blattis careamus, purpurarum ac buccinorũ testas supponemus, quæ passim in manibus Lusitanorum reperiũtur, id quod Dioscorides cõfirmauit cap. de onyche sic scribens: Crematũ con
» chylium eadem efficit quæ purpura
» & buccinum.

Pro blatta byzantia.	Purpuræ & buccinorum testæ.

BOLVS.

BOlus in confectione trocischorũ de Alchechengi Mesuæi, ubrica

veterum est, quæ bolus simpliciter & bolus Armeniacus vulgaris & cõ munis apud nos nascẽs dici solet, nõ autem vera bolus Armeniaca. nã sic bis in eadem compositione (quod absurdum foret) repeteretur. Quid autem sit legitima Armeniaca bolus, docuit euidenter Galenus lib. 9. de Simplicium medicamẽtorum facultatibus cap. de terra Samia his verbis: Cæterùm durãte hac immani & ,, graui peste, allata ad me terra est ex ,, Armenia ea quæ Cappadociæ finiti ,, ma est etiam siccantior colore palli- ,, do. Lapidem qui donabat, non ter- ,, ram appellabat. promptissimeq; in ,, læuorẽ soluitur ceu etiam calx. &c. ,, Bolus hæc siue terra, lutum Armenũ Serapionis & Auicenæ interpreti appellatur. Cuius loco poterit terra Lemnia succedere: quam bolum Armenicum Orientalem vocant. qui ruber est nec ex Armenia delatus.

verò si bolus non esset rubrica; vice illius quælibet rubricarum substitui posset: præsertim sinopica, quæ (vt Dioscorides scribit) vim habet exiccatoriam, obstruentem, & adstrictoriā. Quapropter vulnerarijs emplastris, pastillis exiccantibus & adstrictorijs commisceri solet. Quam sententiam, eisdem ferè verbis Ætius adscripsit cap. de Rubricis. Quod si maluerit quispiam bis rem eandem inijcere in compositione illa, bolum ipsum Armenum adhibebit, qui easdem vires obtinet.

Pro Bolo. Rubrica Sinopica.
Pro Bolo Armē. Bolus Oriētalis siue terra Lemnia.

BVRVNGI.

DVbium est in Anacardina confectione, quid pro Burūgi sit impo-

ponēdum. Nam Luminare cubebas interpretatur. Valerius Cordus semen erucę Burungi loco miscet. Iacobus Syluius & Carolus Clusius, Melanthium siue nigellam subijciunt. Alij Mellisophyllon id est melisam per hanc vocem significari cōtendunt. Cæterùm quamuis prædicta Simplicia quæ Burungi loco reponũtur ab autoribus, memoriæ cōferant, credimus tamen constanter, Doronicũ pro Burungi adhibendũ esse. Siquidem Doronicũ (Auicénæ & Serapionis testimonio) cor mirificè roborat, animumq́ue hilarem reddit. Accedit quod medicamenta quę Cordialia vocantur potestate tamen calida, plurimũ faciunt ad cerebri morbos: quoniam spiritus attenuant, clarioresq́ue reddunt ex medicorum omniũ consensu. Prętet id qđ (vt optimè suspicatur Matthiol9

libro. 5. suarum doctissimarum epistolarum) Durungi, non autem Burungi legi debet in illa confectione. Facilis enim fuit Calcographi lapsus, qui D, in B. vertit. Durungi verò apud Auicenam. 2. canone, doronicum est, vt cõstat.

Pro Burungi. Doronicum.

BRIONIA.

Ampelos. Vitis alba. Cucurbitina Nueza. Viticella. Alfesericõ

OFficinarum Brionia, siue Cucurbitina, Græcis Ampelos dicitur Hispanicè Nueza, Vitis alba Latinê appellatur, vt distinguatur à nigra. Huius maximus est in medicamẽtis vsus, vt apparet in vnguẽto Aggrippa Nicolai, quod brioniam recipit, & in vnguẽto Citreo Nicolai Alexãdrini cap, 1039. sub nomine Viticellę & in vnguento Alfesericon Mesuęi, in quo vox hæc Arabica, brioniam signi-

significat, vt constat apud Auicen. 2. canone. Quamuis in cōfectione alia Alfesericon eiusdē Mesuæi, nō rem simplicē significet, sed compositionē quandam ex lithargirio, chalchāto, & aceto, quam Fasuricon nuncupauit ipse Auicena. 2. canone cap. 280. Fasuri con.
Galenus libro. 6. de Simplicium medicamen. faculta. vitem nigram pro alba his verbis substituit: Vitis nigra quæ proprie brionia vocatur, supradictæ (hoc est albę) similis est, sed ad omnia imbecillior. Hinc admirari licet Conrradum Gesnerum libro de medicinæ chirurgicæ præstantia, Galen. hac in parte notantem quod (vt illę inquit) vitis albę radix non vrat, nigræ verò caustica sit. Ex quo palam prodit suam ignorantiam in cognitione vitis nigrę, siquidē prętęr Gręcos, Arabes quoque omnes eadem posse consentiunt tam albā quam nigram vitem.

Pro Brionia seu vite alba. Vitis nigra.

BVGLOSSVM.

DVæ sunt plantæ linguæ bubulæ similes: altera borago nominatur: altera Lingua bouis. Prima in hortis nunc frequẽtissima, ipsissimũ est antiquorũ buglossum & vulgaris borraja. Huius boraginis species est alia secũda, quam officinæ & nos buglossam, & Linguam bouiná, & Alcoheia passim appellamus. Cuius radices cum saccharo condiũtur hodie, vt pote crassiores, contra syncopim & melancholię morbos. An verò officinarũ buglossa Cirsiũ antiquorũ existat, alterius est speculationis; proinde ad pręsens ea consultè omittemus. Cæterũ melius fuerit cũ buglossũ ad vsum adhibemus, boraginẽ potius, quã vulgaré & cãpestré buglossam recipere. Quę tamẽ (deficiẽte boragine) cõmodè in vsum ver

Borrago. Borraja. Linguabouina. Alcohela. Cirsiũ

tetur. Cuius rei testimoniũ vel ipse prębuit Mesuæus, qui in syrupo de Bisanzijs: & in alio Saporis Regis. succũ buglossæ domesticæ aut syluestris indifferenter admisit, vtramq; buglossam complectẽs, quòd eiusdẽ sint facultatis, Buglossum vtrunque folijs & flore efficatiꝰ operatur, quáuis radice non inutile sit.

Pro Buglosso. Lingua Bouina vulgaris.

C

CALAMVS AROMATICVS.

ARũdo odoratissima quę quibusdã Asiæ maioris lacubus diũ siccãtur enascitur, nomine calami odorati passim in medicamẽtis vsurpatur. Multi crediderũt officinarũ calamũ odoratũ, esse legitimũ acorũ: eo potissimũ argumẽto ducti, qđ radix potius quã calamꝰ appareat. nõ attẽdẽtes qđ tametsi radix & nõ calamꝰ videatur, genuini tñ calami odorati

radix ſit. Neque enim ęquum eſt vt acorum habeamus, calamum nō minoris pretij denegare. Cęterùm quū de hac re adhuc ſit iudicium & controuerſia, & acorum in multis, à legitimo calamo aromatico differat· nō ſunt audiendi qui vulgarem calamū odoratū, pro vero ſubijciunt. Ideoq; in penuria, juncus odoratus ſupponetur ex Gale. mēte: in octauo enim Simplicium medicamentorum volumine, eadem ad verbum ſcripſit de odorato junco, quæ in ſeptimo de calamo exarauerat. Serapio verò inter Arabes, capite Simplicium ſuorum. 186. de laſſahaten [quo nomine narcaphton Græcorū nuncupat & Hi-
almea ſpanorum Almea] id ipſum his verbis ſubſtituit: Laſſahatem virtutem
„ habet calefaciētem: fiunt cum eo fu-
„ migationes: & ponitur in confectio
„ nibus vnguentorum, & alijs calefa-
„ ctorijs. habetque virtutem ſimilem
„ virtuti calami aromatici.

Pro Calamo Aromatico. Iũcus odoratus.

Narcaphtũ.

CAMPHORA.

POsteriores Græci, & Maurorum quidam caphuræ meminere (quá Hispani Alcanfor vocant) atque lachrymam Indicæ arboris esse dixerunt de genere ferularum. Alij nostri temporis scriptores, arborem iuglãdi comparant, nisi quod folia salicis habeat, ex qua gummi resudat, cuius duplicem differentiam faciunt, vt scilicet altera sit pręstãtior quę ex Burneo deferatur, altera ex Chyna minoris pretij, quę ad nos defertur, & per tempus euanescit. Cãphorę vsus est in Electuario de succo rosarum Nicolai, in Diatragachãta eiusdem, & in Ceroto santalino Mesuęi, â quibus non debet vulgaris camphora propelli, potissimũm si ex Burneo sit al- Alcãfor.

allata. Nam tametsi ei adsint caloris inditia, effectus tamen refrigerandi præstat, vt multa alia quæ cum inflamari facilè uideantur, infrigidare sunt apta. Omnino tamen deficiẽte, santala rubra substituem9, iuxta Arnaldi scripta in prohæmio Antidotarij vbi ait: Medicamen componitur interdum quatenus remittat excessum miscibiliũ propter quod ponitur camphora in electuario Pliris, vel santalus rubeus commodius, vt aliorum mitiget caliditatem. Et infra in eiusdem electuarij descriptione inquit: Camphoræ, aut magis vtiliter Santalus rubeus.

Pro Cãphora. Cãphora Burnei. Santalus ruber.

CARDAMOMVM.

Carui agreste. Dioscoridis Cardamomũ, Carui agreste vocauit Serapionis inter-

pres errore magno: & Auicénas Cordumeni. Quamuis ambo autores in alijs capitibus de quibusdam granis Cacollaa siue Sacolaa appellatis scripserũt: quę placuit interpreti Cardamomũ appellare: & in maius & minus partiti sunt: quorũ Græci nõ meminerũt. Theophrastus refert alios ex Media putare, alios ex India cum amomo atq; nardo & plurimis id genus aduehi, simileq́; esse toto frutice amomo, semine oblongo Plinius quatuor species Cardamomi enumerauit, cum Dioscorides vnius tantũ mentionem fecerit, quo nunc carent officinę nostræ. Siquidem, vt doctissimus pariter & diligentissimus Matthiolus probauit, omne officinarum Cardamomum, maximè differt ab Arabum & Gręcorũ Cardamomo. Quo fit, vt pharmacopęi in componendis medicamentis valdê

valdè errent quòd cardamomi loco varijs ſeminibus ſed odoratis indiffe renter vtantur. Cum igitur hoc tem pore tanta ſit circa Cardamomũ cõ- fuſio vt vix ſcriptores conueniant placuit nõnullis illius vice, Cyperũ aut Myrtum ſupponere, iuxta illum autorem Galeno adſcriptum de ſub ſtitutis medicinis. Attamen cum cõ- trarijs hęc conſtent facultatibus, nec planè reſpondeant ijs, quę à Galeno de Cardamomo ſcribuntur, non eſt ꝙ illa tuto in medicamentis recipiã tur pro eo. Quare multò melius exi- ſtimamus, vt Cardamomi exquiſiti loco, illud quod officinæ Cardamo- mũ maius appellant vſurpetur: quia aromaticam quandam acrimoniam, necnon amaritudinem etſi obſcurã habet. Aut ſi quem pigeat citra au- torum legem operari, veri Cardamo mi vice, Harmel & Squinantum pa ri pondere recipietur ex Auicennę

decre

decreto. 2. can. cap. 160. de Cordumeni vbi ait: Loco eius ponitur Harmel & Squinatum. Id quod firmum erit & perpetuum, in Arabum saltē compositionibus.

Pro Cardamomo. Cardamomū maius officinarum. Harmel & Squināti par pondus.

CARPOBALSAMVM.

FRuctus arboris balsami quē Carpobalsamum dicunt, odoratior est sua lachrima si Theophrastro credimus cap. 6. lib. 9. de historia plantarum. Quomodo autem hoc & reliqua quæ à Dioscoride dicuntur cum vulgari carpobalsamo conueniant, vel çeci consumati saporis iudicabunt. Sūt qui carpobalsami loco, seu coi radicem supponendam censeāt,

eo quidem argumēto, quòd ita scriptum reperiant in libro Galeni de Substitutis medicamentis. Verùm cum nusquam in legitimis Galeni libris inueniatur hic autor, si desit carpobalsamum, leucoi radicem, cui nulla prorsus inest qualitas neq; facultas substituere, ineptissimum videtur. Quare genuini carpobalsami defectu, cubebę vulgares rectius supponentur. Nam si mandantur, mordent gustum, feruentes in ore percipiuntur, & aromatis saporem referunt. quas omnes facultates carpobalsamo inesse Dioscorides testatū reliquit.

Pro Carpobalsamo. Cubebę officinarum.

CARPESIVM CVBEBE.

Car-

CARPESIVM Galeno autore libro de Antidotis primo, herba est similis Valerianæ, quæ in Sida Pãphiliæ vrbe nascitur tenuia emittens sarmenta cinnamomi virgultis similia. Huius (quòd sciã) nullibi meminit Dioscorides. Quamuis Galenus duo genera constituerit: vnum quod Laertium: alterum quod Põticum cognominatur, à mõte in quo nascuntur vtraque nomen adepta: quorum Ponticum melius est. Sed quid hodie sit carpesium, arduum sanè videtur nobis. Tametsi Mauritani autores (inter quos est Auicenna & Serapio) cum de cubebis loquuntur, Galeni carpesium omnino depingunt. Constat tamẽ ex Galeni descriptione in carpesio, vulgares officinarum cubebas similes granis piperis (quarũ meminit Plateanius & quibus nunc vtuntur in componendis medicaminibus) lõgê differre.

Carpesij duo genra.

Cubebe Arabũ nõ differũt à Carpesio.

ferre à cubebis Serapionis ac Auicẽnæ & à Galeni Carpesio. Quandoquidem qui dixerit cubebas plantæ Carpesij fructum vel semen esse, illorum reperimus neminem. Præter id quod gustantes nos vulgares cubebas, nullum prorsus Phu saporẽ deprehẽdimus. Igitur vbi apud Græcos Carpesium medicamentis admixtum reperitur, & cubebæ apud Mauritanos, Phu, idest valeriana (cũ sit Carpesio in omnibus simile) vel casia potius quàm cubebæ vulgaris vsus, erunt subijcienda. In cuius rei testimonium est Galenus lib. 7. Simplicium medicamentorum, his verbis: Carpesiũ simile est vocato Phu-
" non gustu tantum sed & facultate,
" & plus habet tenuitatis. Et libro de
" Antidotis. 1. inquit: Cum plurimum
" haberem carpesium, multis medica-
" mentis admiscui in quibus Phu im-
" poni debuerat. Est enim carpesium
phu

phu ſimile validius tamen & quali- „
tatem quandam aromaticam, guſta- „
tum odoratumq́ue remittens. At li- „
bro. 1. de Antidotis inquit: Quintus „
(vt aiunt) quoties cinnamomum de- „
erat, carpeſium vt quòd viribus ni- „
hil ab optima caſia differret, in The „
riacæ compoſitione imponebat. „

Pro Carpeſio. Valeriana.
Caſia lignea.

CASTORIVM.

GAlenus libro vndecimo de Simplicium medica. facul. teſticulos Caſtoris, Caſtorium nuncupari tradit, medicamentum celebre & multi vſus. Vulgus medicorum & pharmacopolarum, quod in officinis habetur hodie, ipſius animalis teſtes eſſe conſtantiſsimè affirmat: cum tamen (vt quibuſdam placet) renes po-

" tius eiusdem videantur contriti, far-
" ctis inde testium folliculis. Cuius si-
" gnum esse dicunt, nimiã eorũ magni
" tudinẽ: quum legitimi, parui admo-
" dùm sint, & dorso ferè inhęrẽtes, vt
" naturalium scriptores testantur. At
" verò si perspecta magnitudinẽ vsita
" ti Castorij, legitimum esse nolimus,
pro vero tamen vsurpari posse con-
stanter fatemur cum Rondoletio ca
pit. 8. de amphibijs animalibus. ait
Fibri. enim quod Fibrij, idest Castores, ge
minos habent pręter testes in ingui-
nibus tumores, vtrinque vnum mẽ-
brana sua cõclusum oui anserini ma
gnitudine: è quibus exudat liquor
pinguis & cerosus. Vnde infert nihil
aliud esse castorium nostrum, quàm
tumores hos exectos atq; exiccatos,
tunica vt scroto inuolutos, vtiliterq;
in testium vicem reponi: Adeóque
verum esse prædicat, vt facilè credat
veteres autores, ipsos potius tumo-
res quã

res quàm testes vsurpasse. Cùm illorum absceßuum liquor, liquidior sit tenuiorumq; partium quàm ipsorũ testium: quod saporis odorisque maior acrimonia declarat. proinde in remedijs extrinsecus adhibitis efficacior erit: in his verò quæ intra sumũtur, vis minuẽda pro affectus ratione. Ætius sermo. 2. tetrabibli primæ cap. 178. testes fluuiatilis canis substituit dicẽs: Canis fluuiatilis testes ad eadẽ cõmodi ad quę Castoris testiculi existunt, sunt tamẽ debiliores. Cæterũ canis fluuiatilis, vt aiũt, est Nutria vulgaris: quam Plinius Lutram appellare visus est, cum libro. 8. cap. 3. Lutrę speciem Castorẽ esse scribit caudamq; piscium esse ijs cętera species lutræ. Non est hic prętermittendus autor ille Galenicus Succedaneorum, qui blattæ pristinariæ (quã vermem panarium alij dicunt) intestina pro Castorio ponit.

nutria lutra.

autor succedaneorũ Galen taxatur.

Est id animalculum multipes, pani & farinæ peculiare, quod Gręcis Syl phi dicitur. Vnde hallucinati sunt nonnulli Galeni interpretes, qui in illo libello, Sylphium pro Castorio substituerunt, id est lasserpitiũ Græcorum, nominum affinitate fortassis decepti. Hinc etiam arripuerunt occasionem nonnulli ex pharmacopæis Theriacæ concinnatores, assam fętidam siue lasserpitium pro Castorio subijciẽdi. Inter alia enim in quibus non conueniunt, in hoc etiam repugnãt, quòd assa flatus & tormina gignit, Castoriũ verò dissipat ex Galeni & Dioscoridis scriptis. Redeundo tamen ad autorem illum Succedaneorum, cum nõ eadem de verme panario, quæ de Castorio scripta reperiãtur, parùm aut nihil illi tribuẽdum censemus.

Blata pristinaria quid.

Pro

Pro Castorio. Vulgare Castoriũ.
Canis fluuiatilis
testes.

CADMIA.

Cadmia fossilis & naturalis, reliquis est multo prestantior, & verus lapis calaminaris, qui Hispanis Calamina y piedra calaminar dici solet. At factitia quæ ex ære in fornacibus candẽte fuligine egesta flatu gignitur, & lateribus fornacum inhærente, haud dubiè cadmia botrytis Dioscoridis est: officinisq́ue omnibus malè tucia appellatur. Hęc enim legitimo nomine pompholyx est. Paulus Leucographim Ægyptiam pro cadmia supponit. Sed Leucographis non est herba vt Plinio visum est libro. 27. cap. 11. de leuce alijsq; herbis pertractãti: quibus leucographim

Calamina. piedra calaminar

Leucographis. Plini. nõ lapis sed herba est.

phim quoque annumerauit. Quam tamen Dioſcorides libro quinto, & Galenus vndecimo Simplicium medicamentorum, genus eſſe lapidis in Ægypto teſtantur, quod alio nomine Moroxus, Galaxia, & Schitus nũcupatur. Et quo magis errorem detegeret: eaſdem vires & proprietates leucographidi Plinius adſcripſit, quas in eiuſdem nominis lapide, Dioſcorides Galenus ac Paulus ſimiliter retulerunt. Poſſumus nos pompholygem, vice cadmiæ naturalis in medicamentis apponere, ad Galeni mẽtem libro Simplicium nono, vbi eadem poſſe cadmiam, pompholygẽ & ſpodium, ſuis capitibus euidenter oſtendit.

Pro Cadmia.	Pompholyx.
	Leucographis lapis.

Can

CHANTHARIDES.

IN vulgaribus antidotarijs scriptũ reperimus vnguentum ex Cantharidibus ex Nicolo Florentino cap. de Saphati, tinea, & pustulis: & apud Mesuæum sub nomine Altaranhel. Sunt autem cantharides vulgata animalia, nomine à cantharo (qui Latinè Scarabeus est) deducto, Hispanis vero Abadejos y Cubillos nuncupapantur. Reperiuntur frequentissimè in Hispania non modo inter frumenta, sed in arboribus quoq;. Præstãt variæ in colore, solidę recẽtesq;: nam inueteratæ facilè cariem sentiunt. Quales demùm esse oporteat, quotq; partes sint ad vsum recipiendę, dilucidê monstrauit Galenus libro vndecimo Simplicium, & quarto de victus ratione in morbis acutis, super hydropicorũ poculũ. Cãtharidum penuria, buprestes & pinorum

Altarãhel.

Cãtharides vnde dicantur.

Abadejos. Cubillos.

norum erucæ ſupponuntur. Nã vbi de Cantharidibus, Bupreſtibus, & pinorũ Erucis locutus eſt, ſtatim ſub-
„ dit: Vis omnĩũ erodere, vlcerare, ca-
„ lorem elicere. Idem confirmauit Galenus libro. II. Simplicium citato ſe
„ quẽtibus verbis: Sunt & ipſę anima
„ lis quoddam genus cantharidibus tũ
„ ſpecie: tum viribus adſimile. Quim
„ & erucę quę in pinis naſcuntur, me
„ ritò ſanê nuncupatæ Pytiocampe,
„ iſtius ſunt facultatis.

Pro Cantharidibus.	Bupeſtres.
	Erucę pinorum.

CHALCITIS.

Chalchãtũ. Atramẽtũ. ſutor.

VVlgaris chalcitis quam nunc habemus, nihil aliud eſſe creditur quàm verum chalcantum, atramentum ve ſutorium ſiue vitriolũ Mauritanorum & officinarum, quod Hiſpani

ſpani Caparroſam vocant. Cum tamen chalchantum in chalcitim tranſeat vetuſtate (vt ait Galenus libro Simpli. 9. & in eiſdem venis vtrunq; inueniatur, pro chalciti (quæ & lapis ærarius alio nomine dici ſolet) chalchantum noſtrum ſupponetur rectê: aut Myſi ſubijcietur ſi ad manum ſit. Nam [autore Dioſcoride] Myſi vim habet & vſtioné cũ chalcitide eandem. Et Galenus libro nuper citato, vidés ſuper chalcitim naſci Myſi vt ærugo ſuper ęs, mirum inquit videri non debet tria hæc medicamina eiuſdé genere facultatis eſſe, Myſi, Chalcitim, & Sori, tenuitate & craſsitudine partiũ inter ſe diuerſa.

Vitriolum. Lapis ærarius Caparroſa.

Pro Chalcitide.	Myſi.
	Chalchantũ.
	Sori.

CAMBIL.

Para-

SVCCEDANEA

PAratur hoc tempore in officinis medicamentum quod vulgus chirurgorum & seplasiariorum improprie mundificatiuum ossium appellitat. Quam compositionem primùm memoriæ prodidit Auicenna quarto canone Fen. quarta, capit. vndecimo đ cura ossis corrupti. Ex quo postea transcripsit Guido de Cauliaco. Vix autem est in comperto quid verè si Cambil. Nam Auicẽna secũdo canone, semen ait esse arenosum. Serapio arenæ similem facit, capit. 68. de Simplicibus ex plantis. Guido terram rubram minutam interpretatur in eadem compositione. Quidam ex recentioribus, Arabum Cambil seu canabel, terram Eretriẽsem Græcorum esse autumãt. Cum igitur non satis constet quid legitimum sit canabil, minimè erroneum existimauerim illius loco chalcitidem imponere. Auicẽna enim de col

Eretriensis terra.

cotar,

cotar, ideſt chalcitis, ſcribens & Serapio de vitriolo, eaſdem vtrique facultates tribuunt paulo plus minusve. Accedit (ſi alicuius ponderis eſt) Bertapaliæ teſtimonium cap. de oſſe corrupto, qui medicamini cõmemorato, vitriolum aduſtum iniecit, cambil autem vt ignotũ ſubticuit. Poſt hęc in mentem venit Andreæ Bellunẽſis ſuper Auicenam interpretatio qui pumicem [ideſt piedra pomez] exponit, cuius vſtioné docet Dioſcorides. Sed quod optimè pro Cambil inſeruiat Pumex, ex ipſius facultatibus elicies, habet enim abſtergendi vim maximã & vlcera explẽdi.

Piedra pomez.

Pumicis vſtio.

Pro Cambil. Pumex uſtus.
Chalcitis vſta.

CANCHRIS.

Ma-

MAximi olim vsus fuit in medicina semen primæ roris marini speciei: eiusque mentione scatent veterum medicorum formulæ. Vocatur id cãchrys, vt cõstat apud Theophrastum lib. 9. de historia plantarũ cap. 12. apud Dioscoridẽ lib. 3. apud Pliniũ libro. 24. cap. 11. & apud Galenum libr. 5. cap. 9. de Compositione pharmacorum secundum locos. Differt verò cãchrys â cachry ex eo quod cachrys est quodam peculiare parturientis arboris inditium, quod nec fructum nec florem propriè dixeris. Plinio pilula dicitur qualis in abiete, platano, picea, & alijs permultis videre licet, in medicina vtendi vim habens: vt ipse inquit lib. 16. capit. 8. Quãuis non desint qui vtrũq; confundant pro eodem accipientes. Cæterũ canchrys inopia substituit Ætius tantundem Pyrethri lib. 12. cap. 5. in Leæna emplastro sic scribens:

Canchrys à Cachry differẽtia.

bens: Canchryos vnciam vnam acci ,,
pito, aut pro eo Pyrethri tantūdem. ,,
Et libro. 8. cap. 65. de pectore suppu
ratis, præter pyrethrum, staphim
agriā (auarraz vulgo vocatur) sup Auar
posuit dicens: His addatur ros mari- raz.
ni semē cāchris appellatum, aut py ,,
rethrum eius loco, seu staphis sylue- ,,
stris. Et lib. 9. cap. 34. in epithemate ,,
ex baccis lauri ad colicos, sic scribit:
Quod si canchris nō adsit, pyrethrū ,,
conijce. ,,

Pro Cāchri. Pyrethrum:
Staphis agrię semē.

CALAMINTHA MONTANA.

EX tribus Calaminthę generibus, primam quæ montana appellatur, efficatior est Galeno autore libro. 7. Simplicium medicamētorū,

talisq; eligi debet cum absolutê describitur calamintha, vt in confectione Diacalamintha apud Galen. lib. 4. de sanitate tuenda. Secunda propriê Nepeta vocatur Latinis, vt inquit Dioscorides, Hispanis Nebeda. Qua vt plurimũ officinę nostrę pro suo Calamento vtuntur. Sicq; Nicolaus Nepetam habet in vnguento Aragõ. Tertia quæ viribus inferior est, fluuialis vel aquatica dici cepit: cuius meminit Mesuæus in Diacalamento, tum fluuiale, tum etiam mõtanum calamentum accipiens. Quãuis Siluius in sua vocum aliquot interpretatione, per fluuiale calamẽtum Mesuæi, mentastrum intelligat, & per Calamintham hortensem Galeni. 6. per locos, cap. 1. vulgarem mẽtam, quæ nobis, yerua buena dici solet. Sed cum magna societas sit inter Mentam, Mentastrum & Nepetam, mirum non est misceri quandoque ab au-

Nepeta. Nebeda. Calamẽtũ.

Hortẽsis calamintha Gale. qd.

ab autoribus earum & species & nomina, sicut testatur Hermolaus in corollarijs. Hinc Paulꝰ aut quisquis sit tandem lib. 7. in Succedaneis, calaminthæ penuria, métam sylueſtré non perperam reposuit, quæ verum est Dioscoridis Métastrum. Poterit similiter Gattaria herba vulgo appelata, vrticæ folijs simillima subiti tui: cuius ingés copia est in regijs viridarijs. Est quippe facie & facultatibus, alijs Calaminthę generibus admodum vicina. Gattaria.

Pro Calamintha montana.	Nepeta vel fluuialis.
Pro Calamintha.	Mentastrũ & Gattaria.

CHAMEDRYS.

Trissa go. Quercula minor

GRæcorum Chamedris ea planta est quæ Latinis Trissago vocatur, alijs Quercula minor. Semina chamædryos commemorauit Andromachus cum Theriacam describit, vt cõstat apud Galenum libro. 1. de Antidotis. Meminit etiam huius Nicolaus Myrepsicus in vnguento Martiano, & Nicolaus in Hiera logodion. Herba est non vbique proueniés, quamuis abunde reperiatur prope cænobium Franciscanorum Castaneti non procul à Toleto, & in alijs montuosis locis. Auicenna. 2. canone cap. 136. in Chamædrys penuria, folia eupatorij & scolopendriæ substituit sic dicens: Loco eius ponũ„ tur folia eupatorij, & scolopendriæ,„ Id quod de suo eupatorio intelligendum venit, quod facultatibus Chamædrys omnino respondet, vt facilè deprehendent qui historiam eupatorij adulterini (quod eupatorium èst

Aui-

Auicénæ) apud recentiorum herbariorum libros accuratê perlegerint.

Pro Chamædry. Eupatoriũ Auicennę.
Scolopendriũ.

CHAMÆPYTYS.

Chamæpytis siue aiuga, Apuleio Abiga, quibusdã iuaartetica & muscata dicitur, & in nonnullis Hispaniç oppidis Pinillo, y yerua del Clin, cuius potissimus vsus est in Andromachi Theriaca. Dioscorid. tria genera constituit, rei herbariæ peritissimis valde nota. Inter quç primũ folijs semperuiui minoris, flore coloris lutei, & radice cichorij magis cõmendatur: quamuis reliqua duo in illius locũ succedere possint, sic Dioscoride scribente: Vim superioris ob„ tinent hæ duæ, sed non vsque adeo „

Aiuga Iua artetica. Pinillo. Yerua dl clin

„ efficacem. Similiter Gale. lib. 8. Simplicium medicamentorum, chamępitis in vniuersum facultates recenset, nulla specierũ facta distinctione.

Pro Chamæpyti. 1. Alia duo genra.

CERA PONTICA.

DIoscorides lib. 2. ceram natione Ponticam optimam statuit aut Creticã. Cera alba quę suapte natura talis prouenit, Pontica nominari consueuit autore Galen. libro. 1. de Compositione pharmacorũ per genera, licet aliunde proueniat, quòd plurima in Ponto alba nascatur, alijs in regionibus paucissima. Ponticæ cerę inopia, alias cerę differẽtias apponit Galen. libro. 8. de compositione secundum locos cap. 1. pro ceratis & emplastris quę forinsecus imponuntur, ait vero: Cera si non Ponti-

ca amara tibi in promptu ſit, aliam „
Ponticam conijce. Et neque illa præ „
ſente, eam quę Tyrrenica appella- „
tur. Si verò neque hæc ad ſit, aliã ali „
quam odoratam & pinguem, ſi neq; „
talem habeas, eam quam habere po- „
tes lotã adde: lique fiat autem in du- „
plici vaſe. Aduertendum tamen eſt „
quod in componendis medicamen-
tis mordacitatis omnis expertibus,
fugienda eſt ea cera (vt ſcribit Gale
nus libro quarto Simplicium capit.
ſexto) quę ex acri thymoſoque mel-
le conficitur. Ad quem vſum idonea
erit ex melle tum aquoſiori, tũ dul-
ci, talis eſt cera alba virginea vocata
ſpõte producta, atq; ex nouis fauis ſe
parata. alioqui alba factitia eligẽda,
cuius faciendi doctrinam, Dioſcori-
des proprio loco recẽſuit. Huius de-
fectu, recẽtiſsima dulcis aqua lota ac
cipienda erit. Nà ea ratione à melle
contractam acrimoniam deponit.

Sed ceræ lauationem habes apud Galenum libro.2. cap.15. de Simpliciũ medicamentorũm facultatibus.

Pro Cera Pōtica. Cera alba electa.
Cera odorata & pinguis.
Cera quęuis lota.

CHARTA COMBVSTA.

ANtiqui ex Papyro arbore chartas factitabant, quemadmodum nostri ex contritis linteis. Cæterùm nostri vsus charta quę ex veteribus conficitur linteis, ijsdem non pollet facultatibus, quibus ea cõmendatur: quam veteres ex Papyro parabant. Quo fit, vt dubiũ videatur qualiter parari posśit celebre illud Galen. medicamentum de Charta combusta, v. ceribus malignis vtilisśimum. Itéq;

pasti

pastillus Faustini à Paulo lib.7.traditus. Pro qua ad Galeni mentẽ, anethũ vstum supponemus, vt ipse monstrauit lib.5.de Medẽdi methodo ad finem, cùm de vlceribus pudendorũ sic scribit. Siquidẽ medicamẽ quod „ ex papyracea charta combusta fit, „ hoc scilicet nobis vsitatum, id genus „ vlcera sanat: sicuti etiam anethum „ vstum simili modo inspersum. Quã „ sententiam confirmauit libro.6.Simplicium medicamẽt.his verbis: Ane „ thum vstum tertij ordinis tum ex- „ calfacientium, tum exiccantium fit, „ & proinde vlceribus nimis humidis „ mollibusq; prodest, potissimùm ijs „ quæ in præputio sunt inueterata, ea „ probè cicatrice includit. „

Pro Charta combusta. Anethũ vstũ.

CERVSSA.

SVCCEDANEA.

FActitia res est cerussa ex plūbo, quomodo Dioscorid. docuit. Ex

Sādix. qua etiam Sandix paratur. Cerussa enim exusta donec ruffum colorem imbuat, Sandycem facit: quod offici-næ Serapionem sequtę, minium ap-

Azarcon. pellant, Hispani Azarcon. Quæ verò paratur, & fit cum succo Serpen-

Garsa serpētaria. tariæ, Gersa vocatur, vt apparet in vnguento citrino Nicolai præpositi. Galenus spodium & pompholigē pro cerusa substituit libro primo capite octauo de cōpositione pharmacorum localium sic scribens: Cerussa

" verò modicam quidem habet frigiditatē, & ex pharmacis est obducentibus meatus, pro ea autem vti possumus spodio & pompholyge,

Pro Cerussa. Spodium.
Pompholyx.

CISTVS.

Plinius

PLinius, vt solet vocum affinitate deceptus, cisti & cissi historiã cõ miscuit: quamobrem non immerito eũ notauit doctissimus Leonicenus in eleganti epistola ad Angelum Po litianum. Nam cissos hedera est, cistus verò frutex ramosus & humilis qui Lusitanis Cerguacos dicitur, in alijs Hispaniȩ locis Mõte, siue Estepa. Dioscorides in marem & fȩminá partitur. Flos mari, vt mali punicæ, fœminæ albet. Nascitur vterque in mõtibus apud nos, é cuius radicibus hypocistis erũpit. Cisti inopiá supplet ledũ, idest vulgaris Xara, Dioscoride autore capite proprio cũ ait: Cerguacos. Mõte Estepa. Xara.

» Est & alterũ cisti genus, ledon à nõnullis appellatum, frutex simili modo nascens, longioribus folijs & nigrioribus: quæ verno tempore quiddam contrahunt pingue, foliorum vis adstringẽs, ac eosdem quos cistus effectus præbens.

Pro

SVCCEDANEA

Pro Cisto. Ledum.

CINNABARIS.

NOn omnino percipi poteſt ex Dioſcoride quid verè cinnabaris ſit, & an inter lapides, an metalla an inter gummi receſeri debeat. Plinius lib. 33. cap. 7. & Iulius Solinus in varia historiarũ lectione, vulgi opinionem ſectantes, Cinnabarim ſanguinem draconis eliſi, elephantorũ morientium pŏdere permiſto vtriuſque animalis ſanguine eſſe ſcribſerunt, Tota recentiorum turba, gummi ſeu lachrimam Sãguinem draconis vocatam Cinnabarim antiquorũ fuiſſe, conſtanter affirmat. In quorum ſententiá omnino manibus pedibusq́ue deuenirem, niſi Antidotus è croco Eſdræ apud Nicolaum Myrepſum Actuariumq́ue, & Cinnabarim & Sãguinem draconis recepiſ-

Vehe

Vehementer caueant pharmacopęi ne medicamentis compositis, Cinnabarim vulgarem immisceant (nostris Bermellon dicitur) nam & factitius est, uenenatus, & exitiosus. Fit enim ex argento viuo & sulfure per viam sublimationis, diuque arte quadam igne torrefactis. Veri igitur cinnabaris loco, lapis cyaneus vel cæruleus recipi potest, ad Galeni mētem libro. 9. Simplicium medica. Namq; de Cinnabari dicens quod modicè acrem facultatem obtinet & adstrictionis quippiam, paulo inferius de cyaneo lapide ait, quod est acri facultate cum nonnulla adstrictione, & quod detrahendi & digerendi potētiorem vim habet quàm cinnabaris. Sed animaduertendum est quod nō loquimur de lapide aureis maculis infecto & purgatorio, sed de illo qui tot9 est cęruleus sine auro, vt annotauit Hermolaus Barb. in corellarijs.

Bermellō

Pro

Pro Cinnabari. Lapis Cyaneus.

CYTINVS.

CElsus libro.5.in emplastro Rhy pode, cytinos capitula mali punici Latinè appellauit. Plini.lib.23. cap.6.primum mali punici partũ florere incipientẽ cytinũ vocauit. Galenus tamẽ lib.6. de Composi. pharmacorum secundum locos cap.1.cytinos, primogenita punica interpretatur. Quo tẽpore enim arbor florere desinit, fructus ipsius tum demum apparet. Quod aũt in fine veris cytini generẽtur, melioresq; sint ex acidis punicis (quorũ fructus parũ abest, vt esitari nequeat) Galenus inibi monstratũ reliquit. Pro citino siue, vt vulgo dicitur Granadino, malicorium supposuit Dioscorides libro.1. de malo punico sic scribens: Malicorium asperum est mali punici puta-

Granadino.

men quod aliqui ſidion appellant, ſpiſſandi vim habet, & quos citini prębet effectus.

Pro Cytino. Malicorium.

CIMOLIA,

CImolia, vel à Cimoli vrbe Galatiæ, vel à Cimolo inſula vna ex Cycladibus, nomē accepit. Nicolaus in Eſdrę antidoto Cimoliá habet. Cuius duo genera à Dioſcoride lib. 5. referuntur cap. de terrę differētijs. Plinius lib. 35. cap. 17. in quinq; differentias partitur. Eſt autem Cimolia terræ genus qua vtuntur fullones in veſtibus abluendis, diciturque alias terra Saponaria, & creta Cimolia forteque vulgo Greda: qua nunc è veſtibus maculas plerique delent. Pro qua recrementum ferri & molæ ſimul attritorum ſubſtituitur, vt retu-

Terra Saponaria. Creta Cimolia. Greda

retulit Syluaticus ex Celſo cap. 162. Simpli. ſuorũ. Hoc idem Trallianus. de dyſſenteria & ſputo ſanguinis.

Pro Cimolia. Recrementum ferri & molę ſimul attritorum.

CITRVLLVS:

TAnta eſt inter cucurbitas, pepones, cucumeres, & melopepones affinitas, vt ſæpenumero Græci ac Latini & res & nomina cõfundãt. At citrullus genuinus fructus eſt ſub cucumere comprehenſus, oblongus & admodum flauus. Vnde multi eundem priuatim citrullum & citreolũ quaſi citrinum vocarunt, & huius ſemina alba & lata ſunt. Differt ab hoc aliud cucumeris genus rotundũ, herbacei coloris, in quo ſunt ſemina lata, & colore ſpadicea, hoc eſt in rufo

atra,

atra, quod officinę citrullum vocát, & Serapioni Dulaha nuncupatur cap. 244. quem interpres vertit Melonem magnum viridem. Vtrum accipiendum sit in confectione trociscorum Alchechengi Mesuæi, & in Triasantali Nicolai, parum refert discernere cum eiusdem sint facultatis, & sub amplissimo cucumeris genere complectantur.

Pro Citrullo vero. Citrullus vulgaris.

COLOPHONIA.

RES est factitia officinarum colophonia: nã ex omni resina fit pręsertim ex pinea quoties per decoctionem ad id ducitur, vt in puluerẽ redigi possit. Pices enim per ignem fiunt, resinæ spõte ex suis arboribus prodeunt. Constat Colophonia colori-

loribus diuersis pro resinarũ ex quibus conficitur varietate. Præter cæteras tamẽ est fulua (vt ait Plinius) quæ à Colophone Ioniæ vrbe cognominatur. neq; alia de causa vocatur Hispanica & Græca, nisi quod ex illis regionibus aduehatur. Cęterùm reperitur etiam alia Colophonia neque fricta neque cocta sed natiua, vt elicitur ex Galeno libro septimo de Compositione per genera dicente:
„ Quoniam verò piceam resinam &
„ frictam & Colophoniam appellare
„ consueuerunt, sciendum venit aliã
„ quandam esse Colophoniam Chię
„ mastiche persimilem. Et libro secun
„ do dixit: Est inter liquidas etiam Co
„ lophonia thuri redolens, quæ nõnul-
„ lis sola vocatur Colophonia odoratu
„ suauis, vt abietina, & calore sicut il-
„ la mediocri prædita. nascitur admo-
„ dũ modica & ob id praeciosa est. Colophoniã recepit emplastrũ Mesuæi
relatum

relatũ ad Ariſtarcũ & Oxycroceũ Nicolai. In cuiꝰ locũ autor Galenicꝰ adhibet picẽ deraſam quę antiquiorum eſt Zopiſſa: noſtris breu dicitur ô pez de nauios. Quá ſententiá non omnino ſpernendá iudicamus, ſiquidem (autore Dioſcorid.) vim habet diſsipádi, ꝙ marino ſale maceretur. res maximè emplaſtris congruens. Poterit etiam pix communis ſubſtitui, quæ naturalis quoq; dici meretur, eo quod picandis nauibus ſit aptiſsima: fracturiſque, & glutinandis vulneribus conueniat. Zopiſſa ꝗd breu.

Pro Colophonia natiua & liquida.	Colopho. cocta & fricta.
Pro Colophonia.	Pix naualis.

CHONDRILA.

GAlenus lib. 2. de Alimentorum facultati. lactucæ ſimilẽ chõdrilá fecit. Verê aũt cichorij ſylueſtris

 ſpe-

ſpecies eſt. Vireſcitq; in vniuerſa Hiſpania, quamuis à paucis integrè dignoſcatur. Neq; enim eſt Scorçonera vulgaris, vt multi falſò ſunt arbitrati. hæc enim dulcis eſt, Chondrila verò (Plinio lib. 21. cap. 17. autore) amara eſt & acri in radice ſucco. qđ ſimiliter ſcripſit Galenus in lib. Simplicium, chondrilę vires exponens. Quid tamen Scorçonera ſit apud autores, aut verius, qualis ſuſpitio de hac habeatur, in noſtra Hiſpanicarum plantarum hiſtoria demonſtrauimus. Cæterùm in Chondrilę vicē, cichorium vulgare ſuccedit ex Galeni mente lib. 8. de Simpli. medica. facultatibus, vbi ait: Vtraque ſeris quam cichoriũ vocant, adſtringētis facultatis eſt particeps, velut & chōdrilę, nam & ipſa eſt ſereos ſpecies.

Scorçonera nō eſt chōdrila.

Pro Chōdrila. Cichoriũ vulgare.

Chry-

CHRYSOCOLLA.

CHrysocolla (quæ alio nomine Auriglutinum appellatur) humor est, vt Plinius inquit, qui in fodinarũ cauernis inuenitur, foras per auri venas exudans, limo per frigus hybernum ad pumicis duritiem condensato. Laudatissima habetur quæ æris fodinis: secundum ab ea locũ obtinet, quæ in argenti cauernis reperitur. Quæ verò in plumbarijs, vilior est auraria. Seplasiarij & aurifices, vulgo Borrax vocant chrysocollam: quo nomine vsurpatur in vnguento citrino Nicolai, quamuis rarò inueniatur in officinis quæ synceríssima dici possit, coloreq; viridi & porraceo, vt Dioscorides annotauit, sed vt plurimum nigricante. Viridis in ærarijs tantum metallis foditur, nigricans in plumbeis, quę albicat in argenteis, & quæ pallescit in

Glutē auri.

Borrax.

 aureis.

aureis. Fit etiam factitię magna copia ex alumine rupeo, ſale, nitro, ac alijs quibusdam. Solet etiam fieri (vt Dioſcorides ſcriptum reliquit lib. 2. in vrinæ mẽtione, & Galenus lib. 9. Simplicium medicamentorum) ex puerorum vrina in æreo mortario piſtilio item æreo ſub calẽti ſolo tã diu ducta, vt vnguenti modo craſſeſcat. Veræ ac prętantiſsimæ penuria Armenius lapis ſupponitur, vt Dioſcorides prodidit capit. de lapide Ar-
„ menio ſic dicens: Eadem quæ chryſocolla prętat, ſed inefficatiꝰ. Hiſpan.
„ Atincar.

Atincar.

Pro Chryſocolla. Armenius lapis.

CINNAMOMVM.

SI Galeni tempore tanta erat per vniuerſam Italiam cinnamomi penu-

penuria, vt non nisi ab Imperatoribus habere tur, quemadmodum ipse libro primo de Antidotis testatur, non dubium est apud plerosq;, quin vulgare nostrũ verum esse non possit. Presertim cum Plinius plurimas Cinnamomi syluas combustas iam esse scripsserit. Cinnamomum verô quod legitimum sit, nusquam videre licuit nisi iam pridem studio ac liberalitate Doctoris à Madera medici clarissimi, qui illius virgultum nobis ostendit. Cum itaq; rarissimũ sit cinnamomum, quod verissimi notas representet, pro eo substituetur duplũ pondus casię ligneæ (quæ passim cinnamomũ vocatur) vt in primis Dioscorides testatur capit. proprio, his verbis scribens: Ea duplo pondere medicamentis mixta, cinnamomi vicem præbet si ipsum desit, nam eosdem effectus prestat. Similiter Galenus lib. de Antidotis. I.

 cum

" cum Theriacam preparat inquit: At
" de casia necessarium est mihi comme-
" morare, cinnamomi penuria duplicã
" dam esse illius portionem. Quãtam
autem vim habeat duplicandi medi camenta præceptum aliorum inopia, Galenus ipse dilucidè monstrauit cõtra Quintum, loco antea, de antidotis citato. Cæterum lib. 8. cap. 7. de Compositione pharmacorum secundos locos, casiam exquisitam simpliciter supposuit dicens: Consequé
" ter autem post cinnamomum, casia
" eandem vim habet, optima videlicet
" & cognata ipsi cinnamomo. Quod
si, vt quidam opinantur, legitimum habeamus, sitq; vulgaris casia, cum longi itineris occasione vires amittat, precipue si plus equo in mari detineatur, oportebit nihilominus duplicatum pondus addere.

Pro Cinnamomo. Casię vulgaris duplum.
Casia optima.

CYTISVS.

INuentus est primò Cytisus in Cytiso insula, vt autor est Plini. Hāc crediderunt nōnulli non aliam esse plantam, quàm eam trifolij odorati speciem, quę Hispanis Trebol appellatur. Sed quod iure putēt aliam esse plantam Cytisum â nostro vulgari odoratoque trifolio, facit in primis Galenus lib. 1. de Antidotis, vbi cytisum fruticem esse myrti magnitudine scribit. Et Plinius lib. 16. cap. 38. inter arbores connumerauit. Similiter Collumela in calce libri. 5. cum longius de Cytiso diseruisset, tandē ait: "Hactenus de arboribus praecepisse abūdê est. Alij legitimum esse contendunt, quod in Regijs virida-

Trifoliū odoratum. Trebol.

rijs paſsim videmus. Vtcunque tamen folia maluarum pro cytiſo ſupponi videntur ex Galeni ſententia
" lib.7.Simpli.vbi ait. Folia digeren-
" di facultaté obtinent aqueę & tépe-
" ratæ mixtam,ſicut & maluæ folia.

Pro Cytiſo. Maluarum folia.

COZVMBRVM.

PArantur hodie à nonnullis pharmacopolis pilulæ de Cynogloſſa Nicolai, in quibus vix conſtat quid cozumbri vox ſignificet. Ná autor Luminaris maioris,pro illo ponit fecem Styracis liquidi. Alij (vt refert Pandectarius) Almeam. Alij Thymiama, vel Styracé rubeum,vtCordus. At verè pro cozumbro Styrax calamites vocatus eſt ſupponendus. Nam is, Dioſcoridis & Galeni teſtimonijs, tuſsi & deſtillationibus medetur:

detur, soporiferæque est facultatis; vt testatur Galenus libro. 12. cap. 1. Methodi, & libro sexto de Morbis popularibus parte quinta de auriũ dolore agens. Vnde palàm est, nihil cõuenientius in illis pilulis addi posse, quàm selectissimũ Styracem. Valet enim, vt ait Nicolaus, ad acres & tenues, multique temporis destilla-tiones. Accedit Nicolai Myrepsici autoritas, qui sectione. 32. de catapotijs vbi ad soporifera venit, & ad illa quę destilationibus auxiliantur, Styracẽ semper admiscet. Huic etiã sententiæ fauet Simonis Ianuensis Arabici idiomatis fidissimus interpres, qui cozumbrũ styracem interpretatur. Sed de hoc satis.

Pro Cozumbro. Styrax Calamita

CICVTA.

Pau-

Paulus libro 7. Trociſchũ ex veſicarijs, Diaphyſalidõ vocatum ſcribit: in quo ſemen eſt cicutę: vt ex Galeno ſimiliter colligitur libr. 10. de Compoſitione pharmacorum localium cap. 1. Eſt autem cicuta quæ Arabibus Sucaram dicitur, nobis Cegura y cañaheja, herba nunc à multis cognita, cuius ſucco Socratem interemptum fuiſſe ab Athenienſibus, narrant ſcriptores. Autor Succedaneorum Galenicus, pro hac, coriandri ſemen ſubſtituit abſurdè. Nam cicuta, Galeno teſte libro. 7. Simplicium medicamentorum, ſummã habet refrigerandi vim, atque adeò venenum eſt. cum tamen ex eodem Galeno, coriandri tẽperatura, minimè frigida ſit ac ſimplex, ſed variê compoſita. Dioſcorides libro. 6. cap. de taxo, quatenus venenum eſt, taxum pro cicuta ſupponere videtur, dicẽs eadem taxo quæ cicutæ remedia cõuenire.

Sucaram. Cegura. Cañaheja. autor ſuccedaneorũ Galenicꝰ taxatur.

uenire. Attamen ad Galeni mentem & quatenus medicamentum est cicuta, consultius videtur papaueris nigri semẽ, vel alterius papaueris quartæ speciei pro cicuta inijcere: validè enim illud refrigerat, ad stuporem vsque ad mortẽ perducens. Est enim ex quarto refrigerantium ordine, vt inquit Galen. lib. 7. Simpli. Et lib. 1. cap. 13. semen papaueris & cicutæ, in eodem temperamento constituit.

Pro Cicutæ semine. Papaueris semẽ

COSTVS.

COsti frutex nullo præterquam radice pretio, in Theriaces potissimum Antidoto. Qui in officinis passim habetur adulterinus est, quippe nec vlla odoris suauitate commẽdatur, nec gustu adeò acri deprehenditur, vt admotus exulceret, quemadmodũ inquit Galenus. Proinde medica-

dicamentis costum excipientibns nõ erit imponendus, cum præter id nos planè lateat, cuiusnam plantæ sit radix. Similiter Helenij radicẽ quam multi subijciunt abigere conuenit, neq; enim illi similis viribus existit, si conferãtur quę à Galen. de vtroq; scribuntur. Si igitur legitimum costum nequeamus consequi, piperis radicem Costo similes vires habentem, ex eiusdem Galeni censura imponemus, libro octauo Simplicium
„ medicamẽtorum, vbi ait: Piperis ra-
„ dix vires Costo similes potissimùm
„ obtinet. Has igitur deinceps petent Myropolę à Lusitanis qui ad Indos proficiscuntur: Sic enim fiet, vt non amplius veri Costi torqueat cupido. Interim verò Zedoaria vulgaris assumetur, vt Ioãnes Costa & Matthiolus annotarũt. Est enim valde acris, leuiter amara, ac odore suo caput ferit: & vt multis experimentis con-

ſtat venenis aduerſatur, & peſtilentiam arcet, vt legitimus Coſtus.

Pro Coſto. Piperis radix.
Zedoaria vulgaris

CORNVS.

Cornus arbor Crania Gręcis dicta, plerisq; hoc tẽpore dignoſcitur. Cæterũ (vt lib. 3. cap. 14. de plantarum hiſtoria memoriæ prodidit Theophraſtus) ſexus in ea duplex inuenitur, mas ſcilicet & fæmina. Quáuis in Hiſpania vnum duntaxat genus habeamus rubeas ferens baccas, & vulgò falſò, Cerezo ſylueſtre dicatur, quũ potius cum rubi canini fructibus ſeruet ſimilitudinem. Differt tamen corni fructus à fructu rubi canis, quoniam corni fructus, vno tantũ oſsiculo & duro conſtat, nulla intus

Crania.

Cerezo ſylueſtre

intus lanugine, vnde Virgilius cecinit: lapidosaque corna. Fieri solet è fructuũ pulpa, mixtio similis cydoniatæ, & ex eorum decoctione gelata cum saccharo, quæ præter id quod gratę sunt gustui, fluxionibus dysentericis valde proficiunt, mensibusq; redundantibus. Galenus libro. 7. de Simplicium facultatibus, mespilum pro corno substituit dicens: Corni arboris fructus admodũ acerbus est, esui aptus. Itaque mirum videri non debet, ipsum valenter ventrem restringere sicut & mespila. Folia quoq; & germina gustu acerba sunt, valenterque desiccant. Sed quod eadem sit in vtriusque folijs & germinibus facultas, eodem lib. 7. vlterius expressit de mespilo sic scribens: Arboris huius fructus admodum acerbus est, vixque edi possit ventrẽ strenuè coercens: Quim & in germinibus & folijs acerba hæc qualitas non pauca reperitur.

Pro Cornu. Mespilus.

CENTAVRIVM MAGNVM.

CEntaurij laudes exequi longum nimis esset, quum & Galenus priuatim volumen ei dicauerit ad Papiam. Cęterùm nihil aliud esse creditur quâm radix illa quæ pro Rhapōtico habita est, & Ruypontico vulgar Hispanis vocatur, cuius succus eadem præstat Dioscoride autore, & Galeno libro septimo de Simpliciū medicamentorum facultatibus. Pro maiori tamen Centaurio, cōliculi Centaurij minoris substituuntur ex Pauli Æginetæ censura, libro septimo sic scribentis: Centaurij minoris radix inutilis est, surculi citra morsum potēter desiccant. Quapropter ad singula quæ maius Centaurium iuuat, accomodati sunt. Ex quibus aper-

Ruyponti co vulgar.

Mat-thiolꝰ taxatur.

apertè sequitur non omnino carere reprehensione Matthiolum Senensẽ (alias doctissimũ virũ) dum acriter accusat Mesueũ, q̃ vtriusq; Centaurij, vno tantũ capite mentionẽ fecerit, & alterũ cum altero miscuerit, Auicenna similiter faciente, & cum vtrisque Serapione, atq; etiam Nicolao in Antidoto Hemagogo, vbi maius & minus accepit. At his non obstantibus, vbi Centaurium sine determinatione ponatur, minus intelligere oportet in purgantibus medicamentis, nam Galeno, Dioscoride, & ipso Paulo testibus, coxẽdice etiã laborantibus proficit, & ius decoctũ inferius iniectum, biliosa vacuat, nõ nunquam & cruenta, in cæteris verò, maius dictũ à facultate multiplici & efficatiore sumendum. Deniq; in defectu Centaurij minoris, succus eiusdem accipitur, cujus eliciendi rationem, ipse Dioscorides docuit.

Cẽtaurũ minus. Barbaris dicitur, Felterræ. Italis Biõ della, Hispanis Cintoria.

Pro

Pro Centaurij magni radice.	Succus ipsius. Surculi centaurij minoris.
Pro Centaurio paruo.	Succus eiusdem plantę.

CROCVM.

GAlenus lib. 1. de Antidotis selectissimũ crocũ pro Theriaca dixit, non quod magnitudine excellat, tũ flauissimũ, tũ odoratissimũ, & lõgo tẽpore in suo vigore persistẽtẽ. Nũc in plerisq; Hispanię locis plantatur, nec viribus Orientali cedẽs; qua de re pro illo rectè supponetur. Cęterũ tametsi in hortis hoc tẽpore satum pueniat, nõ est illud cuius meminit Nicolaus Alexandrinus in antidoto Esdra, sed est Cnicus siue officinarũ cartamus, si fides sit adhibẽda Syluatico cap. 196. Pandectarij. In croci omnimodo defectu, crocomagma hoc est croci recremẽtũ substituit Dioscori- crocũ optimum quale, sit. açafrã

» corides his verbis: Crocomagma vi-
» res croci ꝓportione quadã tenus re
» presentat, quandoquidem plurimã
» croci partem sibi vendicat.

Pro Croco Orientali.	Crocũ Hispanicum.
Pro Croco.	Crocomagma.

CONSOLIDA.

REcentiores herbarij tria Consolidæ genera constituũt, maiorẽ, minorem, & mediam, quibus omnibus vsus est Arnaldus lib.2.cap.3. de crepatura in cerato ex pelle arietina. Tametsi Guido Cauliacus maioris tantum & minoris mẽtionem fecerit, tracta. de Decoratione cap.7. in Emplastro contra rupturam hodierni vsus. Ioãnes à Vigo in suo cerato confortatiuo, minorem solùm recepit consolidam. Maior nulli dubium

bium est quim ea sit planta quã Symphytum Dioscorides vocat, cùm de reliquis non sit parua controuersia inter Iuniores. At cũ omnes adstringendi & consolidandi vim habeant, inuicem substitui possunt. Verùm in defectu, Persicariam maculatam subijciendam censemus, quæ attestãte vulgi fama & quotidiano experimento, mirè rupturas sanat. Poterit subinde magno vsu pilosella herba consolidarum vicem supplere: nam recentiorum testimonio, huius radix, efficacissimum est aduersus ramicem remedium.

Symphytũ

Persicaria maculata.

Pro Consolida. Persicaria maculata.
Pilosellę radix.

CORTEX RADICIS CAPPARVM.

COmponunt officinarij vnguentũ pro ſplene, cui cortices radicum capparũ immiſcet Pauli imitatione in ſuo Oxymelli Splenico. Horum igitur inopia ſupponũtur caules, folia, aut fructus, ex Galen. lib. 7. Simpli. ſic ſcribere: Radicis cortici, fructus proportione virium reſpondet, niſi quod ad omnia ſit imbecillior. Imo & folia & caules eius ſimi-
„ lem vim obtinet. Subſtitui ſimiliter poſſet Myricæ arboris cortex, cum eadem à Galeno de illis ſcribantur in Simplicium volumine.

Pro Cortice radicis capparis.	Caules, folia, fructus.
	Cortex Myricę.

CORNV CERVI.

PLinius dextrum cerui cornu negat ab vllo inueniri, quia id tanquam medicamento pręditum ipſi occu-

occulunt. humanæ vitæ tantam fæli citatem inuidentes. Vruntur & po stea lauantur cerui cornua ad vsum medicinæ recipienda, iuxta Galeni doctrinam lib. 11. Simpli. medica. Sic in Theriaca Smaragdorum (quã no strates officinę præparãt) cornu cer ui vstum & lotum recipiũt. Paulus caprinum cornu pro ceruino ponit, non extra Galeni mẽtem qui lib. 5. de Compositione pharmacorum secundum locos capit. 9. textu. 25. de dentifricijs, nullã inter vtrunq; cornu assignauit differentiã dicens: Cor " nu cerui aut capræ vsti. Sed & ad A- " lexipharmamaca rectè substituetur, siquidem Plini. lib. 28. cap. 10. inquit caprarũ cornu suffitu fugare serpentes, & eius cinerẽ potũ aut illitũ cõtra venenatos ictꝰ valere, quę eadẽ dicũtur à Dioscoride de cornu cerui.

Pro Cornu ceruino, Cornu Caprillũ

D

DAVCVS.

DAuci tria genera Dioſcorides cõmemorauit eaſdem vires obtinẽtia: quamuis probatiſsimum cenſeat Creticum primo generi adſcriptũ: quem nonnulli paſtinacis haud ſine grauiſsimo errore annunmerarunt. Hic vſque adeò fœniculo ſimilis eſt, vt non niſi à rei herbariæ peritis, diſcerni facilè poſsit. Totius plantæ, ſemen duntaxat vſurpari ſolet in alijs generibus, ſed in Cretico, radicis quoque inualuit vſus maximê & contra venena Dioſcoride teſte: tametſi Cretici ſemen expreſſerit Andromachus in Theriacis. Decipiuntur exiſtimantes, eandem eſſe plantam paſtinacam ſylueſtrem & Daucum. Nam quamuis Dauci & paſtinacæ ſylueſtris, ſic vires cõueniãt

vt vnum pro altero ponatur in medicamentis componendis, non ideo ſequitur eandem eſſe rem. Siquidem Dioſcorides & Galenus, manifeſtè vtranque herbam ſuis capitibus inſcripſerunt. Legitimum Daucum fœniculi folijs, in Toleti campeſtribus locis copioſiſsimè prouenit: vnde quotannis petent noſtri pharmacopolæ. Galenus libro. 7. Simpliciũ, pro Dauco herba, Caucalim ſubſtituit ſic dicẽs: Caucalis quidam Dau- „
cum ſylueſtrem nũcupant: eſt enim „
ei adſimilis guſtu ſimul ac viribus. „
At verò Galenus ipſe lib. 6. de Simplicium facultatibus, pro Dauci ſemine, herbam quoque ipſam ſuppoſuit dicens: Ipſa verò herba ſimilem „
quidem vim obtinet, tamen ſemine „
inferiorem. At tota planta deficien- „
te, ſij ſemen ſubſtitui poteſt. vehemẽter enim excalfacit, digerit, vrinam mouet, & mẽſes euocat, vt Galenus

 ſcri-

ſcribit lib.8, Simpli.medica. quæ omnia de ſemine Dauci, ad verbū enarrauerat libro.6.eiuſdē tractationis.

Sium. Lauer. Ceterùm ſium herba (quę lauer ſimiliter dici ſolet) & vulgo Berraza, vbique naſcitur in fontium riuulis, nunquā fere ſine comite berula, ex qua Berula. magnus eſt pro acetarijs vſus.

Pro Dauco.	Caucalis.
Pro Dauci ſemine.	Dauci radix.
	Daucus herba.
	Paſtinacę ſylueſtris ſemen.
	Sij ſemen.

DAMASONIVM.

INter ignotas noſtro ſeculo plātas recenſent nōnulli Damaſonium, quod Grecis pariter & Latinis Aliſ- Aliſma. ma nuncupatur. quanquam alij affirment cognitā admodū eſſe, vocariq; Paſtoralis fiſtula. paſtoralē fiſtulam, ſiue plantaginem aqua-

aquaticam. Eo fiet, vt in ipso dignoscendo inhibendum paulisper iudicium sit pharmacopolis, donec certissimi quippiam ab homine singularis & experiētiæ & doctrinæ illis obūeniat. Verùm quod huius plātæ radices renum calculos vehemēter cōminuāt, vti Galenus experimēto cognouisse fatetur lib. 6. Simpli. medicamentorū, fit vt à medicis præscribantur. Harū defectu, radices Eryngij supponit Ætius lib. 13. cap. 29. sic scribens: Quod si Damasonium non adsit, Eryngium conijce. Plantago aquatica. » »

Pro Damasonio. Eryngium.

DARSENVM.

DArseni passim mētio fit, in medicamētis cōponendis, vt in cōfectione Alchermes, in electuario aromatico

matico moſchato, & in electario de cinnamomo, in quibus cõpoſitionibus quũ cinnamomũ pariter & darſenum recipiantur, dubitarunt vehementer autores de darſeni legitima ſignificatione. Recentiores ferê omnes, cinnamomum craſſum falſò cõuertunt. Alij ex Auerroo quinto collectionum, per darſenum abſolutè dictum cinnamomum ſelectũ intellexerunt non præter rationem. Cęterûm magis adſtipulandum cenſeo Garcia ab Horto proregis Indię medico Luſitano, qui darſenũ ex darchini corruptum aſſerit. Nã Ormuz incolæ, ementes canellam ſelectiſsimam à Chynenſibus, id circo eam, Darchyni (quod Perſis lignum Chynẽſe ſonat) appellarunt. Deinde Alexandriam vehentes, vt eam Græcis eò confluentibus carius venderent, cinnamomum vocarunt, quod ſignificat lignum odoratũ, vel quaſi amomum

lignũ chynẽſe.

lignũ odoratum.

mum ex Chyna delatum. Vbi igitur darseni & cinnamomi simul in cõpositionibus legatur, semper cinnamomum aut casiam electam inijciẽdum esse censemus.

Pro Darseno. Cinnamomum vulgare.

DORONICVS.

NVsquã de Doronicis (quod sciã) apud veteres Græcos fit mẽtio. Quidam Orientale doronicum, Pauli Arnabonẽ existimãt. Actuarius, Carnabadiũ & Zarnabi vocat. Paulo Mamyras (vt suspicor) vocatur libro. 7. cap. 3. Doronicorum radices commendarũt Arabes ad cordis affectus, cõtra venena, & deleteria medicamenta. Quæ verò nunc habetur in officinis ex Hispania, siue ab Oriẽte delatæ, non omnino Mauritanorum doronicis respondent, nisi ipsorum

Arnabo. Carnabadiũ. Zarnabi. Mamyras

rum defectus nostri cæli téperiei sint referédi. Cũ enim Auicẽnæ Doronicum excalefaciat & siccet ordine tertio, suaq́; vi valẽter flatus dissoluat, nõ est quod Doronicũ officinarũ verum appellari debeat, quum nulla in eo reperiatur qualitas, prẹterquã nõ obscura quædam dulcedo, cuius nullus Arabum meminit. His igitur de causis pro Diamoschi Mesuæi cõfectione, alijsq́; vsitatis medicamẽtis, cõsultius fore credimus legitimorũ penuria, caryophyllos reponere ex Auicennę testimonio, 2. canone Simplicium suorũ, vbi sic scribit: Loco
" eius ponitur zurumbet æquale pondus, aut duæ tertię põderis ipsius de garyophillis. Præter id quod Serapio, easdẽ vtriusq; facultates scribit. Cętерũ Nicolaus in electario lætificãte, Galãgã substituit in eadẽ cõpo
" sitione dicẽs, Doronici, loco eius ponitur semis pondus Galangę.

Pro

Pro Doronicis, Gariophylli.
Galanga.

DORYCNIVM.

NOn contigit nobis hactenus legitimum Dorycnium inuenire qđ descriptioni Dioscoridis, omnino rẽspõdeat. Vnde hallucinari videtur Cordus cũ alijs qui putant Dorycnium esse eam halicacabi speciẽ, in cuius semine effigies veluti cordis humani insculpta apparet: quã Leonartus Fuchsius inter solani genera recensuit, Haliacabum peregrinum vocans. Siquidem hæc tametsi in aliquibus cum Dorycnio conueniat, in multis repugnare deprehẽditur. Paulus, aut autor ille Pauli nomine inscriptus lib. 7. hioscíami semẽ pro Dorycnio non perperam supposuit. Galenus verò lib. 6. de *Simpli.* medicamentorum faculta. eiusdẽ farinæ her-

Halicacabũ peregrinum.

herbas substituisse videtur sic scri-
„ bens: Dorycnium temperamento pa
„ paueri simile est, & mandragoræ, &
„ similibus refrigerantibus.

Pro Dorycnio. Hyosciamus.
Papauer.
Mandragora.

DICTAMNVM.

QVamuis Dictamnum Cretę insulæ vi mirabili propriũ sit atq; rarum, neque inibi passim sed in angusto duntaxat loco prouenieniens (vt Theophrastus, Dioscorid. & Plinius scripserunt, non ex eo inferre oporteret, nos vero Dictamno carere quemadmodum deceptus Manardus existimauit, quum ex Creta ad nos hodie deferatur. Quare quod vulgo habetur folijs fraxineis, radicibus candidis, & floribus odoratis, verum nõ

Manard9.

est antiquorũ Dictamnũ. hoc enim folijs & cauliculis medicatur, vt docuit Galenus lib. 1. de Antidotis in Theriacæ præparatione, illud verò (fraxinella â quibusdam vocatum) solis radicibus. Ideoque si in recẽtioris alicuius autoris confectione, radices Dictamni præscribantur, Dictãni Hispanici radices subijciẽtur. Dioscorides pro legitimo Dictamno, Pseudodictamum supponit eodem capite dicens: Quod Pseudodictamũ vocant, multis in terris nascitur ante dicto simile, sed minus quâm illud acre. Eosdem effectus prębet sed in efficatius multo. Galenus etiam lib. sexto Simplicium medicamentorũ, pulegium substituit cum inquit: Dictamnum tenuiori essentia constat quàm pulegium, cætera illi simile. At quod vocant Pseudodictamnum, ad omnia imbecillius dictamno est.

Fraxinella.

Pro Dictamno. Pseudodictãnũ.
Pulegium.

DYPHRIGES.

DYphriges cuius solet esse vsus apud vulnerarios medicos, æris quasi subsidens fex est, aut sedimentum quod sublato ære cohærens fornacibus inuenitur. Est verò Galeno autore libr.4.cap.1. de Compositione per genera, aptissimum pharmacum vlceribus ægrè humiditatis vitio ad cicatricem venientibus. Huius inopia ponitur Ochra combusta Ochra quę nihil aliud est quàm terra lutei coloris in pictorum vsum cedens. Id quod Dioscorides docuit libro quinto de Dyphrige sic scribens: „ Ochra „ cremata Dyphriges vice venit. Qđ enim veniat pro Dyphrige hoc terræ genus, accidit propter similitudinem virium in vtrisque. Sic enim de

de Ochra ſcribit Dioſcorides, ac ſi Dyphriges vires ab eodẽ deſcriptas denuo repereret: hoc ſolùm (vt ipſe inquit) excepto, quod Ochra vehementer linguam non exiccet, vt Dyphriges. Subſtituitur quoque ęs vſtũ ex Galeno, nam quum ipſe libro nono Simplicium de Dyphrige dicat quod habet mediocrem adſtrictionẽ & acrimoniam (ob quod vlcerum rebellium optimum eſt medicamentum) infra de ære vſto ſubiũgit: Æs „
vſtum habet & acrimoniam quandã „
& adſtrictionis eſt particeps, proin- „
de pulcherrimum eſt medicamentũ „
inducendis cicatricibus. „

Pro Dyphrige, Ochra combuſta.
Æs vſtum.

E

EVPATORIVM.

TRes potissimùm plantæ sub nomine Eupatorij in medicamentis recipiuntur. Quædam Græcorũ est Eupatorium, & Agrimonia passim vocatur. Alia quæ in locis vliginosis & hortis reperitur, folijs cannabis & vehementer amaris, eupatorium est Auicennæ in. 2. canone, cuius historiam ad amussim depingunt recentiores herbarij, adulterinum eupatorium cognominantes. Tertium quod ex Mesuæo describunt, antiquorum ageratum esse tradunt. Igitur si vnicuiq; suum sit reddendum, in Auicennæ remedijs suo vtendum est eupatorio: & in Græcorum compositionibus, agrimoniam addere conueniet. Et in medicamentis à Mesue relictis, eius eupatorium

Agrimonia

Eupatoriũ adulterinum

Ageratum

est accipiendum. Verùm quoniã nõ satis constat apud omnes de Mesuæi eupatorio, poterunt pharmacopolæ in syrupo eius nominis, Græcorum eupatorium substituere, aut tantundem asari & absynthij, ita vt ambo simul mixta æquent pondus eupatorij, vt ipse Mesuæus capite proprio sequétibus verbis testatum reliquit: Ponitur loco eius & in dfectu ipsius „ absynthij & asari ana medietas pon „ deris ipsius. Auicenna similiter.2. ca „ none idipsũ pro suo eupatorio supposuit dicens: Loco eius ponitur põ „ dus de asaro & medietas ponderis „ ipsius de absynthio.

Pro Eupatorio Græco.	Agrimonia vulgaris.
Pro Eupatorio Arabico.	Asari & absynthij tãtũdẽ.

ENDIVIA.

Seris Intybūs.

PLanta quæ Græcis seris, & intybus satiuꝰ Latinis dicitur, Italis, Hispanis, & officinis endiuia vocatur: quæ in satiuam & syluestrem diuiditur à Dioscoride. Syluestris aūt (perinde ac satiua Intybus) in duas species degenerat: vna quę Græcis ab insigni amaritudine Picris nominatur, Latinis Ambubeya, & vulgo officinarū Cichorea. Altera quę latiore folio pdit, Plinio Hedypnois vocatur, vulgo dēs leonis & rostrū porcinū, officinis vero Taraxacon, vel Altaraxacon, quarum omnium meminit Nicolus Florentinus in syrupo suo ex Cychorea cum rhabarbaro, vt fusius in nostris animaduersionibus monstrabitur. Hic oportet in memoriam reuocare quorūdam errorē & pertinatiam, qui loco legitimæ endiuię aut intybi, lactucā syluestrem in vsum accipiūt. Nā etsi lactu-

lactuca syluestris

cæ

cæ syluestri, vis frigida insit, præter id quod nullã cum hepate affinitaté habet, lac illud quo turget, quibusdá sui partibus adeò calorificum est &. acre, vt linguam exurat. Oportebit igitur deinceps intybum hortorum (Scariolam passim dicũt) pro medicamentis colligere: aut eius inopia cichorium nostrũ, quod intybus syluestris est, & eiusdem cũ endiuia domestica facultatis, vt inquit Galen. cap. proprio in Simpliciũ tractatu. Scariola,

Pro Endiuia. Cichoriũ vulgare.

EPIPETRVM.

MEminit Epipetri Galen. lib. 4. Methodi curatiuę cap. 6. ex Hippocratis sentẽtia de vlceribus loquẽtis: quamuis apud Hippocratem nõ epipetrũ, sed ligustrum in illo loco reperiatur. Vt verò Dioscor. sit appellatũ, certò constituere nobis non

dum licet. Sunt tamen qui Empetrō esse existiment: quorum sententiam ob multas variasque causas, minime repudiandam existimamus. Epipetri inopiam sarcit scammonium pari pondere, vt inquit Ætius libro. 3.
„ cap. 76. his verbis: Adijce Epipetri
„ triti ac cribati vnciā vnā: euacuat bi
„ lem. Si verò non affuerit epipetrum, scammoniæ injce vnciam vnam.

Pro Epipetro. Scammonium.

EVPHORBIVM.

EVphorbium succus est plātæ spinosæ in Mamusiorum terra nascentis, qui Hispanis appellatur. Gor-uion. Eligendum est recens, vt docet Galen. lib. 2. cap. 3. de Cōpositione pharmacorum secūdum locos, quod citissime illius facultas exoluatur. Vetus autem euphorbium, duplo pō-

Gor-uion.

dere

dere pro recẽti substituitur si desit, eodem autore, loco adducto dicẽte: Verùm si nõ valdè vetus sit euphor- ,, bium sed duorum aut trium anno- ,, rum, duplum eius adijcies. At si om- ,, nino desit euphorbium sulphur aut castorium subijciendum esse, saltem in neruorum vulneribus Ætius do- cet lib. 14. cap. 27. sic scribens: Defi- ,, ciente verò euphorbio, sulphur, aut ,, castoriũ ammiscebis, aut consimile ,, quidam calidum & tenuium partiũ. ,,

Pro Euphorbio recenti	Vetus duplum.
Pro Euphorbio.	Sulphur.
	Castorium.

ESVLA.

Esulę meminit Mesuęus sub nomine Alsebrá in pilulis fętidis maioribus, & sub nomine Anabulæ Nico- Alsebram. Anabula.

Nicolaus Alexandrinus in vnguēto laxatiuo. Hāc potiſsimûm requirūt hodie Myropolæ ad Benedictę Nicolai diſpenſationem. Quāuis Leonardus Fuchſius in Nicolaum Myrepſicum ſuper antidotum.30. chamepythim pro eſula intelligendá eſſe probet, ex vocum Grȩcarum Nicolai interpretatione. Cæterûm minor eſula Arabū, effigiē tenēs vocate canelæ, euidenter tithymalus cypariſsias Dioſcoridi eſt, & maiori ſemper anteponēda, quæ Grȩcorū eſt Pytiuſa & de genere tithymalorum, Galeno teſte libro.8. Simpl. medica. Loco eſulę, quælibet tithymali ſpecies ſuccedere poteſt, quū eiuſdem ſit facultatis, vt autor eſt Galenus in hūc modum ſcribens: „Hæc omnia genere quidem ſimiliter, imbecillius tamen & folia & fructus prȩſtare poſſunt.

Pytiuſa.

Pro

Pro Esula. Tithymalorum radices.

ELLEBORVM.

ELleborũ vtrunq;, quod & veratrũ Latinis dicitur, vulgo yerua de ballesteros, notũ est in Hispania. nigrũ tamen elleborũ, albo antepofuit Mesuæus cũ reliqua Arabum familia. Hippocrates verò alijq; veteres simpliciter nominatũ elleborũ, album semper intelligebant, nigrũ autẽ non nisi cum quodam discrimine, vt docet Galen. 5. libro Aphorismorũ cõmentario. 1. Quare obseruare oportet cõpositionẽ cuiusq; autoris, Grẹcus ne sit an Arabs. Nam pro Græcorũ cõponendis medicamẽtis elleborum album accipi debet, contra quàm in Mauritanorũ confectu-ris, in quibus nigrũ est recipiẽdum. At Galenus libro sexto Simplicium medicamentorũ, nullam inter vtrũque differentiam agnoscit, vt hinc

yerua de balleste-ros.

constet alterum vice alterius posse supponi. Quod ipse euidentius mon strauit lib. 1. de Compositione pharmacorum secundum locos cap. de cõpositis ad alopecias, sic scribens, Veratri vtriusque drachmã .j. neq; refert albo an nigro Veratro, quod ad manum sit vtaris. At verò lib. 8. de Simplicium medicamentorum facultatibus, Sesamoidem pro Elleboro supponit sic scribẽs: Sesamoides magnum quod & Antycides elleboros appellatum est propterea videlicet quia semen eius, vt elleborus expurgat: hoc & reliqua facultate elleboro simile est. Nam & in abstergẽdo, excalfaciendo, desiccandoque similem vim obtinet.

Veratrum.

Sesamoides magnum

Pro Elleboro nigro. Elleborũ album

Pro Elleboro albo. Elleborũ nigrum.

Pro

Pro Elleboro. Sesamoides magnum.

EBENVS

THeophrastus lib.4.cap.5. de historia plantarum, credidit Indię tantum regionis vernaculũ esse Ebenum. Sũt qui lignum ex Indijs petitum (quod quidam Guaiacum, pleriq; verò lignum sanctum appellãt) Ebeni genus esse crediderint, nihil enim nisi summa nigritia quam habet ab Ebeno dissidet. Nam quas vires hodie in ligno Guaiaco experimur, Ebeno tribuit Galenus lib. 7. Simplicium medicamẽtorum, vt ea de re vnum pro altero substitui possit. Hinc taxandus est autor ille de substitutis medicamẽtis, qui Loti arboris lignum pro ebeno supposuit: Nam Galeno autore in Simplicium censu, Loti lignũ adstringẽtis est facul

Ebã no. Abenuz. Guaiacum. Lignum sanctũ

Autor Succedaneorũ taxatur

cultatis, valetque ad muliebria profluuia, & dysenterias, cęliacosq; affectus, ad quæ omnia ebenus non cōmendatur. Pręfertur autem Guaiacum, quod in totum sit album si recens sit, vtpote minoris ætatis.

Guaiacũ optimũ.

Pro Ebeno. Guaiacum lignũ.

ELATERIVM.

Cucumis agrestis

EX fructu Cucumeris agrestis siue asinini succo exprimitur, Gręcis & Latinis elaterium vocatũ, medicamentum nobile omniumq; diuturnissimum, vt ait Theophrastus, optimumq; est vetustissimum. cuius conficiendi rationẽ Dioscorides docuit libro. 4. Meminit elaterij Mesuęus in vnguẽto de Arthanita, eiusque inopiam supplet succus foliorũ aut radicum ipsius plantæ, vt autor est Galenus libro. 8. Simplicium his

verbis

verbis; At radicis ſuccus, vt & folio- „
rũ licet eleterio ſimilẽ vim habeat, „
imbecilliorem tamen: ſed & ipſa ra- „
dix ſimilem facultatem poſsidet. „

Pro Elaterio. Succus foliorum, & radicis.
Radix ipſius.

ELATINE.

DIoſcorides lib. 4. meminit Elatine, quid tamẽ hoc tẽpore ſit, certò nõ auſim affirmare. Sũt qui velint eam eſſe plantam quam quidá ex recentioribus Numulariam vocant: alij nõ hãc ſed Pimpinellam officinarũ. Tragus fruticem ramoſum depinxit, qui inter frumẽta naſci ſolet, floſculis cęruleis in echinos lappaceos abeuntibus. Galen. lib. 6. Simplicium medicamen. de Elatine breuiſsime diſſeruit dicens, modicê, tũ refri-

numu laria.

Sãgui sorba est vulgaris pimpinela gustus adstringẽtis

refrigerare, tũ adstringere. Ob quas facultates, si aliquando in medicamẽtis componendis quæratur (ipsa deficiente) Sanguisorba nunc planè cognita subijcietur, cum eiusdem sit tẽperamenti, easdemq; vires quas Elatine obtineat, vt nonnulli nostri tẽporis scriptores testantur.

Pro Elatine. Sanguisorba.

EVPISTIS.

MVlti res quasdam superficie tenus scrutantes aut verius studij laborem subterfugientes, aliorũ scripta euertere tentant, vt constat Eupistidis exemplo cuius meminit Mesuæus in confectione trochiscorum de terra sigillata. Hanc igitur vocẽ quum ex recentioribus quidam non intellexerint, vt superuacaneam, & inutilem abdicarunt. Si tamen Aui-

cennę

cennę scripta secundo canone, capite. 332. perpendantur, de Hensistide vel Eupistide, nihil aliud sibi vult prædicta vox, preter succum barbæ hircinæ Arabibus appellatæ, quæ vulgo Xara passim appellatur, & Cystus, longe autem differt ab Hypocystide; quę succus est non ipsius plátæ, sed rei nascentis sub ipsa, similis Orobanche. Hoc tamen animaduerso, non negamus veram & legitimá Hypocistidé, Eupistidos loco subijci posse, cum presertim prę státior sit & efficatior ad vsum. Hirci nabar ba. Xara. Cyst.

Pro Eupistide. Hipocystis.

EPITHYMVM.

DVbitarunt ex recentioribus quidam, an vulgare Epithymum capillamenti speciem referens, veterũ esset epithymũ quòd florem thymi

satureiæ similem esse scribant. Quā & similes controuersiam, nunc non est nostri instituti dirimere. Creticum Epithymum à Mesuęo commēdatur, taleq́; elegit in suo de Epithymo syrupo, & in confectione pilularum stomaticarum. Paulus libro. 7. de his quæ bilem atram vacuant, epithymbrū pro epithymo substituit sic dicens: Epithymbrū quod thymbræ supernascitur, vt epithymum similiter vacuat sed imbecillius est.
Ætius quoque sermone tertio tetrabibli primæ cap. 9. florem Stębe subiecit sic scribens: Similiter autem velut epithymū purgat flos Stębe enascens & flos qui in thymbra nascitur, verùm vterque viribus debilior est. Dioscorides verò lib. tertio, Parthenium (matricariam officinę vocant) substituit his verbis: Siccatum cum aceto mulso aut sale potum nō secus atque epithymum & bilem & pitui-

Matricaria.

pituitã detrahit, suspiriosis prodest & melancholicis.

Pro Epithymo. Epithymbrũ. Episteue, Partheniũ cũ aceto mulso.

ESBRIVM.

IN Vulgatis Nicolai codicibus circa vnguenti Martiani descriptionem, dubia esbrij vox multis negotiũ facessit, nec enim est saluia, nec sampsuchus, vt Pãdectarij coaceruator interpretatur, alterutrum enim cõpositioni admiscetur sub nomine amaraci & lilifragi. Verê tamen iuxta codicem Nicolai Grecum, esbriũ ebulus est, plãta fere omnibus cognita (Yezgos vulgo vocatur) cuius inopia, sãbucus reponitur Dioscoridis testimonio cap. de Sãbuco & ebulo Yezgos.

" sic scribens: Eadem vtriusque vis &
" vsus exiccans. Accedit Galenus lib.
sexto de Simplicium medicamento-
" rum facultatibus dicens: Acte, tũ ma
" gna illa & arborea quã & Chamæa
" ctem Græci vocant) Latini hãc ebu
" lum, illam sambucum, vtraque poté
" tiam habet tum desiccandi, tum cõ-
" glutinandi, modiceque digerendi.

Pro Ebulo. Sambucus.

F

FAVFEL.

Arabicę vocis Faufel, nullibi qđ sciam mentio fit apud autòres pharmaca concinnantes, præterquã in Emplastro de fermento Mesuæi plurimi vsus ad vehementes viscerũ inflãmationes. Est autem fructus arboris Indicæ, rectæ, folijs palmæ, similis

milis nuci moſchatæ, aut potius iuglandi exiguæ, intus durus, & candidus, rubentibusq́ue venis reſperſo, non plane rotundus, ſed altera parte ſeſſelis. Qui nimirum poſſet facilè in Hiſpaniam deferri cum alijs aromatibus, ſi aut pharmacopolę aut medici, curioſi magis eſſent, idq́; adferendum curarēt. Interim verò nō occurrit quid pro eo ſubſtituatur præter ſantalum cum coriandri portione ad Auicennæ mentem. 2. canone: quod ſimiliter confirmauit Serapio cap. 345. Simplicium ſuorum ſic ſcribens: Loco eius ponetur pon- „
dus ipſius ſantali & medietas ponde „
ris eius ex coriandro recenti. „

Pro Fauſel. Santalus cum coriādri dimidio.

FEL.

FEl, vt inquit Galen. lib. 10. de Simpli. faculta. succus est omniũ qui in quoque sunt animalium calidissimus, magnã tamẽ differentiam sortitur pro eorum varietate. Siquidem alia est eius natura oui, alia hirco, alia sui, alia boui, alia vrso, Pariq; ratione variatur in volucribus & in aqua degentibus, vt Galen. instituit loco citato. Taurini felis meminit Galenus in trochiscis Andronis, & Polydiæ, & Pasionis, vaccini verò Mesuęus in vnguẽto Arthanitę magno, pro quò (quãuis vrsinũ vel caprinum tutò recipi possit, quoniam æqualẽ facultatem obtinẽ) taurinũ substitui rectius est, vtpote temperamento calidius: nam huiusmodi qualitas hîc conuenit. Cęterùm in medicamentis, quę ad oculos præparantur, pro fele hyenę, fel perdicis supponitur â Galeno passim, siue etiam galli.

Pro

Pro Fele vaccino. Fel Taurinũ.
Fel Vrsinum.
Fel Caprinum
Pro Fele hyenæ. Fel Perdicis.

FLOS IVNCI ODORATI.

GAlenus lib. 6. de Compositione pharmacorum secundum locos, passim meminit floris jũci odorati in cõpositionib9, & Mesuæus in Dia morusia dicens: Accipe florum squi » nanti. Neq; enim oportet ignorare » juncum odoratum officinis, squinan tum vocari, Marcum Varronem imi tantibus. Quæ vox (quamuis deprauate) ex plantę floris nomine cõponitur, in vnã iunctis vtriusq; dictionibus. Veruntamen quamuis Galeni tempore rarissimus esset, vixque suppeteret flos, vt ipse lib. 1. cap. 14. de Antido. testatur, ad nos nũc afferri cepit, vnà cum integra planta.

Squinantũ

Iunci odorati electio ex Dioscorid.

Eligẽdus est ruffus, recens, floribus refertus, tenuis, rubentibus fragmẽtis, qui manibus confricãdo, rosę odorem emittat igneæ mordacitatis ad linguam, Dioscoride autore. Cauendum tamen dum emitur, ne sit adulteratus pallearum & herbarum quibusdam festucis: Atque etiam ne vetustate exoleverit, facilè enim ab eo vis omnis euanescit, vt docuit ibi Galenus. Quod si floris copia non adeo suppeditet, Galeni imitatione loco citato, junco ipso vtemur ex Arabia comportato, tenerrimas eius partes in cacumine decerptas florum vice medicamentis inserendo, Dioscoride non repugnante qui ait, florum, culmorum, radicumq; vsum haberi. Vbi verò flores & colliculi (vt in Dialacca maiori) requirantur, stipites etiã addere possumus, vt etiã nobiscum sensit Franciscus Alexander.

Pro

Pro flore junci odorati. Iūcus ipse odoratus. Radix eiusdem.

FLOS ÆRIS.

DIffert flos æris ab Squama ęris, quòd hæc malleorum ictibus decutitur, flos verò erumpit, ac cōcrescit subito & sponte ex ęre fuso, frigida aspersa. Auicenna libro. 5. vnguentum Veneris siue apostolorū inscribit, cui flos æris admiscetur. Decipiuntur tamen qui credunt ærugine ideſt virideęris, vnam & eandem rem esse (quamuis inuicem substitui possint ex recentiorum consensu) quomodo enim flos æris fiat, Dioscorid. docuit libr. 5. & Plinius lib. 34. cap. 11. Pro flore æris, squamma quoq; eiusdem supponitur, vt nō præter Galeni mentem testatū reli- Viride ęris differt à flore ęris.

 quit

liquit autor Succedaneorũ ipsi Galeno falsò inscriptus.

Pro flore æris. Ærugo ęris.
Squamma ęris.

FVLIGO THVRIS.

FVligo omnis(vt inquit Dioscorides lib.7.Simpli.)exiccatoria est ac proinde terrestris essentię, habẽs quasdam etiam ignis qui materiam combussit reliquias, sed id pusillum est. Thuris fuligine vtimur in ocularijs medicamẽtis, ęis videlicet quę ad oculos etiamnum phlegmone tentatos accomodantur,& vlcera habent. nam & illa expurgat,& carne implet. Similiter myrrhæ, terebenthinæque fuligo molestia caret, vt thuris, valentior styracis, picis liquidæ, & cedri. Hoc confirmauit Dioscorides capite proprio de fuliginę thuris

ris per hęc verba: Simili modo è myr „
rha, resina, styrace, reliquisq; lachry „
mis fuligo excipitur ad eadem cōue- „
niens. Galen. tamen lib. 8. de Simpli „
cium facul. styracis fuliginē pro thu
ris fuligine expressit.

Pro Fuligine thuris.	Styracis fuligo. Myrrhę fuligo. Resinę fuligo.

FERVZEGI.

Feruzegi vox quid sibi velit in Electuario ex gemmis Mesuæi, multi ambigũt. Sũt enim qui Smaragdum non sine errore interpretātur. Nam codex Arabicus Mesuæi habet Peruzegi. Et quoniam magna est apud Arabes inter. P. & F. cognatio, facilis fuit lapsus, vt. F. pro. P. reponeretur. Est verò Peruzaa Arabibus, Torchio siue Turquesa nostra, quã omnibus Arabum composi- Peruzaa. Turquesa.

positionibus inijci oportebit, Feruzegi habentibus, vt non citra rationem sensit Horta, autor ille Indicus ex Lusitania. Quantam autem vim habeat Torchio lętificandi, (valente Electuario ad tristitiam sine causa manifesta) docuit aperte magister Ioànes de Coruichō monachus Augustinianus, in libro de proprietatibus rerum, quem Gallica lingua conscripsit, iussu Caroli Regis Francorum, vbi ait, Torchionem lętare totum corpus, Smaragdum verò vitrū esse potius, nullamq; vim cor corroborandi possidere. Similiter sensit Bartholomęus Anglicus, libr. 10. de proprietatibus lapidū. Accedit Hieronymus Fracastorius lib. 3. de Sympathia & Antipathia rerum cap. 6. de curatione febris lenticularis, qui post multa medicamenta cordi conferentia ab ipso enarrata, statim subiungit: De Smaragdo autem specialiter

Torquio.

liter dicendo, ego quidem ab anti- „
quis, nullam talem attributam illi „
prærrogatiuam inuenio, qualem re- „
centiores quidã medici illi attribuũt „
quamuis ea ratione malignis febri- „
bus prodesse posit, quòd frigidus sit „
& siccus, vt alia medicamenta. Pre- „
ter id etiam quod lapis Smaragdus
apud Arabes vocatur Zamarret siue Zamarret.
Zabarget, vt constat apud Serapio-
nem cap. 384. Simplicium suorum,
& apud Matthęum Syluaticum in
Pãdectario, qui Zamarget, Smarag-
dum exponit, Feruzegi autem Stá-
ni genus.

Pro Feruzegi. Torchio.

FOLIVM.

FOliũ (quod & Malabathrũ Græ-
cis dicitur) non est Indici nardi
foliũ, sed potius sui generis est, Indi
cis

cis paludibus innatás, vt inquit Dios-
corides. Vix autem est qui hac ætate
Betele viderit, nisi forte sit Betele tantope-
re à Lusitaniæ Indis celebratum ad
commendandam oris suauitatē. Hal-
lucinátur pharmacopæi, qui in The-
riaca magna & syrupo de eupatorio
Mesuæi, vice Folij, Macijs vtuntur,
cum Nardo potius vti debeát, Dios-
coridis testimonio de Malabathro
„ sic scribentis: Easdē Nardo sortitur
„ vires sed efficatius omnia præstat.
Galen. similiter lib. 7. Simpliciū me-
dicamentorum, Malabathri (inquit)
folium cum spica Nardi simillimam
facultatem obtinet.

Pro Folio, Spica Nardi.

FÆNVMGRÆCVM.

FÆnūgræcū herba est habens sili-
quas corniculis similes. Quá nimi-
Sili-qua. rū simpliciter nominauit siliquā Col-
lume-

lumela, Plinius Siliciã, Varro Silicu lá. Semẽ huius in vſu medico eſt, vt apparet in emplaſtro de meliloto de ſcriptione Meſuęi, & in alijs compo ſitionibus, pro eo tamen lini ſemen ſubſtituit Dioſcorides libro. 2. cap. de lino ſic dicens: Linum vulgo notum eſt, cuius ſemẽ eaſdem quas Fęnumgræcum vires habet. Siliciã Silicu la.

Pro Fænugræco. Lini ſemen.

FILIX.

Filicis [quã Gręci pterim vocãt] duo genera à veteribus aſsignantur in marem ac fęminam diſtribuẽtibus, quorũm neutrum habet caulem, florem, aut ſemẽ, iuxta Græcorum & Arabum placita. Serapioni & Auicennæ, *Sarax* nuncupatur hæc plãta. Gignitur in mõtibus opacis, & in frigido ſolo, vt ait Plinius. Pteris Sarax

Huius

Huius radicis vſus eſt in vnguento Aggrippa Nicolai. Galenus libro. 8. Simplicium medica. pro Filice The-
The-lypte-ris.
lypterim ideſt fęminam filicem ſup-
" ponit his verbis: Filix radicem habet
" maximè vtilem. Similem ei vim ha-
" bet Thelypteris nominata.

Pro radice Filicis,	Thelypteris, ideſt fœminę radix.

FLOS SALIS.

SAlis flos Dioſcoridi dicitur pinguedo quædam crocei coloris, mari Nilo & alijs lacubus innatans: quo ſanè nos caremus. Propriè tamē flos ſalis appellatur, quod in ſalis fodinis & in ſalignis etiam reperitur velut pollen quidam ſupra craſsiorem ſalem, tenuiorum partium quàm ſal, colore candidiſsimo, & interdum cinereo. Pro eo tamen ſal ipſe Dioſco-

r.ui

ridi ſubſtituitur lib.5. dicenti: Et in vniuerſum flos ſalis acris eſt, & feruentis naturæ, vt ſal. »
»

Pro flore ſalis. Sal ipſe.

G

GALBANVM.

GAlbanũ cuius maximus eſt vſus in vnguento ex Althea Nicolai, ſuccus eſt plantę ferulaceę in Syria naſcentis Dioſcoride autore. Laudatur multis granulis conſtans, merũ, thuris effigiem præbens, pingue, nõ lignoſum, retinens nonnihil ſeminis ex ſua ferula, graui odore, neque humidum neque aridum. Celſus lib.5, in Malagmate Eutyclei, ſine ſurculis Galbanum fore docuit. Quod autẽ nos interdũ habemus, lignoſum apparet, & fortaſſe Serapinum, quoniã Galbanũ in Serapinum degenerat,

O ſicut

ſicut teſtatur Galenus libr.1.de Antidotis. Ætius ſermone.2. cap.25.libri.14. Sagapenũ pro Galbano ſubſtituit ſic ſcribens: Sagapenum vires
" habet Galbano ſimiles, magis tamẽ
" diſcutit & attenuat.

Pro Galbano. Sagapenum.

GALANGA.

RAdix eſt Galanga nũc notiſsima ſed veteribꝰ incognita, neq; enim eſt acorũ, vt quidã opinãtur. Quippe nunquã reperta eſt guſtu ſubamara, vt de acoro ſcribit Galen. ſed tãtũ acri. Vnde nõ immerito Serapioni aliud eſt galãga, aliud verò acorum. Et ob eandẽ cauſam inter Græcos Actuarius & Nicolaus Myrepſus in Aurea Alexãdrina Antidoto, & acorũ & galangã impoſuerunt, tanquã medicamẽta inter ſe diuerſa. Duplex autem eſt galanga, maior altera,

altera, altera minor. Hæc tenuis est radix geniculata, in purpura ruffescens, internodijs quibusdam reflexa, odorata, sapore admodum acri, adeò vt mansa, piperis & gingiberis modo linguã exurat, odore formaq; cypero similis, quapropter quibusdã Cyperus Babilonicus dicitur, Eligitur grauis, dẽsa, valde ruffa, odorata, & gustu acerrima. Adulteratur Cyperi vulgaris radicibus repurgatis, & in aceto cum pipere maceratis. Sed dolum deprehẽditur abraso cortice, nam pars interior, neq; galangę acrimoniam neque saporem habet. At galanga maior longè crassior est radix, debilior tamen & viribus infirmior, minusque odorata, & proinde duplo pondere pro tenui deficiente substituetur. Auicenna. 2. can. cap. 321. Cherfat Caryophillatũ supposuit, idest corticem Caryophilli arboris, iuxta interpretationem Andre

Cyperus Babilonicus.

Cherfat caryophyllatum

Andreæ Bellunensis. Quamuis possit etiam substitui pondus ipsius de fructu caryophylli, vt dict9 Andreas in cap. de Galanga rescripsit.

Pro Galanga tenui.	Galanga crassa duplo pōdere.
Pro Galanga.	Cortex Garyophylli.
	Fructus eiusdem.

GALLA OMPHACITIS.

IAnus Cornarius in suis in Galenum cōmentarijs tam primo, quã sexto libro de Compositione medicamentotum secundum locos, acriter contendit, nil aliud Omphacitidem Gallam esse antiquioribus, quã calycem illum quo glandes in arboribus continẽtur, quem retentiores
Cupula. cupulam vocant. Sed cum nusquam Dios-

Dioſcorides nec Galen. illud aſſeru-
erint, non eſt quod in hoc ei adſti-
pulemur. Dioſcorides, Galenus &
Paulus duorum generum Gallarum
meminerunt. Alteram (quę præſtan
tior cenſetur) Omphacitidem appel
lant, ideſt immaturam. Parua hæc
eſt, rugoſa, ſolida, grauis & minimê
perforata. Altera verò magna, flaua,
ac perforata, quæ non adeò viribus
valet, quamuis pro prima ſubſtitua-
tur. ná Dioſcoride autore, vtriuſq; „
vis eſt vehementer adſtringere. Ga- „
lenus tamen pro Galla Omphaciti
fructũ aut corticem Tamariſci ſup-
ponit, vt ipſe libr. 7. Simplicium de
myrica his verbis teſtatur: Cęterùm „
fructus & cortex non paucam ſorti- „
ta ſunt adſtrictionem, adeò vt Gallę „
Omphacitidi proxima ſint, niſi qđ „
acerbitas euidens eſt in Galla. Atta „
men vbi Galla forte ad manum non „
erit, eo vti liceat ad omnia ad quę il- „
la vtimur: in eiſdem & cortice. „

SVCCEDANEA

Pro Galla Omphacitidi.	Galla maior.
	Fructus myricę.
	Cortex myricę.

GLAVCIVM.

QVod Grecis Glaucium nominatur, Serapioni, Auicennæ, & officinis, memithe est: quo nomine vsu venit in emplastro de fermento Mesuæi. Est autem Glauciũ (vt testatur Dioscorid.) succus herbæ Syriacę, folijs ferè corniculati papaueris: quẽ nonnulli nefando errore, succũ esse chelidonij maioris crediderent: eo ducti argumento, quod scripserit Dioscorides Glaucij herbam, croceo succo totam madere, cuius sit vsus ad oculorum medicamenta. Contra eos tamen est, quod Glaucij succus refrigerandi facultatem habet, succus verò chelidonij, mordax & acris est, ipso Dios-

Memithe.

Glauciũ nõ est chelidonij succus.

Dioſcoride teſte. Galenus libro primo de Compoſitione medicament. ſecundum genera cap. 4. in emplaſtro Diachalciteos, ſuccum polygoni, lactucę, vel acetum & aquam ſuppoſuiſſe videtur. At verò in ocularibus compoſitionibus, vt in collyrijs aridis, hæmatitē lapidem pro Glaucio ſupponemus ad Galeni mētem. Nam lib. 6. Simplicium inquit, quod refrigerat & adſtringit glaucium inſigniter: addente Dioſcoride, miſceri in oculares compoſitiones. Similiter Galenus lib. 9. de Hæmatite ſcribit, quod tantum habet frigiditatis quantū adſtrictionis, & quod in oculares facultates indatur.

Pro Glaucio. Polygoni ſuccus.
Lactucę ſuccus.
Hęmatites in collirijs.

SVCCEDANEA GVMMI ARABICVM

QVod apud nos nunc ostenditur Gummi Arabicum vocatũ, ex multis arboribus colligi, nonnulli sibi persuaserunt ob colorum varietatem in eo repertam, & quoniam nemo ipsam arborem vidisse vnquam aut qui viderit, audiuisse dixerit. Cæterùm consentaneum est Gummi absolutè positum, vt in Theriaca magna, vel cum cognomento Arabicum, vt in alijs passim compositionibus, Acaciæ arboris spinosæ Gummi esse, iuxta Serapionis interpretationem. Hoc enim inter Gummi genera optimum esse vel Plinius testatur libro.13.cap.11.& Auicenna.2.canone. His suppositis, in legitimi Gũmi locum, subijciendum est Tragacanthũ Dioscoridis testimonio cap. de tragacãtho sic scribentis: Tragacanthum cutis spiracula, vt Gummi obstruit. Id ipsum confirmauit Gale-

nus

nus libro.4.de Compoſitione medi-
camétorum ſecundum locos cap.4.
de ocularium pharmacorum virib9.
Similiterq; autor ille Galeno adſcri
ptus libro de Oculis ſic ſcribens: Gũ »
mi Arabicum frigidum eſt & ſiccũ, »
obſtruit, tragacanthum ſimiliter. »

Pro Gũmi Arabico. Tragacãthũ.

GLVTEN ALZANAC.

MEſuæus in emplaſtro Diachy-
lon magno, Gluté alzanac re-
cepit, nomen quidem barbarum, &
ſatis hodie controuerſum. Pandecta
rij autor hederam exponit, eiuſque
gummi, ſed perperâm (ni fallor) tam
calidæ enim eſt facultatis Galeno te
ſte libro ſeptimo de Simplicium fa-
cultatibus, vt obſcuré adurat. quod
ſané ab illo emplaſtro alienum ſit
oportet. Præter id qđ ipſe Meſuęus

in Ceroto diapente ait, muſcilaginis glutinis alzanac, quod eſt ſignũ non eſſe gũmi hederæ: ex quo nequaquã liquor ille viſcoſus extrahi cõſueuit. Sunt & alij qui viſcum quo aues irretiũtur, interpretantur. Qua de re eius (quicquid ſi) loco, Ichthyocolla, hoc eſt piſciũ glutinum, ſupponetur. Cui planè ſententiæ, huius ętatis oculatiſsimi ſcriptores ſuffragantur, Dioſcoride etiam lib. 3. dicente: emplaſtris conuenire, vtileq́ue eſſe medicamentum.

Pro Glutinẽ Alzanach,	Glutinum piſcium.

H

HARMEL.

DIoſcorides præter rutam hortẽſem, ſyluestris duo genera præſcripſit: quorum poſtremum peculiari nomine Harmalam à quibuſdam vocari teſtatus eſt, & à Syris Beſaſam, ſub quo nomine medicamenta compoſuit Galenus libro. 6. de Compoſitione pharmacorum ſecundum locos. Poſtea verò Mauritani autores, parum mutata voce, Harmel appellationem retinuerũt: cuius ſemen ad vſum precipue eligitur, vt ipſe Dioſcorid. ſcriptũ reliquit. Caueant pharmocopei ne grauiſsimo errore Quirici de Auguſtis luminis apothecariorum autoris ſcripta ſecuti, loco Harmel, fœtidis & de hermodactilis Meſuei catapotijs, cicutæ ſemen admiſceant, quod & facultatibus harmele repugnat, & lethale vene-

Beſaſã

Error luminis apothecariorum.

venenum existit. Similiter detestari oportet, Matthæi Syluatici perniciosissimum errorẽ cap. 322. qui Harmel cum. H. scriptum, apud Arabes semen cicutę, sine illa semen rutæ syluestris interpretatur: quomodocunque enim scribatur, semper rutã syluestrem significat, tum apud Arabes præcipuos, tum etiam apud Dioscoridem & Galenum. In Harmel penuria, poterunt seplasiarij rutã domesticam subijcere in componendis medicamẽtis, nam siquis exactè Galeni scripta de ruta satiua libro. 8. Simplicium medicamen. & lib. 6. de compositione secundum locos de altera ruta Harmel vocata perpenderit, tum in vtriusque facultatibus, tũ qualitatibus, haud dubiè indiscriminatim, vtramq; tutissimo vsu venire comperiet. Siquis tamen domestica deficiente, alteram rutam vsurpare velit, quæ è locis aridis montosisque col-

Matthæi Syluatici error.

colligitur, diminuto pondere substi tuet, cũ calida sit in quarto ordine, in facultatibusque reliquis, valẽtior & acrior cẽseatur, ipso Gale. autore.

Pro Harmel. Ruta domestica.
Ruta mõtana mi nori põdere.

HELXINE.

HElxine, herba est clysteribus admodum peculiaris, quę (Dioscoride autore) nascitur in parietinis, vnde officinarum vulgus Parietariã appellauit. Alij quòd detergendis vitreis vasis sit aptissima, Vitreatã, aut herbam vitri nominarunt. Quibusdam Perdicium dicitur, vt inquit Galenus lib. 6. Simplicium, ex eo fortassis quòd perdices maximè ea vescantur. Ab hac longè diuersa est quam

Parietaria.

Herba vitri.

Plini-

Plinius libro.21.cap,16.inter aculeata retulit, non sic multis, vt prima cognita. Pro Helxine, Alsine herba in opacis locis nata, supponitur à Galeno libro. 6. Simplicium, ita de eius viribꝰ scribẽte: Alsine aut Myosota, similẽ helxine facultatem obtinet, nẽpe refrigerantẽ & humectantẽ. Est enim essentiæ aqueæ frigidę: quare & citra adstrictionẽ refrigerat

Alsine. Myosota.

Pro Helxine. Alsine.

HÆMATITES LAPIS.

HÆmatites lapis quo officinę & pictores vti solent, vulgo vocatus Lapiz, legitimus non est de quo Dioscorides & Galen. meminerunt, sed potius factitius ex vulgari Boloarmenico. Legitimus autem fossilis est, & spõte naturę nascẽs in metallorum cuniculis: qui fractus, sangui-

Lapiz

nem

nē colore imitatur. Galen. lib. 9. de Simp. facul. pro Hęmatite, Magnetē & Schistū siue Scissilē lapides suppo nit sic scribēs: Ex lapidibus vnus est „ & magnes adsimilem hęmatiti vim „ obtinens. De Chisto verò lapide sic „ ait: Lapidi Hæmatitę persimilē vim „ obtinet, verū infirmiorē is qui voca- „ tur Schistus. Dioscorides similiter „ lib. 5. Schistū lapidē substituit cū ait: Vim exhibet Hęmatite sed ad oĩa „ infirmiorē. Scisillis quoq; nūcupatur „ quia suapte natura friabilis sit. Idē „ etiam cap. 5. cinnabarim substituit sic scribens: Vim habet Cinnabaris „ Hæmātite lapillo eandem. Cōuenit „ ad oculorum medicamenta, verùm „ efficatius magis, enim adstringit. „

Pro Hæmatite fossili.	Factitius hęmat.
	Magnes.
	Schistus lapis.
	Cinnabaris.

He-

HEMIONITIS.

HAllucinantur omnium stirpiũ scriptores, qui sibi certò persuaserunt Hemionitim eam esse plantá quam seplasiarij linguam ceruinam nominant, quę vera est Græcorum phyllitis. Siquidem non solum compertum est nobis veram Dioscoridis Hemionitim Romę nasci, sed nos quoq; annis exactis eam accepimus proprijs manibus à quodá pharmacopola Toletano, qui eam collegerat prope magnum amphitheatrum in quibusdam edifficiorũ ruinis. Ipsius tamen defectu, Asplenum (quod Ceterach vocant) substituetur, præsertim ad lienis affectus ab ostructione ortos, si inquiramus quæ à Dioscoride dicta sunt in proprijs vtriusq; capitibus: & à Galen. lib. 6. de Simpli. medicamentorum facultatibus.

Lingua ceruina. Phyllitis.

Ceterach.

Pro Hemionitide. Asplenum.

HEYL.

IN confectionibus aromaticis Mesuæi, Cardamomi genus est Heyl, si credimus falsæ interpretationi Serapionis dicẽtis: Cardamomum ma ,,
ius est Heyl, minus verò Hylbane. ,,
Cæterùm cum Auicenna & alij ex Arabũ familia autores, in miua seu syrupo de cydonijs, cardamomum maius, & minus, & heyl accipiãt, facilè adducimur vt credamus, heyl esse quod Auicenna appellauit cozbague. 1. canone cap. 204. sic scribens: Cozbague
Granũ est paruum simile cardamo- ,,
mo quod affertur de Sclauonia, cali- ,,
dũ & siccum in tertio, & eius virtus ,,
est virtus gariofili: est bonũ stoma- ,,
cho, & hepati frigidis, & retinet vo- ,,
mitũ. Ex quibus apparet cariophyl- ,,
los, heyl penuria substitui posse. ,,

HEPATICA.

QVæ officinis hepatica appellatur herba, vsum pręstat in syrupis de Endiuia Gentilis Fulginatis & de cichorea Nicoli Florētini, hác
Lichē Græcis Lichen appellari tradūt, sed qua ratione non constat. neq; apud celebrem autorem vel Græcum vel Arabem legitur Lichenem herbam, hepati vtilé esse. Quod si Matthęus Syluaticus scripserit ex Serapionis & Galeni autoritate valere hác herbam cōtra splenis & hepatis obstructiones, & contra alios iecoris morbos, hæ tamen Lichenis vires, neque à Galeno, nec à Serapione scriptę leguntur. Hac de re certò statuimus
Eupatoriū. pro hepatica in dictis syrupis, Eupatorium inijciendum esse, de hoc enim scribit Galenus lib. 6. de Simpliciū

plicium facultatibus, quod hepatis obſtructiones expurgat, atque hepar ipſum corroborat. Et libro de Antidotis inquit, quod affectũ, ſępiꝰ herba Eupatorium efficaciter iuuit.

Pro Hepatica, Eupatorium.

HERMODACTYLVS.

NOn mediocris orta eſt cõtrouerſia circa officinârum hermodactylum ſubrotundę figurę, caſtaneę ſimilem, varięq́ue ſunt opiniones cuiuſnã plãtę radix ſit â veteribus deſcriptę. Veriſimiliorẽ tñ cenſemus eorũ ſentẽtiã qui Colchici ſeu Ephemeri lethalis radicẽ eſſe exiſtimãt, qđ Colchico per omnia reſpondeat, talisq́; comeſſa (Dioſcoride autore) fungorũ more ſtrangulãdo enecet. Vnde conſtat, non tutum eſſe apud multos hermodactyli noſtri vſum. colchicum. Ephemerũ.

Credimus tamen, eum tantum esse venenum qui in Colcho natus est, quod hæc noxa nostro tẽpore ab hoc hermodactylo prouenire non appareat in Hispania, quemadmodum de Persij arboris fructu in Ægyptũ trãslato scripsit Galenus: aut quòd ea quæ sumitur quantitas, non valde magna sit, siquidem (eodem Galeno autore) opus est, vt quicquid agat, etiã si sit valentissimum, aliquam tamẽ, & magnitudinem habeat, quando & ignis ipse si prorsus minimus sit, præterquam quod non vret, nec calefaciet quidem. In cuius confirmationẽ accedit Mesuęus, qui dũ simplicia examinat, hermodactylum, non digitalis figuræ, sed rotundum eligit, qualis noster vulgaris videtur. Demum cui nõ satis arriserit vulgares hermodactylos in vsum recipere, vbi opus fuerit per eosdẽ purgatione, agaricũ adsimilis facultatis supponet.

Lib.2. alimẽ torũ. Lib.3. Simp. cap.23

Pro

Pro Hermodactylo colchico. Hermodactylus vulgaris.
Agaricum.

HIPPOCYSTIS.

NAscitur Cystus & Hippocystis in quibusdam Hispanię locis, indeq́ue deberent pharmacopolæ omni diligentia conquirere. Est autem hyppocistis plàntula quædam cysti radicibus adnascens, vt inquit Dioscorides, sine folijs, floris punicę similitudine antequam explicetur, multis tuberculis aut capitulis constans rotundis, semini plantę ab Italis grano de India vocatę similibus, candidis, herbaceis aut ruffis. Pręfertur verò subruffa, ex qua liquor eiusdē nominis exprimitur, præparaturq́; ad antidota componenda. Animaduertendum tñ est ne hippocystidis loco col- grano de India.

colligant pharmacopęi plantam illam ei quodāmodo similem, quæ vulgo Yerua tora, o Esparrago de lobo dici solet: est enim Orobanche apud Dioscoridem. Cauēdum est etiā ne officinę pro Theriaca componēda, aut cōfectione trociſchorum terrę sigillatæ, Hypocistim accipiāt quam impostores ex Barbæ hircinę radicibus cōficiunt, succum inde exprimentes, & vt concrescat insolantes, cuius erroris Auicenna causam dedisse videtur. 2. cano. cap. 115. quòd cystum barbā hircinam appellet. Quo factum est, vt illi omnino aberrauerint qui officinis hanc hyppocistidem parant, sibi persuadētes hirci barbam (quam Græci Tragopogona vocant) illam esse plantam de qua Arabes intellexērunt. Legitimę igitur hypocistidis locum supplebit vera acacia, autore Dioscoride, vel succus balaustiorum eadem

Yerua tora. Esparrago d̄ lobo, Orobāche

præ

prȩstans quæ hypociſtis, vt idem Dioſcorides ſcribit in hunc modum dicens, lib. primo cap. de malo punico: *Succus ex balauſtio exprimitur* „ *hypociſtidis modo cui adſtrictoria* „ *vis ineſt, eadē faciēs quæ hypociſtis.* „

Pro Hypociſtide. } Lentisci succus
Acacia
Balauſtij ſuccꝰ

HYSSOPVM.

HYſſopum Cilicium cæteris antȩ poſuit Dioſcorides. Creticū verò Archigenes, apud Galen. lib. 8. de Compoſitione pharma. ſecūdum locos, montanumq́; hortēſi ſemper eſt melius. Dubitant tamen nōnulli an vulgaris herba hyſſopum appellata, ſit legitimū antiquorū hyſſopū, eo argumento quòd dixerit Dioſcorides (vt Marcellus interpretatur) origanū Heracleoticū folio eſſe hyſſopi, nō tamē habere vmbellā hyſſopi

modo, quæ quidem notæ non videntur in vulgari. Verùm hanc dubitationem in alium locum differemus, neque enim est præsentis loci. Interim verò cum nostrum & officinarũ hyssopum his omnibus polleat viribus (vt experientia probat) quas illi reddidit Dioscorides, pro verò tamẽ subiici poterit. Quamuis Thymus etiam supponatur ad Galeni mentẽ lib. 8. Simplicium medicamẽtorum
" vbi de hyssopo inquit: Desiccat & ex
" calfacit ordine tertio, sed & tenuiũ
" est partiũ. Quę similiter de Thymo scripserat lib. 6. eiusdẽ tractationis.

Pro Hyssopo. Hyssopũ vulgare. Thymum.

HASECH.

OLeum ex Piperibus Mesuæi (qđ aliquando in vsum medici trahere

here solent) ansam nobis prębuit legitimam ac genuinam Hasech vocis significationem scrutandi, cuius etiam mentionem fecerat antea in oleo de Alhasech, addito articulo Arabico. Scio tamen nonnullos ex recẽtioribus hallucinari in hac re, Syluius enim hyssopum exponit, deceptus fortasse quòd Mattheus Syluaticus Pandectarij autor, Hasek trástulit, hasech verò tribulum. Alij, vt Iacobus Málius vel Luminare, thymum conuertit, qui verè Arabibus Haasce dicitur, vt constat ex Auicẽna cap. 336. canonis. 2. Hasech igitur siue aseck, siue alhasech, tribulus est, vt constat ex Andreæ Bellunensis Arabicorum nominum interpretatione, & ex Simone Ianuensi. Pręter id quod ea quæ Auicen. 2. cano. cap. 337. de hasec docuit, similiter à Dioscoride lib. 4. cap. proprio scripta reperiuntur de tribulo. Hasce

SVCCEDANEA

Pro Hasech. Tribulus.

I

IRIS ILLIRICA.

VEteres in plures species Iridẽ partiti sunt herbã. Galenus tñ lib. 1. de Antidotis autor est omnes herbarios vnanimes scripsisse, Irim in Illyrio natam optimã esse, præsertim quę odoratior sit. Vnũ quodq; enim optimum est, quod sui generis vehementiorem odorem habet. Huius radices in vsum veniunt: nã frustatim dissectæ, in vmbra siccantur, & traiectę lino reconduntur. Hoc tempore Hispanica Iris pro Illyrica non male vsurpatur in Diaireos cõpositione, & alijs medicamentis. At iride omnino deficiente, helenium odoratum subijci posse, adeo euidens est apud omnes, vt nostra nõ egeat demonstratione. Qui tamen sibi velit

face-

facere satis, Paulum cõsulat, & alios ante ipsum Simplicium medicamentorum scriptores.

Pro Iride Illyrica. Iris Hispanica.
Pro Iride. Helenium odoratum.

IVSQVIAMVS ALBVS.

Corrupta voce Iusquiamus dicitur officinis, qđ hyosciamus & Appollinaris Latinis est, ab Appollinæ medicinę inuẽtore. Prima eius genera quoniam insaniam gignunt & soporem, in cõmuni vsu damnari, veteres testantur. Tertium verò quod albũ nominatũ est, vtile ad medicamenta censetur. Vnde Mesueus huius generis iusquiamum explicauit in confectione Philonij, in Athanasia magna, in quibus semen est accipiendum. Istius igitur albi defectu, ruffum accipiendum esse, Dios-

Hyosciamꝰ Appollinaris.

Dioſcorides præcepit, quod non tutum ex his quæ prius dicta ſunt, apparet. Autor quidam Græcus, ſemẽ rubi canini ſupponit. Quę ſentẽtia Galeno non placet libro. 7. Simplicium medicament. vbi ab illo cauendum eſſe docet, quòd fructus eius, lanæ ſpeciem habeat, ceu arteriæ infeſtum. Commodius eſt ergo, ſemen ſolani ſomniferi adhibere, cũ Galenus & Dioſcorides dilucidè oſtẽderint, quanta affinitate vtriuſq; qualitates coniungantur.

Pro Iuſquiamo albo.	Solanum ſomniferum.

K

KARABE.

Electrum Succinum.

¶KARABE Mauritanis & Perſis, quaſi rapiẽs paleas ſignificat, Gręcis electrum; & Romanis ſuccinum vocatur. Quidam lachrymam eſſe

populi

populi albæ vel nigrę asseuerarunt. Quod commentitium fuisse Dioscorides existimauit. Plinius ex arboribus pinei generis sicut gummi quoddam gigni tradit. Nicias historicus solis radiorũ succũ esse voluit. Alij opinati sunt fieri ex vrina lyncis. Philemõ fossille esse dixit. Georgius Agricola contendit, non aliud esse quàm bituminis genus, quod à quibusdam scopulorũ crepidinibus erumpens in mare defluit, vbi aquarum salsedine durescit. Quo fit, vt de succini seu Karabe historia, adhuc lis sub iudice pẽdeat. Galenus lib. 7. de compositione medicamentorum secundũ locos, Paulus lib. 7. & Actuarius in suo de componendis medicamentis volumine, electri trociscos vocant, quos Mesuęus de Karabe appellauit, cõtra sanguinis fluxiones. Auicenna. 2. canone cap. de Sandaracha, quæ vernix est apud Arabes,
ipsam

" ipſam ſubſtituere videtur dicẽs: Pro
" hibet tremorem cordis ſicut Chara-
" be, & prohibet fluxum ſanguinis. Se
rapio ſimiliter cap. Simplicium. 57.
" de vernice clarius ait: Et virtus eius
" eſt ſimilis virtuti Charabe.

Pro Karabe. Vernix.

KERVA.

Catã-putia maior. Regiũ granũ. OFficinæ Keruam ſiue Cataputiá maiorem appellant ſemen Ricini arboris, tametſi ab ipſo Meſuęo Regium granum appellari conſtet. Galenus lib. 7. de Simplicium facultatibus, ricini virees memoriæ prodens, folia pro ſemine ſuppoſuit dicens: Ricini ſemen quemadmodum
" expurgat, ð̃tergit, ac digerit, ſic quo
" que folium ſed vndequaq; debilius.
In huius ſeminis defectu lathyris ſemen (Tartagos vulgo dicitur & of- Tartã gos.

ficinis

ficinis cataputia minor) substitui potest, ijsdem enim pollet facultatibus quibus & ricinus: ijsdemq; medicamentis infrenatur. Siquidem Dioscoride autore, proprijs vtriusque capitibus, bilem & pituitam aquasque educunt ambo. Dantur grana huius cataputiæ minoris, maiora quindecim, minora verò viginti, vt Actuarius scribit in suo libro de Compositione medicamentorum.

Pro erua, Cataputia minor.

L

LABRVSCA.

QVod Latini Labruscã vocant, œnante Grecis dicitur. Estque veteribus flos vitis non tantum in- fructi-

fructiferæ, sed etiam fructum ferentis, vt apertê docet Galenus libro.8. cap.1.de compositione medicamentorum secūdum locos. Cęterùm domesticæ vitis flos quanquam ęnante quoque dicatur, cum tamen syluestris aut verius infructifera vitis, vi magis adstrictoria polleat, is per excellentiam ęnante appellatur. Labruscam requirunt myropolæ pro emplastri Diaphænicon Mesuæi cōpositione: cuius penuria vua immatura siccata supponitur ex Ætio libro.9.cap.48.de Pharmacis ad fluxum ventris sic scribente: Baccarum myrti coclearia tria, anisi, rosarum siccarum, ęnantes, acatiæ, singulorū cocleare vnum. Si ęnante haberi nō potest, vuas immaturas ac siccatas conijce.

Pro Labrusca. Vua immatura siccata.

LAPIS ARMENVS.

ARabes autores Armenum lapidem & lazulum simul eodem capite confundunt, vt constat apud Serapionem, qui de lapide lazuli scribens, non alia refert quàm quæ de lapide Armeno à Græcis traduntur. Mesuæus vero licet vtrumq; lapidẽ distinguat, non tamen vires admodũ differentes inuenit. Hinc sequitur in Diasene Nicolai lapidem lazuli vulgarem, ceruleumue, aut stellatũ pũctis aureis infectũ, substitui posse pro altero. Id quod Auicẽna expressit. 2. canon. cap. 57. de lazulo, [quod lapis Armenus ipsi est] sic dicẽs, Virtus e- »
ius est, sicut virtus illius cui adhæret »
aurum, debilior parum. Et clarius li- »
bro de viribus cordis, sequẽtibus verbis ait, Lapis lazuli, similem vim ha- »
habet cum eo quod dicitur de lapide

Lapis stellatus.

„ Armenico, nisi quia est ipso debilior
„ parum.

Pro lapide Armeno. Lapis lazuli.

LAPATHVM.

Rumex. LApathum siue Rumex, officinis lapacium dicitur, cuius est vsus in vnguento Martiano apud Nicolaum, ob vim discutiendi quam possidet. Auicenna & Serapio, & cum eis Valerius cordus, Lapathum omne nullo discrimine Acetosam nominant, perperam vocem, oxy, ad saporem referentes, quod ad foliorum figuram retulit Dioscorides in primo scilicet Lapathi genere. Est & Hippolapatum, Lapathi generibus annumerandum, quod in ipsius lapathi siue Rumicis locum succedit, ex

Valerij cordi error.

Acetosa.

Hipolapathum.

„ Dioscoride sic scribente: Hippolapa
„ tum, olus est magnum in paludibus

nascēs

nascens. Easdem habet uires quas su ,,
pradicta Rumicis genera. Galenus ,,
pariter lib. 7. de simplicium viribus,
Hippolapathum inquit, quod in to- ,,
tum in paludibus prouenit, easdem ,,
dictis facultates obtinet, sed imbecil
liores.

Pro Lapatho, Hippolapathum.

LANA VSTA.

LAnæ naturam & originẽ super-uacaneum est examinare: cum sit ex eorum numero, quę nullam cō tentionem seu controuersiam admit tunt. Succidarum lanarũ maximus est vsus, quamuis interdum crematę à medicis recipiãtur, vt inquit Dioscorides, ad vlcera cicatrice obducenda, & excrescentias carnis cohibẽdas Vnde Galenus lib. 3. cap. 9. de compositione medicamentorum secundum genera, lanę vstę meminit ad

Vstio lanæ ex Dioscoride petenda. vulnera, & alios affectus. cuius vstionem ipse Dioscorides docuit ca. proprio Cæterũ pro lana vsta, pili vsti supponuntur, ex Galeno lib. 11. simplici. medic. vbi ait, pili vsti similiter vstæ lanæ, ex calfaciẽdi exiccandiq́; admodum sunt facultatis.

Pro Lana vsta, Pili vsti

LAPIS LYNCIS.

Lyncuriũ. NIcolaus in confectione Lithontripon, & in Nefrocatartico, lapidem lyncis apposuit, Lyncurium etiam appellatum, quoniam, Dioscoride autore lib. 2. cap. de vrina, & Plinio lib. 8. cap. 38. vulgo credebatur, Lyncis animalis vrinam, simulac excernitur, in calculi duritiem concrescere. Hinc discant Myropolæ, lapidem quem impostores vendere solent spõgiosum, grauem & subnigrum

nigrum, rem esse incognitam & factitiam. Quinimo (vt docet Dioscorides, verum Lyncurium species est succini paleas attrahentis. Quod Aetius libro vndecimo ca. 13. de antidotis ad calculosos monstrauit, Electrũ siue succinum inter medicamenta lapides frangentia commemorans, Vnde fit vt non temerè *Succinum Carabe* vocatũ, loco lapidis Lyncis inuiciatur, cum etiam videamus confectionem trocischorum Alchechengi Mesuæi, vrinæ malis dicatam, Charabe recipere, nec nõ ipsam Lithontripon antidotum, medicamenta obstruentia recipere, vt Tragacanthũ, Mastichẽ & alia. Supponitur etiã Syriacus siue Iudaicus lapis (si ad manum sit) Galeni imitatione qui libro 10. de compositione pharmacorũ. secundum locos. cap. 1. vbi de nephriticis agit, nullius preterquã Syriaci lapidis mentionem fecit.

Carabe.

Lapis Siriacus.

Q 3 pro

Pro lapide Lyncis. Lapis Iudaicus.
Succinum

LAPIS PYRITES.

Marcasita. PYrites Grecorum lapis, non alius est, quã Marcasita vulgaris, quæ in metallorũ fodinis diuersa effigie & colore reperitur, Hunc lapidem cõmendauit Galenus libr. 2. de arte curatiua ad Glauconẽ, pro scirrhosis affectibus persanandis, cuius, si defi- Molaris lapis. ciat loco, Molarem lapidem supponit, sic dicẽs: Quod si Pyrites in prõ „ ptu non sit, Molari est vtendum. Sic „ enim vocant lapidem, ex quo molas „ frumenti conterendi parant.

Pro lapide Pyrite. Molaris lapis

LAPIS SELENITES VEL SPECVlaris.

SElenites lapis Dioſcoridi, is eſt qui vitri modo translucet, & facile in tenues finditur laminas, quo fit vt in ijs locis, vbi frequentiſsimus haberi ſolet, vitri vires expleat, ad cõcludendas ędificiorũ feneſtras. Quidam vero quòd ſpeculi imaginem reddat, ſpecularem lapidem vocarũt Similis eſt Selenites, Talco lapidi quo mulieres Genuenſes vtũtur ad ruffandum capillos. Galenus lib. 4. cap, 2. de compoſitione medicamentorum per genera, huius mentionem fecit pro vlceribus curandis, ibiq́ue vitrum vſtum pro illo ſupponit, his verbis ſcribens, Quim & quod Græce Diaphanes, Romanis Lapis nuncupatur Specularis, ex ijs eſt,

Specularis lapis.

Talco.

que leniter ac sine morsu exiccant,
„ qui vstus vlceribus ægre cicatricem
„ admittentibus, non item malignis ac
„ rebellibus cõducit, quippe minus ex
„ iccat, quam illa requirant. Idem po-
„ test vitrum vstum, & tofaceum illud
quod in æreis vasis calfactorijs con-
crescit.

Pro lapide Selenite.	Vitrum vstum. in vlceribus

LVPINVS.

LVpinus Hispanis Altramuz di-
ctus, amarum legumen est, nisi lõ-
Altrà muz. ga decoctione aqua bis aut ter mute
tur, aut sex siue septem diebus aqua
fluuiatili maceretur. Vnde extat Ze-
nonis Cittiensis dictum celebre, nã
cum is alioqui duriori, & iracũdiori
ingenio prçditus esset, vino libera-
lius sumpto, hilaris ac blandiusculus
cua

euadret, interrogatus deinde ecquid sibi tam repentina morum mutatio uellet? respondit sese non aliter, quá lupinos affectum esse. Nam hi priusquam aqua macerantur, amarissimi sunt, postea imbuti, dulces ac mites reddũtur. Duo sunt eius genera Dioscoridi, satiuum quod nunc in quibusdam locis satum prouenit ad agros impinguádum, æditurq́; in anonę caritate, frumentorumq́; inòpia. alterũ syluestre dicto minus, cuius innumerę apud nos exoriuntur plantæ, quæ Mayo mense in agris conspiciuntur. Conficitur ex lupinis farina pro emplastris cõtra gágrenas, tametsi hæc omnes decoctionis effectus reddat. Pro satiuis, syluestres substituuntur lupini Dioscoride sic scribente, Gig- ״
nuntur & syluestres lupini satiuis si- ״
miles, sed omnino minores qui eadé- ״
que satiui possunt. Simili modo Ga- ״
lenus ait, lib. 6. de Simplicium facult.

" Agrestis amarior est, & ad omnia va
" lentior domestico, eiusdem genere
" cum ipso facultatis.

Pro Lupino satiuo. Lupinus sylue-
stris.

LENTISCVS.

LEentiscus in Hispaniæ quibusdã locis frequentissimê prouenit, nunc in arborem mediæ proceritatis assurgens, interdum humilis, vulgoq́; Mata vocatur, y Lentisco. Folijs est Pistacij, graueolẽtibus & pinguibus. Perpetua fronde viret. Fert etiam Lentiscus in Hispania Mastichem, quamquám non ea copia qua in Chio & Creta Ægei insulis. Similem omnibus sui partibus astrictionem obtinet Lentiscus, vt Galenus ait libro .8. de simplicium medicamentorum facultatibus. Dioscorides

Mata, Lentisco.

des pro Lentiſco arbore, Terebinthum ſuppoſuit, libro .1. dicens. Te- „
rebinthus cognita arbor eſt, cuius fo „
lia & ſemen & cortex aſtringunt, „
& ad eadem ad que Lentiſcus conue „
nit, ſimili parata modo ſumptaq́;.

Pro Lentiſco Terebinthus.

LILIVM.

LIlia Hiſpanis notiſsima ſunt, quorum hiſtoriam & genera Plinius luculenter admodum attigit, lib. 21. cap. 5. Hanc herbam Græci perhibent, Poeticaq; teſtantur fabulamenta, ê Iunonis lacte natam reſperſa terra. Ex flore paſsim oleum conficitur, quod Suſinum alio nomine nuncupari tradunt. Cæterum, vt breuiter dicamus, inuicem ſubſtituuntur Lilium & Hemerocallis.

Heme roca-lis. Gal. autore lib. 6. de simplicium medic. facul. his verbis de Hemerocalli scribente, Hemerocallis radicem ha-
" bet lilij radici similem, non figura tā-
" tum sed & viribus, prodest nō secus
" atq; illa igne ambustis, quippe quæ
" leuiter digerentem facultatem ha-
" beat, & cum hoc nonnihil astringen-
" tem,

Pro Lilij radice, Hemerocallis radix.

LACCA,

SErapio natiuam Laccam duplicē ostendit, prima est Dioscoridis cā camum, quod Hispani Anime dicūt. Ani-me. Altera est infectoribus expetita, ijs tingendis sericis, quæ uili precio veneunt. Atq; hæc ipsa Dialaccæ medicamento miscenda erit, & hanc Myrepsus intelligens, laccam infectorū vocauit in sua Dialacca. Hanc dicūt

Lu-

Lusitani inueniri in vastis arboribus pruno similibus, in eiusq; surculis magnas formicas in terræ visceribus enatas, ipsam laccam elaborare, (vt apes mel cõficiũt, materiã ex ipsa arbore exsugentes. Melior censetur syncera, lignique fragmentorum expers. Caueat pharmacopolę ne monacos Mesuæi imitentur, qui in Dia laccam magnam loco laccæ, sanguinem Draconis supponunt, qui valde astringit, cum contra lacca aperiat & extenuet. Tutius enim est veræ inopia, primum ipsius genus, quod Cancamum vocant, subijcere, siquidem, autore Paulo libro. 7. vis ei est obesos extenuare, aperire obstructa, & abstergere, quę sane facultates in Dialacca exoptantur vt constat. Laccę electio.

Pro Lacca Cancamum

Loti

SVCCEDANEA LOTI ARBORIS CORTEX.

Celtis Sadar Agrifoliũ. Nabach. Almaizo. Lidonero.

LOtus arbor (cuius meminit Dioscorides) Celtis quoq; latinis vocatur: alijs Agrifolium, Arabibus Sadar, & fructus eius Nabach Hispanis cum suo fructu notissima est, Almaizo siue Almez y Lidonero vernaculo sermone ipsam appellãtibus Quamuis longe alia esse videatur, de qua Plinius & Theophrastus meminere fructu Fabę, & non Piperi vt Dioscorides inquit simili. Lotũ scriptis tradidit Galenus, libro. 7. simplicium medicamentorum, cum tamen ta maximè commendauit ad mulierum profluuia, dysenterias & alias ventris fluxiones. Aetius tamen lib. 9. cap. 48. pro Loti cortice, Pini corticem supponit de pharmacis ad dysentericos sic scribẽs. Quod si Lotus
" nõ adsit, cortice Pini vtaris. & paulo
" inferius, Mespili corticẽ subiecit ijs

ver-

verbis, Quod si Lotinus cortex non ,,
adsit Mespilino pro eo vtaris. ,,

Pro Loti cortice, Pini cortex
Mespili cortex.

LIGVSTICVM.

Ligusticũ à Liguria vbi plurimũ nascitur apellatũ, Galenoq; lybisticũ dicitur, officinis leuisticum, & barbaris cheysim, vt apparet in Dyacimino Nicolai, & in altero electario de aromatibus Mesuęi. Verò ligustico Genuę & per totã liguriã pro pipere vtuntur, & inibi semẽ in ciborũ condimẽta venit. Vnde Pli. lib. 20 ca. 17. de aniso scribens, ligustici vicẽ pstare dixit in cõdimẽtis, cũ idem etiã possit in medicamẽtis pinde ac cuminũ ad Gal. mẽtẽ li. 7. simp. vbi cũ de lybistico scriberet, semẽ eius excalefacere adeo vt mẽses cieat, & vrinas prouocet flatusq; discutiat, eadẽ de aniso, & cumino & caro ligustico què pdicauerat sectioẽ de cumino, his

Lybisticum

Cheysin.

„ verbis ſcribens: Cymini ſemine ma-
„ xime vtimur, quemadmodum aniſi
„ liguſtici, cari. eſt verò & facultatis
„ excalfacientis ſicut illorum vnum
„ quodq;, tum vrinam mouentis & fla
„ tum extinguentis.

Pro Liguſtico. Cymini ſemen.

LYCIVM.

LYcium à Lycia regione in qua naſcitur appellatũ, ſuccus eſt arboris ſpinoſæ, Dioſcoride autore. Officinarum Lycium adulterina res eſt ex pluribus ſuccis conflata, nam & ex Peryclimeni baccis, & ex prunis ſylueſtribus expreſſum ſuccũ inſolatum, arefactũq; huius vicem mẽtiuntur. Pyxacãthę arbores vnde verum Lycium extrahi poſsit, in Lyguriæ alpibus proueniunt, atq; etiã in Hiſpania, ſed adeo modicę cutrã

Myropolæ, quæ ad vſum medicinæ faciunt, vt etiã ea ignorent, quæ ſpõte nobis à natura offeruntur. Lyciũ inter alia recipiunt pilulæ lucis minoris Meſuęi, pro quo tamen (vt inquit Gal. lib .7. ſimplicium) aliqui centaurium repoſuerunt. Tutius vero liquamentum rhoys ſupponitur ex Dioſcoride, cũ cap. de Rhoe, „
ſic ait: Liquamentum fit ex aridis fo „
lijs ad craſsitudinem mellis in aqua „
decoctis, ad eadem vt lycium conue- „
niens. Lycij ſimiliter vices ſupplet „
Amurca eodem autore, lib, 1. his verbis: Decocta amurca in vitreo vaſe, „
ad craſsitudinem mellis aſtringit, „
cęteros præbẽns Lycij effectus, „

Pro Lycio. Liquamẽtum Rhois
Amurca.

LINGVA AVIS.

℞ Semẽ

SVCCEDANEA.

SEmen illud Lingua auis appellatum, Fraxino (arbori notæ) refertur. Hoc requirūt pharmacopæi pro cōfectione Diasatyriō Mesuæi. Auicēna. 2. can. cap. 437. p Lingua auis, nucem moschatam & Hormini semen apponit sic scribens: Loco eius
„ in mouendo coitum ponitur æquale
„ pondus de nuce moschata, & pōdus
„ eius de Hormlno. Serapio similiter cap. 226. nucem moschatá, & Behen
„ rubrum substituit sic scribēs: Et pro
„ ea ponitur pondus eius de nuce mo-
„ schata, & medietas ponderis eius e x
„ Behen rubro.

Pro Lingua auis. Nux moschata.
Hormini semē.

LVPVS SALICTARIVS.

SAlictarius lupus appellatur Latinis illa planta hortis admodum familiaris: sicq; dicta quia scandit salices

tes, & arbusta omnia circumuoluen dose complectitur. Ex qua Germani, Flandri, atq; etiã Hispani Ceruisiam potum, vini vice conficere solét. De hac plãta nusquã locuti sunt veteres Græci, quamuis posteriores eius meminerint: atq; etiã Plinius lib. 21. cap. 15. Apud Arabes verò inter Volubiles numeratur cuiusmodi est quarta species Mesuæi, apud quem Lupulorum succus maximè expetitur, vt apparet in syrupo Bizantino siue Dinarij. Huius defectum (vt Placotomo placet) supplet Fumaria, potissimùm in medicamentis cõtra scabiem. Quantum autẽ hoc habeat veritatis, ex vtriusq; facultatibus inter se collatis, qualitateq; temperamẽti liquidò constabit. Ceruisia.

Pro Lupo salictario. Fumaria.

M.

MARVM.

SVCCEDANEA

MArum (si Plinio credimus) herba est inuentu rara & Italiæ peregrina. Quam inter ea duntaxat odoramentorum genera, quæ ab externis regionibus conuehebantur, collocauit. Sunt multi qui existimẽt Marum esse illam plantam, quæ Almoradux nomine vsurpari solet apud tonsores, vehementi odore, sapore amaro, folijs minusculis & subalbidis vires, tenuibusq;. Quicquid tamen id sit, Mari loco Sisymbrium supponent Theriacæ cõfectores, Dioscoridis testimonio sic de Maro scribentis: Vim habet Marum Sisymbrio consimilem. Amaracum quoq; siue Maioranam hortorum substitui posse, Galenus insinuauit, lib. 1. antidotorum, cum ait quod vnguentũ illud in quo Amaracum pro maro admisceri iussit, & si minus quidem odoratum inueniretur, non tamen viribus inefficatius erat.

Almoradux

Maiorana.

Pro

Pro Maro. Sisymbrium Maiorana.

MANNA CALABRICA.

Lacce elec-tio.

MAnna ros est,qui ex aere in arbores,lapides,terramq; decidés densatur & cogitur in granula minuta. Arabes tamen autores res & nomina confundentes,vni & eidem rei varias voces accomodarunt. Ná in Diacartamo vulgaris vsus, Maná granatam seligunt. In confectione Hamec, Tereniabim. In confectione Hierecost descriptione Irani, Alsiracostum. Quæ sané nomina pro eodem vsurpantur,vt apparet in Auicenna,2.canon. Tametsi ipse & alij ex Arabum familia, diuersis capitibus de Mãna & de Tereniabim prodiderint. Verum si aliqua sit differentia,non alia erit,nisi quod vna liquef

Alsira costũ.

cens melli similis, alia in grumos cõcreta, & granulosa videatur, qualis nostra conspicitur. Duo Máne genera ostenduntur hodie peregrina, alterũ ab Orientali plaga ex Alexandria Ægypti, alterũ ex Italiæ Calabria defertur. Calabriẽsis pluris nũc fit, quę multis annis integra persistit non vno tantum sicut Orientalis, de qua forte intellexit Mesuęus cum dixit per annum seruari.

Máne electiões. Præfertur semper Calabra, præsertim quę ex foliis arborũ collecta est, quæ ex hoc dignoscitur, quod grano constet exiguo, translucente, graui, simili mastiches granulis, candidis, gustu dulcibus & suauibus. Secundum locũ obtinet quæ ex ramis colligitur. Tertium quæ in lapidibus. Sed hę crassiores sunt, minus syncerę, & colore turbido. Adulteratur amyli farina, rebusque similibus, sed maleficium facilè deprehenditur.

Mánę

Mânę Calabriẽsis penuria multis videtur Mãnam Hispanicam substitui posse, si tamen ei legitimę responderint proprietates: quod non inficiamur. Mattheus Curtius Papiensis, mel pro Mána substituebat, quòd nõ multum virtute differrent in medicamentis saltem componendis, quia vtrunq; aluũ mouet, mel minus, Mána magis.

Pro Manna Calabrica, Hispanica electa.

MANDRAGORA.

EX foliis Mandragoræ vnguentũ Populeum Nicolai concinnatur inter alia, & Tryphera magna eiusdem. Sed quia Mandragoræ folia recentia vbiq; haberi nõ possunt, folia in muriis seruata eosdem ad vsus exhibentur, vt Dioscoridi placuit. Dorycniũ etiã, herba maritima (si ad manũ sit) supponitur ex Galeno libr. 6.

de simpli. medicamen. facul. sic scri-
„ bente, Dorycnium temperamento
„ papaueri simile est & mandragoræ,
„ ac quęcunque parē habent refrigerā
„ di potentiā. Ex quibus elicitur papa
uer ipsum, aut folia hyosciami, pro
folijs mandragoræ similiter suppo-
ni posse, quoniam eque, hoc est ter-
tio ordine ambo refrigerant, vt sigil
latim docuit Galenus lib. 7. simpli.
de mandragora, & 8. de hyosciamo.
Pro fructu verò, còrticē radicis sub-
stituit Aetius lib. 7. cap. 108. de Col-
„ lyrijs ex rosis sic dicens: Et in hæc ro
„ sas, melilotum, hyosciami semen &
„ mandragoræ mala, aut si hęc non ad
„ sint, corticem inijcito, & àd triduū
„ macerari sinito. Pro succo autem po
morum mandragorę, succum hyos-
ciami, & papaueris subiici posse, Ga
lenus insinuare videtur, lib. 1. de com
posi. medicamen. per genera, cap. 4.
in emplastro Diachalciteos ad hunc
modum

modum ſcribens: At Mandragoræ ,,
pomorum virentium ſuccus recens ,,
adiectus, magis aptũ medicamẽtum ,,
efficiet, quem ſi tempus non admit- ,,
tat, illius quæ â Creta vel alio quodã ,,
loco aduehitur, miſcere non dubita- ,,
bis, quim & hyoſciami ſuccum tem- ,,
perare ei conſueuimus, interim me- ,,
conium, ſic autem ſuccus Papaue- ,,
ris appellatur. Et libro. 9. de compoſi
tione pharmacorum ſecũdum locos
cap. de Pharmacis colicis ab Andro-
macho conſcriptis, ſuccum radicis,
ſed maiori copia ſubſtituit dicens:
Succi malorum mãdragoræ ʒ 8. aut ,,
ſucci radicis eiuſdem ʒ 10. ,,

Pro foliis Mandragoræ recentibus.	Folia vetuſta in muriis ſeruata.
	Dorycnium.
	Papauer.
	Hyoſciamus.

SVCCEDANEA

Pro fructu Mã dragoræ.	Cortex eiuſdem.
Pro ſucco Man dragoræ.	Succꝰ Hyoſciami. Meconium. Succꝰ radicis pau lo maiori copia.

MACER ET MACIS.

GRæcorum Macerē, & Macis Ara bum inter ſe multũ differre, eui- dẽtiſsimis rationibus perſuaſit Mat thiolus, tam ex antiquorũ quàm ex Arabum ſcriptis. Maci hoc tempore abundant officinę noſtræ. Qualis au tem ſit Macer, vel Plinius incõpertũ habuit, lib. 12. cap. 8. Quare turpiter errant Pharmacopæi Maci pro Ma- cere vtentes in medicamentis cõpo- nendis, inducti falſo monachorũ Me ſuęi dogmate, qui Macim à Macere diſtinguere non potuerunt. Conue- niet igitur in compoſitionibus Grę-

corum

corum pro Macere myrtũ ſubſtitue re, de quo eadem ſcribit Galenus lib. 8. ſimpliciũ medic. quæ lib. 7. de Macere docuerat, vt conferenti cõſtare poterit. At pro Maci Arabum, Nucem moſchatá accipiemus (cuius eſt operimẽtum) vt exacto iuditio ſenſit Ioannes Placotomus in Pharmacopæa.

Pro Macere.	Myrtus.
Pro Maci.	Nux moſchata.

MEL ATTICVM.

GAlenus libro. 1. de Antidotis in Andromachi Theriaca, & lib. 9. de compoſitione pharmacorum ſecundum locos in Antidoto Philonis Tarſenſis, Atticũ mel, hoc eſt Athenis collectum, elegit. Sed quia vix eſt qui mel illius regionis cognouerit, eius inopia deligẽdũ Hiſpanicũ quod

ſit

ſit colore pallidum aut flauũ puriſsi mumq;,cum reliquis notis quas ei tri buit Dioſcorides libro. 2. & Gal. 7. Methodi curatiuæ. Hippocrates libro de internis affectionibus aliud
" mel optimum ſubſtituit dicens,Si ve
" ro Atticum non habeas,optimi alias
" cocti heminam in mortario ammiſce
to.In ſumma tale ſit oportet quale à
Mellis opti- mi no tæ. Galeno deſcribitur libro.5.de ſanita te tuenda cap.8. his verbis:Nam mel profecto melius fuerit quod ſpecie ac viribus Attico ſit ſimile. Quod ſi
" tale non datur,quolibet vtare,modo
" ne mali odoris ſit.ne ve ceræ qualita
" tes apertè præferat, ne ve præſertim
" qualitatem quampiam extraneam.
" Vnde hallucinatus eſt Cronembur-
Cro- nem- burgij lapſus gius in ſuo de compoſitione medicamẽtorum libro, vbi Cypheos cõpoſitionem expendit:nam in vniuerſum docet mel albiſsimum & durum Hiſpaniæ , Attici loco reponendum.
Quam

Quamuis enim Nicolaus mel album probauerit in cõfectione rhodomellis, id non fuit illi præter rationẽ, qui medicamẽtum temperatius reddere voluit, vtpote sanis etiam propinandum. Quod autem sanis mel album aut pallidũ magis ex vsu sit, flauum verò medicamentis componendis aptius, Christophorus à vega magister noster in Arte medica nunq; penitẽdus, libro suo de Arte medendi cap. de melle, luculenter admodùm ostendit.

Pro Melle Attico. Mel Hispaniȩ fuluum.

MOLIBDENA.

Molibdena (quæ Latinis Plumbago dicitur) herba est Plinio lib. 25. cap. 13. folio Lapathi, radice crassa, quam nos vulgo Velesa vocamus. Cæterùm est & mineralis Molybdena Plumbago. Velesa.

lybdęna quę in natiuã & factitiam partitur. Natiua est ea vena argentũ simul & plumbum continés. Factitia verò in fornacibus procreatur, in quibus aurum & argentum eliquantur. Nam cum fodinæ non tãtum in se plumbi continent quantũ eis per collandis sufficiat, vbi eis plumbum adiicitur, in ipsius fornacis fundo, postq̃; ex eo fluxere metalla, plumbum calcinnatum, concretum & deustum reperitur, simile lithargyrio, quod Molybdęnam vocãt, eiusdéq; cum illo facultatis ex Galeno libr. 9. simplicium medicamentorũ vbi ait:
" Molybdęna similẽ Lithargyrio vim
" possidet.

Pro Molybdæna. Lithargyrium.

MORORVM SVCCVS.

EX succo fructus Mori arboris, quam Morũ celsi officinæ appellã:

lant, medicamẽtũ paratur Diamorõ dictũ præter alia multa quę stomaticha vocauit Galenus. Sed quod pro succo mororũ, Rubi mora substituãtur, vel ipse Galenus nõ diffitetur libro.6.cap.1.de cõpositione pharmacorum secundum locos. Nam postq; exposuerat propriè stomaticha dici quæ ad vuæ tonsillas ac omnes quæ in ore fiunt repentè inflammationes conueniunt. stomatichum deinde ex moris parare volens, sic scribit: Cęterùm pro Mororum succo, coniicitur etiam mororum Rubi succus. Et libro.2. de Alimẽtorum facultatibus cap. de Rubi fructu sic scribit: Omnia porrò quę ex Mori succo medicamenta componuntur, ex huius liquore parata, efficatiorem virtutem acquirunt. Similiter Paulus libro. 7. cap. 4. vbi Dyamoron simplex & compositum commemorauerat, quod ex moris (inquit) batinis constat,

constat, eodē modo præparatur, maiori videlicet vi astrictoria prēditū.

Pro Mororum succo. Rubi Mororum succus.

MVMIA.

ARabes autores duas Mumiæ species constituunt, alteram quæ verum est Dioscoridis Pissalphaltum, alteram autem quæ vera est Mumia ex myrrha, aloe, croco, & humiditate quæ ex cadaueribus humanis resudat confecta: ex qua in Asia diuitum tantum corpora cōdiuntur. Hęc ad nos hodie nō affertur, sed pauperum tantummodo cadauera cum Asphalto & pice condita. Ideo fallūtur qui cūm legitima Mumia opus est in puluere cōtra casum Mesuæi, & in Emplastro contra rupturam Guidonis Cauliaci, arefactam istius modi cadauerum

Pissalphaltū

uerum

uerum carnem assumunt, ipsam & ossa simul contundentes, eaq; medicamentis admiscentes. Superest ergo nobis loco Mumiæ vti Pisalphalto, hoc est, pice & bitumine mixtis: siquidem ipse Auicenna proprio de Mumia cap. inquit, Mumia est in „ virtute picis & asphalti cõmixtorũ. „ Quod si pro Asphalto, ex Galeni & Pauli scriptis, pix sicca solet reponi, ipsa per se pix, pissalphalto deficiẽte pro Mumia subiicietur.

Pro Mumia.	Pissasphaltum.
	Pix arida.

MALICORIVM.

Cortex siue putamen Mali punici, Malicoriũ dicitur, quoniam illo maximè coria tingebantur. Cæterùm quum huiusmodi cortex valde parabilis res sit, habeatq; efficacis

ſimam aſtringendi vim, in medicamentis non paruum vſum præbet. Oportet tamen cortices mali punici detrahere (Galeno teſte libro 6. de compoſitione per locos cap.1.) iuxta id tempus quo punica nondum perfectè matura ſunt: non tamen longè à perfectione abſunt. Malicorij inopia, cytinus ſubſtituitur à Galeno libro 8. ſimplicium medicamẽtorum, his verbis de malo granato ſcribẽte:
„ Porrò ſucci ipſius acini, tum aſtrin-
„ gentiores, tum exiccãtiores ſunt, his
„ etiam magis putamina, vocantur au
„ tem ſidia. Adſimilem illis vim ha-
„ bent cytini, ſic enim eorũ appellan-
„ tur flores.

Pro Malicorio. Cytinus.

MEVM ATTHAMANTICVM.

Ex

EX Mei plãtæ generibus, nobilius quod Atthamáticum vocant, ita dictum quoniã ab Atthamante Æoli filio inuentũ sit: vel quod præstantissimum in Atthemãte phthiotidis proueniat. Rarum hoc fuisse in Italia Plinius testatur, adeoq; vt medici serere cogerétur. Vnde fortasse errandi occasionem non paruam arripuit Cordus cum Theriacam expendit, qui ait nos vero carere Meo, & pro eo vtendũ Seseli, aut Sisono medicamentis non admodùm cognitis. Sunt qui Pimpinellã hircinã seu officinarũ Saxifragiã, p Meo supponãt, cuius folia etsi Bipinellam potius ęmulentur, latiora tamẽ sunt, caule bicubitali, radicibus albis, longis, in latus recteq; tendentibus, insignis acrimonię, nec sine odore. Quæ inditia, & si legitimũ Meum non ostendant, illi tamẽ, substituti loco verius quadrant, quàm nux vnguentaria huic

Valerij Cordi lapsus.

Pimpinella hircina.

Autor Galenicorum succedaneorum taxatur.

succedaneũ facta, ex Galeni & Pauli substitutis spuriis. Quãdoquidem nux hæc, vomitoria est ac purgans nõnunq;, aliaq; plura â Mei natura diuersissima obtinet. Quanquã pro Mei radicibus, Dauci etiam radices quibus officinæ Toletanæ abundãt, subiici possũt. Nã quæ de Meo à Galeno dicuntur lib. 7. simplicium medic. similiter libro 6. de Dauci radicibus ab eodem prædicantur, vt conferéti patebit. Simili modo Cyperi radices accipi possunt, quòd calidæ & siccę sint, ac vrinam & menses cieãt, vt Mei radices.

Pro Meo Athamantico.	Meum Hispanũ.
Pro Mei radicibus.	Dauci radix.
	Saxifragię.
	Cyperi.

MYRRHA.

QVÆ nunc in officinis habetur Myrrha, aut adulterio non vacat, aut è deterioribus est. Quod inter cæteras notas, grauissimus odor arguit: tum suauissimũ alioqui obtinere debeat. Erit itaq; vulgaris Myrrha, caucalis fortasse, aut ergasima, non autem Trogloditica, quam omnium primam statuit Dioscorides. Hîc animaduertant Myropolæ, vt nullo pacto Auicénæ autoritate male intellecta. Myrrhę loco, piger nigrum supponãt. Id enim refellit Auicenna his verbis: Loco eius ponitur „ medietas põderis sui dę pipere nigro „ secundum quod dicitur, sed nihil est, „ vel non est ita. Dioscorides libro. 3. „ cap. de Smyrnio herba, semen ipsius pro Myrrha suppofuit dicẽs: Semen „ Smyrnij, Myrrhæ sapore, ita vt alte „

rum alterius loco cedat, At verò licebit pharmacopolis (si velint) selectiorem Myrrham ex his quæ nunc veneũt Myrrhæ generibus recipere pro vsu medicamẽtorum, vt nostræ ętatis doctissimis medicis visum est.

Pro Myrrha Troglodytica.	Myrrha vulgaris.
	Smyrnij semen.

MEDVLLA CERVINA.

MEdulla omnis & vera, continetur in ossibus, vt inquit Plinius libro 11. cap. 37 Iullio Polluci ossiũ complementum dicta. Accipitur autem non solùm ex ossibus sed ex spina quę tum durior, tum siccior est q̃; alia, debetq; seorsum reponi vt censet Galenus libro 11. simplicium medica-

dicamentorũ. Ex medicamẽtis compositis medullas hoc tempore recipientibus, vnum est Isopicerotũ descriptione Philagrij Mesuæi. Dioscorides primam laudẽ ceruinæ defert, mox vitulinæ, posthanc taurinę, deinde caprinę & ouillę. A quo nõ dissentit Galenus optimam semper expertus ceruinam, libro 6. de compositione pharmacorum secundum locos, In cuius defectu, vitulinam substituit libro 4. de compositione medicameneorũ secundũ genera cap. 5. „
sic scribẽs: Verùm multò vtilius me- „
dulla ceruina induratis vlcerũ oris „
adhibetur, quę si non adsit, vitulina, „
sin vtraq; desideratur, humida quæ- „
dam & non acris resina.

Pro Medulla ceruina. Medulla vitulina.

MELILOTVM.

Corona regia. VVulgaris vſus plantam (quam Coronam regiam vulgus appellat) Arabum eſſe melilotũ, multi cõtẽdũt ex Serapionis ſcriptis. Tametſi multę alię Trifolij ſpecies pro illa demonſtrentur. Sunt tamen qui veram Gręcorum Melilotum eam eſſe herbam exiſtimẽt, quæ à noſtris Trebol oloroſo nuncupatur, cum nulla alia trifolij aut loti ſpecies ſit, & boni odoris, & ex qua coronæ aut Sertulæ factitari poſsint, vt Dioſcorides & reliqui teſtantur autores. Verantamen ſi alia plãta ſit Melilotũ, quæ nobis infrequens ſit, eius inopia Trifolium hoc odoratum accipi poterit, potiſsimùm in emplaſtris eiuſdẽ nominis. in reliquis enim, roſa, aut melius crocus ſubſtituetur ex Galeni ſententia libro 7. ſimplicium, qui meliloti & croci, eaſdem omnino facultates ſuis capitibus recenſet. Et clarius libro 5. cap. 1. de compoſitione phar-

Trebol.

pharmacorum secundum locos, his
verbis scriptũ reliquit: Dictũ etiam »
ante à me est, quod ex discussoriis »
medicamentis in principio, præstan- »
tiora sunt quę modicam astringen- »
di vim complectũtur, qualia sunt ro- »
sæ, & melilotum, & crocus. »

Pro Meliloto. Trifoliũ odoratũ.
Crocus.

MISY.

MISY minerale est Galeni testimonio, quod à sese spõte terræ visceribus innascitur, & in metallo aut fodinis ærariis ita super chalcitim nascitur, ærugo super ęs. Misyos inopiam supplet chalcitis: ea de causa vt inquit Galenus libro 9. simplicium medicamentorum his verbis:
Itaq; mirum non est tria hæc medi- »
camenta eiusdem genere facultatis »

„ esse, Sory dico, Chalcitim, & Mysi,
„ tenuitate & crassitudine partium in
Azi- ter se diuersa. Dioscorides lib. 5. me-
che. lanteriam supponit (Aziche nostri
„ vocăt) sic de eadé scribens: Vim cau-
„ sticam eam obtinet quam & Mysi.

Pro Mysi. Chalcitis.
Melanteria.

MILIVM.

INter frumenta tertij generis refertur milium à Theophrasto: magnoq; in honore fuit semper apud veteres. Non solùm enim ex eo vinum olim factum, sed & Theriacæ Antiochi adiectũ fuisse legimus. Milij inopiam supplet Panicum, frumentaceis quoque seminibus annumeratum. Eodemq; modo in panes subigitur, Dioscoride autore, eosdemq; habet vsus. Similiter sensit Galenus libro

Plin. lib. 14. cap. 16 & lib. 20. capit. 24.

libro 6. de simplicium facultatibus de panico: & lib. 7. de milio.

Pro Milio, Panicum.

MINIVM.

PAlàm est ex Dioscoridis & Plinij scriptis, minium & fossile, & factitiũ, veteribus extitisse. Minium naturale siue fossile, nihil aliud Dioscoridi esse videtur, q̃; quod Cinnabaris fossitia hodie appellatur, & vulgo Bermellon fino. Est autẽ lapis rubescẽs à quo argẽti viui plurimũ elicitur: vt constat ex eodẽ autore capite de argento viuo in principio, vbi ait argẽtũ viuũ fieri ex minio quod abusiue Cinnabaris dicitur, Minium verò factitiũ id esse videtur Dioscoridi, de quo capite de Cinnabari inquit, in Hispaniis ex lapide quodam argenteæ arenæ permisto, tẽperari. Bermellõ fino.

Ab

Ab his duobus Minij generibus differt Miniũ Serapionis siue vulgare, Azarcon nobis dici solet, quod fit ex plumbo & cerusa vsta: & sandix Dioscoridi dicitur, ex quo nũc vnguentum conficiunt Myropolæ. Galenus libro 5. cap. 12. de cõpositione pharmacorum secũdum genera, in pastillo Andromachi, Minij ait, accipitur quantum ad colorẽ satis sit. Pro Minio veterum, Zinabrium vulgare factitium, Theobaldo & aliis supponitur. Fit autem ex sulfure & argento viuo, ad ignem percoctis.

Azarcon.

Sandyx.

Zinabrium quomodo fiat.

Pro Minio veterum.	Cinnabriũ vulgare factitium.

N.

NASTVRTIVM ALBVM.

Nastũ

NAsturtij semen in Diasatyrio Mesuæi vsurpatur ad venerem stimulandam: quamuis Plinius libro 20.cap.13. ipsam inhibere scribat. Cęterùm Nasturtij albi meminit idem Mesuæus in confectione pilularum de Colochyntide. Vnde sunt qui per Nasturtium album non intelligunt vulgare semẽ ruffi coloris, in quo rectè sentiunt, decipiuntur tamẽ quòd putent aliud esse genus Nasturtij seminis albi, ex eo fortasse quòd Plinius in album & nigrũ Nasturtium partiatur. Nisi velint per Nasturtiũ albũ, Thlaspi intelligere vt Cordus: Thlaspi enim, nasturtium tectorum vocari solet herbariis, & semẽ habet nasturtij (Dioscoride autore) Quicquid tamen sit pro albo Nasturtio Thlaspi supponetur cum Manardo in annotationibus super pilulas de Colochyntide. Dioscorides libro.2. Nasturtij folia pro semine substituit in

Nasturtium tectorũ.

in hunc modũ de Nasturtio scribens:
„ Herbæ ad omnia eadem effectus, li-
„ cet minor. Galenus similiter de Na-
sturtio libro 7. simplicium ait: Por-
„ rò & herba arefacta similem semini
„ vim possidet, humida verò adhuc &
„ viridis propter aqueę humiditatis ad
„ mistionẽ, multo semine inferior est.
Et libro eodẽ de Lepidio scribẽs, Le
„ pidiũ supponit sic dicẽs: Lepidiũ ex
„ quarto est ordine excalfaciẽtiũ simi
„ le nasturtio, tum odore, tum gustu,
„ tum viribus, sed minus eo desiccat.

Pro Nasturtio albo, Thlaspi.
Pro Nasturtij semine, Folia siccata.
Pro Nasturtio. Lepidium.

NARDVS.

Spicã Nardi

NArdum officinæ spicam Nardi appellant: cuius tria genera veteres celebrarũt, Indicam, Celticam (Azumbar nostri vocãt) & Montanam.

Azũbar.

nam. Inter quæ Indica pręstãtior habetur ad medicaméta, vt cõstat apud Galenũ lib. 1. de Antidotis in Theriacę cõpositione vbi Nardi radicẽ admiscet. Ex quo duo animaduertẽda occurrũt, primũ quod in Nardi Indici genere reperitur & Syriacus, nõ ꝙ in Syria ꝓueniat sic appellatus (vt inquit Dioscorides) sed quod mõtis in quo oritur pars vna ad Syrios, pars altera ad Indos flectatur. Vnde in Antidoto Mithridato apud Gal. lib. 2. de Antidotis, spica nardi, & Nardus Indicus separatim habẽtur. Secũdũ animaduersione dignũ cẽsemus, quod Nardi radix nihil aliud est quã spica, vt ipse testatur Gal. eodẽ libro de Antidotis sic scribens: Iubet Andromachus adiicere Nardũ Indicã, ea verò est quam spicam vocãt, non quòd spica sit, radix etenim est, sed quod spicæ formam referat. Et lib. 9. de compositione medicamentorum secun-

secundum locos in Phyllonis antido
„ to, idem testatur inquiens: Quim &
„ nardi ipsius drachmã vnã coniicien-
„ dã censet quam radicem falso dictam
„ appellat, quãdoquidẽ spica nardi ve
re nominatur. Cæterũ vniuersa spi-
cæ genera inuicem substituũtur Ga
leni testimonio libro 9. cap. 4. de cõ-
positione pharmacorum secundũ lo
„ cos his verbis: Est igitur Celtica nar
„ dus optimum pharmacum efficiens
„ quæcunq; & Indica nardus solet: ve-
„ rùm ab ipsa viribus deficit, veluti e-
„ tiam à Celtica Montana. Plinius li-
bro. 12. cap. 13. asarum pro nardi spi-
„ ca supposuit his verbis dicens: Nardi
„ vim habet Asarum, quod & ipsum
„ aliqui syluestre nardum appellant.

Pro Nardo. Spica Celtica & Montana.
Asarum.

NI-

NITRVM.

SAl nitrum officinarum qui ex terra conficitur ad torméta bellica, Nitrum non eſt cuius apud veteres, amplißimus fuit in medicamentis vſus. Quare licet ſuis quibuſdam partibus Nitro ſit ſimilis, perperá faciũt ſeplaſiarij qui illud in medicamentis intus in corpus ſumendis veri Nitri ſuccedaneum faciũt, ducti pernicioſa doctrina monachorũ qui Meſuẽũ commentati ſunt. Plinius libro 14. cap. 20. fecem vini (Hiſpani Raſuras vocant, & officinę Tartarum) loco Nitri non malè ſuppoſuit dicens: Et fex vini ſiccata recipit ignes, ac ſine alimento per ſe flagrat. Cinis eius nitri naturam habet, eaſdẽq; vires. Dioſcorides tamen libro 5. ca. de Nitro, ſalem pro eo poſuiſſe videtur, & pro ſale nitrum, dicẽs: Vim & vſtionem Raſuras. Tartarum. ,, ,, ,, ,,

T ſalis

,, ſalis habet tam nitrũ q̃; ſpuma eius. At Galenus lib. 7. de compoſitione medicamentorũ ſecũdum genera, ſalem ſubſtituit quum cap. 12. in pharmaco Domitij Nigrini ſic ait: Nitri

Sal inquinatus. rubri vel ſalis inquinati. Eſt autẽ ſal inquinatus, ſal ex terra effoſus. Cui conſentit Auicen. 2. canone, cap. de ſale, dicens: Et ſal quidem eſt proxi-

Baurach. mus Baurach, hoc eſt nitro.

Pro Nitro.	Fex vini ſiccata.
	Sal foſsilis.

NVX MOSCHATA.

ANtiquis ignotam fuiſſe nucem moſchatam, notius eſt quàm vt debeat demonſtrari. Tametſi Ianus

Myrobalanus. Cornarius libro 8. cap. 3. de compoſitione pharmacorũ ſecundum locos, Myrobalanum Græcorum eſſe cenſeat: que Chryſobalanos in eo loco à

Chryſobalanos. Galeno appellatur. Inter recẽtiores

Græcos

Græcos Ætius, nucẽ aromaticã vocauit. Auicenna.2.canone, cap.506. spicá nardi pro nuce moschata substituit scribẽs: Loco eius ponitur spi „
cæ æquale põdus. Serapio verò libro „
simpliciũ cap. de nuce moschata, Ca „
ryophyllos ponit ex sententia Abẽmesuai dicens: Natura eius est sicut „
natura Cariophyllorum. „

Pro Nuce moschata. Spica nardi.
Caryophylli.

O.

OCIMVM CITRATVM.

MVLTI hactenus dubitarunt quid Mesuęus appellauerit Ocimum citratũ in confectione Diamoschi dulcis hodierni vsus. Sũt qui velint illud Ocimi genus foliis maiuscu lis, latis, longis, & crassis, citreę malo similibus, verũ esse Ocimũ citratum

apud Arabes ab effigie foliorũ ſumpta nomenclatura. Quorum opinio non eſſet omnino ſpernenda, niſi verum ac legitimum Ocymũ citratum propriis oculis eſſemus intuiti in Regijs Mãtuę viridariis. Pręter id enim quod odore citrei mali ſuauiſsimo inſignitur, ſic per omnia vulgaribus ocymi generibus reſpondet, vt ſola odoris fragãtia ab illis diſtingui poſſit. Hoc tamẽ đficiente, Meliſſophyllum ſupponetur, quod in affectionibus cordis (ad quas potiſsimùm valet confectio dicta) Mauritani multis laudibus efferunt, vt conſtat apud Serapionem, cap. 23. ſimplicium ſuorum, & apud Auicennam in libro de viribus cordis, vbi ita de eo ſcribit:
„ Meliſſophyllõ excalfacit ſiccatq; or
„ dine ſecũdo. Cor exhilarat, vitaleſq;
„ facultates roborat, odoris fragrãtia,
„ ſaporis auſteritate, partiũq; tenuita-
„ te. Quibus facultatibus, cæteris etiã

viſce

viſceribus cõpetit. Vires deiectorias ,,
poſsidet, nec adeò imbecilles, quin ,,
atrabiliarios vapores à ſpiritibus & ,,
à ſanguine, qui cordi & arteriis ineſt ,,
educere queat. ,,

Pro Ocymo citrato, Meliſſophyllõ.

OCVLVS POPVLI.

FIT hoc tempore in officinis vnguentum Populeum Nicolai, ab oculis populi quos recipit nomẽ aſſumẽs. Plinius lib. 17. cap. 21. ait Oculos in arborum ſurculis propriè vocari vnde germinãt. Sic Cato libro đ re ruſtica cap. 6. expreſsit dicens: Ibi ,,
Oculos arũdinis pedes ternos alium ,,
ab alio ſerunto. Galenus ſimiliter li- ,,
bro 9. de ſimpliciũ facult. cap. de terra Samia, partem illam vnđ germen exit, Oculum nominari ſcribit. Et libro 4. de Sanitate tuẽda medicamen

tum preparat ex populi floribus adhuc conniuentibus, per flores intelligens quod Dioscorides pilulas nominat, alij autẽ oculos: vtraq; enim populus, alba scilicet & nigra, ne florẽ quidẽ habere existimauit Theophrastus libro 3. de historia plantarũ. Plinius lib. 24. cap. 8. fatetur populum vuas ferre vnguẽtis aptas. Vnde deceptus est Ruellius credens vnguentum Populeum vulgare, ex vuis illis conficiendum esse, quandoquidẽ Nicolaus Myrepsicus, non vuas sed germina vere primùm prodeuntia admiscet cum ait: Oculorũ in summo arboris Populi quando floret apparentium librã. j. ß. Qui sanè Oculi aut germina vere primò prodeũtia, odorata sunt & ceraginosa, cum tamẽ nullus prorsus vuis sit odor. Pro Oculis Populi, folia ipsius arboris substituũtur, Galeno autore, libro 6. de simplicium medicamentorum facult.

Ruellij lapsus.

cult. cap. de Ægyro, hoc est Populo nigra quæ in vsum venit sic scribẽte: Et folia quoq; ipsius quodãmodo floribus similia sunt, nisi quod ad omnia imbecilliora minusq; efficatia. At libro 7. de Compositione medicamentorum secundum genera in pharmaco piscatoris. 32. pro oculis vel surculis Populi nigræ, Sampsuchum euidentissimè posuit dicẽs: Populi nigri surculorum, lib. j. qui cum nõ adsint, Sampsucho vti oportet duplum illius adiicientes. Similiter etiam supposuit eodem libro Pharmaco. 29. & 30. Aegyrus.

Pro Oculis Populi.	Folia Populi maiori pondere.
	Sampsuchus duplo pondere.

OLEASTER.

OLeæ syluestres (quas & Oleastra Latini appellát, vulgò Azebuches) in quibusdá Hispaniç locis nascuntur, domesticis tamen longè minores, foliis breuioribus, aculeatisq; ramis. Earum baccç satiuis magnitudine cedunt. Folia (Dioscoride autore) astringendi vim habent, succus tamen & decoctum, eosdé habét effectus. Et paulo inferius ait: Foliorum satiuæ Oleç eadem vis intelligi tur, sed aliquáto inferiór. Item folia Phillyreæ vel Tiliæ ex eodem Dioscoride cap. de Phillyrea, lib. 1. subiiciuntur sic dicéte: Huius folia astringunt ad eadé vtilia ad quæ Oleaster, cum astrictione est opus.

Aze-buches.

Pro Oleastri folius. Succus & decoctũ foliorum.
Oleç satiuç folia.
Phillyreç folia.

OM-

OMPHACIVM.

OMphacium ſuccus eſt vuæ acerbæ nondũ matureſcentis, è Thaſia vite aut Aminea vt ait Dioſcorides. Animaduertendum tamen eſt, quod veteres inſolabant Omphaciũ ad denſitatem, vt conſtat ex Hippocrate in libro de vlceribus cũ inquit:
„ Vuam albam immaturã per collum
„ expreſſam per diem ad ſolem expo-
„ nito, noctu autem tollitur, ne irrore-
„ tur. Tantoq; tempore ad ſolem pona
„ tur, donec ad mellis craſsitudinẽ de-
„ ueniat. Patet ſimiliter ex Galeno in libro ſibi attributo de ſimplicibus
„ medicaminibus dicente: Omphaciũ
„ ſuccus eſt immaturæ vuę, qui expreſ
„ ſus ſiccatur in ſole, & in paſtillis la-
„ tis vſq; quo fieri poteſt formatur, &
„ ſic reponitur. Plinius quoq; idẽ confirmauit lib. 12. cap. 27. vbi duplicem

modum parandi Omphacium edocuit. Hæc tamen parandi ratio, hoc tempore ferè prorsus exoleuit. Nostrum enim per annum asseruatur liquidum cum sale aut oleo tam ad ciborũ vsum, q̃; ad medicamenta. Hoc

Agresta.

nunc officinis Agresta vocatur, sub quo nomine syrupus à Mesuęo concinnatur, in quẽ liquidus succus non Sole condensatus est recipiendus, vt constat. Sed quoniã Thasia aut Aminea vite caremus, nos rectè in Hispania succum vuarum acerbarum accipiemus. Proculdubioq; fructus illius plantę spinosę hortis familiaris (quã herbarij Vuam crispã vocant) idem

Vua crispa

quod Omphacium temperamẽtum obtinet, refrigerat enim & astringit sua acerbitate: proindeq; inuicẽ substitui possũt. Galenus tamẽ pro suo antiquorumq; Omphacio, succum rhois supposuit lib. 6. de cõpositione pharmacorum secundum locos cap.

de Me-

de Mediorũ pharmacorũ cõpositione sic dicens: Quod si nõ sit Omphacium, pro ipso Rhois succum iniice. „

Pro Omphacio Thasio vel Amineo,	Omphaciũ Hispanicum.
Pro Omphacio liquido,	Succus acinorũ vuę crispę.
Pro Omphacio veterum.	Liquamẽtum rhois.

OLEVM VETVS.

Veteris olei multiplex in medicamentis est vsus: cuius inopia duplum feruefactũ supponũt nõnulli. Serapio cap. proprio tantũdem ipsius decocti absolute supposuit dicens: Et si nõ habeas oleum vetus & „ indiges eo, coque ipsum donec fiat sicut mel & vtere, quia virtus eius est „ sicut virtus veteris. Hinc Gal. lib. 1. „

de

de compositione pharmacorũ secundum locos cap. de medicamẽtis compositis ad alopecias, oleum lucernarum pro veteri apposuit dicens:
„ Cęterùm oleum lucernarum non ob a-
„ liam rationem aptũ est, q; quod ma-
„ gis tenuium partiũ existit, id quod
„ ipsi ex lucerna in qua veluti coqui-
„ tur accidit, fitq; tum veteri tum cici-
„ no adsimile, veluti si etiam aliâs ad
„ ignem velis oleum calefacere. Et libro 2. de compositione medicamẽt. secundũ genera, cap. 12. & lib. 6. simplicium cap. de oleo, oleum cicinum (ricinum etiam vocãt) substituit di-
„ cens: Si oleum cicinũ habeas pro ve-
„ teri vsurpato. Libro tamẽ 6. de compositione pharmacorum per genera cap. 10. de medicamẽtis Damocratis, oleum recens pro veteri supposuit
„ dicens: Olei vetusti quàm mina mi-
„ nus paululo, Quod si non fuerit vsur-
„ pato vel recens.

Pro

Pro Oleo veteri. Oleũ lucernarũ.
Oleũ cicinum.
Oleũ feruefactũ.
Oleum recens.

OLEVM MVSCEL-LINVM.

MAgna eſt Olei Muſcellini controuerſia in vnguento Aragon Nicolai, & in confectione Lithõtripon, quibus medicamentis admiſcetur, Quidam falsò hoc oleum Galeno retulerunt, cum verius paucis mutatis Atio Mydeno ſit referenda ſermone 4. Tetrabibli 4. ca. 113. vbi recenſet præparationes vnguẽtorum moſchatorum. Veram huius olei deſcriptionẽ quęrent Myropolę apud Nicolaum Alexandrinum cap. 712. & apud Arnaldum Villanouanũ in Antidotario oleorũ. Cæterùm quoniam

niam id olei genus sumptuosum nimis est & paratu difficile, ipsius penuria consentaneum censemus, cū Bernardo Dessenio, rutaceū aut laurinum subijcere, nec minus erit efficax, & parabilius.

Pro Oleo muscellino - Rutaceum oleum.
Laurinum.

OLEVM OMPHACINVM.

Omphacinum oleum, immaturū quoq; dicitur, & Græcis Omotribes id est crudum, ex immaturis & acerbis oliuis expressū, vt inquit Galen. 2. & 3. lib. de composit. pharmacorum per locos. Ex hoc fit rosaceum, cuius est vsus ad capitis vulnera, cum caluariç & membranarum læsione. Cæterùm omphacini defectu, aliud oleæ surculis paratum, a ut Hispanicum substituit Gal. lib. 6. de sim

simplicium facultatibus, sic dicens: ,,
Quinetiam quicunq; in præparando ramos inijciunt, ij & ipsi omphacino simile oleum efficiunt. Cæterũ rogandum non est quo pacto sit pręparatum, sed gustandum est potius ac si præferat astrictionis quippiam eatenus etiam frigidum esse existimandũ ceu illud quod ab Iberia portatur, quod Hispanicum nominant. ,, ,, ,, ,, ,, ,,
Veruntamen qui clarius velit intelligere oleum Hispanicum Omphacino similes vires habere ad Galeni mentem, ipsum legat. lib. & cap. 1. de compositione medicamentorum secundum locos & lib. 2. de composit. per genera cap. 8. de his que cicatricem obducũt, vbi ait: Emplastrum conficies ex omphacino, vel eo quod ab Hispania portatur, Hispanum nominant, vbi nec huius copia adsit, teneros oliuarum surculos contusos cuipiam vulgari oleo admiscebis. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,
Pro

Pro Oleo Omphacino. Oleum ex ſurculis oleę paratum.
Oleũ Hiſpanicũ.

OPOBALSAMVM.

Balſamum.

OPobalſamum ſuccus eſt arboris Balſamũ vocatæ, cuius lignum Xylobalſamum eſt, ſemen verò Carpobalſamum. Præcipua tamen autoritas (vt inquit Dioſcorides) ſucco, ſecunda ſemini, minima ligno. Rariſsimũ autẽ ſẽp fuiſſe Opobalſamũ, veteres omnes teſtantur autores, Galenuſq; fatetur libro de Antidotis. 1. ſe in Iudeam nauigaſſe, quò verum â falſo & adulterato diſcerneret: quod non leue argumentum videtur, nos verum Balſami ſuccum, nec habere, nec haberi poſſe. Quamuis neminẽ lateat afferri ex occidẽtalibus Indiis liquorem odoratiſsimum, liquido

ſtyraci

styraci admodum similē sub nomine Balsami, qui illud quadantenus repreſentat. Sed cum, teſte Strabone, Balſami lacrhyma lacteo colore ſit, crediderunt nonnulli potius hoc nouum genus Balſami, verā eſſe Stactem vel Styracis liquorem, quā Balſamū, obidq; non eſſe penitus abs re, vti eo loco Balſami. Cæterùm nō eſt ſilentio prætereundum, quod anno exacto ex prouincia Carthaginenſi Indiæ occidentalis, miſſus eſt Regi noſtro Philippo alius liquor eiuſdē nominis, non arte aut decoctione extractus, ſed ſuapte natura erumpēs, quem nimirum ex magnis & vmbroſis montium arboribus prodire, eoq; vti eccleſias ad conſecrationes, illius Regni moderator ſcripſit. Refert hic liquor cuiuſdā reſinæ vehementer calidę ſpecimē, nec odore parum commendatur. An verò hoc Balſami genus pro Opobalſamo, vt primus

posſit ſupponi, nunc non auſim ſtatuere, quòd nondum eius exactè periculum fecerim. Quidam ex recentioribus factitium Balſamum cõponũt vt germani Opobalſami defectũ reſarciant, inter quos eſt Syluius in annotatione ſuper Meſuæi diſtinctionem de oleis, & Matthiolus Senẽſis in ſuis ad librum. 1. Dioſcoridis prȩclariſsimis commẽtariis: qui eius conficiendi rationẽ docuerunt. Valerius Cordus, Oleũ Caryophyllorũ ſubſtituit. Matthiolus ipſe, Oleum Myriſticæ nucis vel ſtyracinum: interdum Balſamum Indicum, aliquando illud arte factum & compoſitũ ſupponit, & ſi cùm de reſinis ſcribit, Abiegninã vice Opobalſami in Antidotis admittat. Pleriq; demum ſtacteñ Myrrhæ ex Pauli & Galenici autoris Succedaneis iniiciũt, tametſi non ſit myrrha Alexiterium medicamentum vt Balſamum. Eſt autem
Stacte

Stacte, teste Dioscoride, liquor stillatitius quem ipsa myrrha resudat. Est etiam (vti ipse de vnguentis scribés commemorat) pinguitudo recentis myrrhæ cum exigua aqua tusæ. Sed cum myrrhæ legitimæ, ac recentis inopia, Stactes itidem penuriam pariat, è selectissima vulgariq; Myrrha fieri posse Stactem, minime inficiamur. Stacte

Pro Opobalsamo, Balsamũ Indię.

Stactę vel gutta Myrrhę.

Oleum Balsami factitium.

OPIVM THEBAICVM.

OPiũ laudatᷓ ab omnibus qđ ex lacte Papaueris syluestris capitũ fit, nõ exsucco foliorũ, veluti hodie

multi compendij causa facere solēt. Officinæ vno ore Opium Thebaicū commendant, Galenum sequētes libro 7. simplicium medicamētorum, & post eum omnes. Sed quod ad nos hodie conuehitur, non est legitimum & verum ex incisione capitum Papaueris conflatum, sed potius è foliorum & capitum contritorum succo concretum, quod Meconium vocant; Opio longè deterius & ignauius, veluti post Dioscoridem Plinius quoque scriptum reliquit libro 20. cap. 18. Dioscorides lib. 4. Hypecoum herbam cognitam, rutæ syluestri similem pro Opio supponit, dicens: Hypecoo natura eadē quę Papaueris succo. Gal. similiter libro 8. simplicium medicamēt. Hypecoum, in tertio ordine refrigerare dixit, ita vt parum absit à Papauere.

Meconium.

Hypecoū.

Pro

Pro Opio, Meconium.
Hypecoum.

ORIGANVM PERSICVM.

PErſicum Origanum apud Meſuęum deſcribitur in Trypheris; & iuxta Auicennam. 5. canone: ſic dictũ quòd apud Perſas proueniat omnium prętantiſsimũ: circa quos floruit Auicenna, vt Bellunenſis teſtatur. Alij autores Græci vel Latini nuſquá Perſici Origani meminerũt, ſed Heracleotico primas laudes tribuunt, vt conſtat ex Dioſcoridis & Galeni monumentis. Siue autẽ Origanum Perſicum idem ſit cum Heracleotico, ſiue Heracleoticũ ſit Origanum ſylueſtre quod paſsim naſcitur in Hiſpania, parum aut nihil refert, cum omnes, autore Galeno libro 8. ſimplicium, incidendi, extenuandi,

calfaciendiq; facultatem posſideat, 3.exceſſu. Cùm itaq; nos Origano Perſico, aut Heracleo careamus, Hiſpanico illorum vice ſecurè vtemur, aut in omnimodo defectu, alias herbas ſimilis facultatis reponemus, quas retulit Gal. lib. 6. de cõpoſitione Pharmacorum per locos cap. de mediis pharmacis, ad hunc modum ſcribens: Nihil autem refert etiam ſi Hyſſopum coniicias pro Origano, aut Pulegium, aut Thymum, aut Thymbram, aut Calamintham odoratam.

Pro Origano Perſico.	Hiſpanum Origanum.
	Thymum.
	Pulegium.
	Calamintha.
	Hyſſopum.

OPOPANAX.

EX Heracleo tantum siue Herculeo panace, manat gummi Opopanax dictũ, licet Mesuæus alterius videatur fuisse sentẽtiæ cap. proprio simpliciũ. Poterat tamen veritatem si non ex Græcis, saltem ex suo Serapione ediscere & Auicenna, qui Heracleum panacem, è quo fit Opopanax, melius q; ille videtur agnouisse. Galenus lib. 2. de Arte curatiua ad Glauconẽ in curatione Scirrhi, pro Opopanace, Ammoniacum vel Galbanum vel Sagapenũ supponit, quoniam simul hęc emollientis & digerentis sunt facultatis. Auicenna verò. 2. canone, cap. 531. Ammoniacum solum his verbis substituit: Et æstimo quod Ammoniacum est ei propinquum. „ „ „

Pro Opopanace, Ammoniacum.
Galbanum.
Sagapenum.

OS CORDIS CERVINI.

RES est plena difficultatis & controuersię, quod de osse cordis ceruini passim effertur. Quidam enim anatomicarum administrationũ periti, in bobus, bubalis, equis, ceruis, atq; id genus animantibus, nõ os sed osseum nescio quid reperiri tradũt. Quamuis Aristot. 2. de animalibus, cap. 15. genus quoddã boum esse scribat, suo in corde ossiculum continentium. Platearius in sinistra parte ceruini cordis reperiri scribit cartilaginem quandam subruffam, ad lõgitudinem & latitudinem ossis dactyli. Albertus in ceruis & in homine quoq; vt Galenus dixit, & in multis insuper animalibus se vidisse tradit. Nos à venatoribus passim accepimus verum os circa ipsius cerui cor

reper

repertum esse in quibusdam, nec tamen in omnibus. Huius ossis antiqui non meminerũt, vt verisimile sit eos ignorasse. Æcius tamẽ inter Grecos posteriores sermone. 4. Tetrabibli 4. cap. 32. meminit ossis cordis cerui cum ait: Amuletũ naturale ossa „
quæ in corde cerui reperiuntur sini- „
stro brachio adalligata, arcana qua- „
dam naturæ vi conceptionem iuua- „
re creduntur. Hoc autem cor, huma „
num totius substantiæ proprietate roborare, Actuarius cũ reliqua Arabum familia contendit, qua de causa in compositionibus admittitur, vt in Aurea Alexandrina Nicolai, in Diaprassio, Diarrhodon, & in Diamargarito. Sed quoniã apud nos sæpe bubulam tracheam arteriam eius loco venditare solent impostores, satius fuerit veri inopia, paruæ scapulæ figuram imitãtis, Vnicornu (si tamen verum aliquod est & contra ve

„ nena aut margaritarum puluerem) pari pondere ingerere. Quæ, Serapione autore, libro simpli. capite. 397. cardiacæ conferunt, & tremori cordis & accidentibus à melancholia factis, quum eadem de osse cordis ceruini Platearius scripserit,

Pro Osse cordis ceruini. Vnicornu, Margaritę.

P.

PARIETARIA.

Helxine. HElxine (cuius meminit Dioscorides libro .4.) parietaria officinis dicitur, quòd in ędificiorum parietibus nascatur. Alij quòd detergédis vitreis poculis sit aptissima, Vitreola. Vitreolam nominant. Vsus eius est in clysteribus passim, & in emplastro de nido hirundinis, ex Guidone Caulia

co

co. Galenus libro. 6. de simplicium medicamen. facultat, Alsinem, Pamplina vulgo dici solet, pro Parietaria substituit, sic scribeus, Alsine facultatem Helxine obtinet, nempe refrigerantem & humectantem, est enim essentiæ aqueæ frigidæ, quare & citra astrictionem refrigerat. Pamplina. » » »

Pro Parietaria Alsine.

PARTHENIVM.

QVamuis Galenus lib. 6. de simplicium medicamentorum facultatibus, Helxine alteri, Apuleius, cap. 82. & 83. Mercuriali ac Parietariæ Parthenij nomẽ ascribant, legitimũ tamen Dioscoridis Parthenium & Amarellam seu Matricariam vulgarem, cuius est vsus in Syrupo ex Artemisia Mathei de Gradibus, Matricaria.

vná

vnam & eandem esse plantam, ex doctissimorum autorum testimonijs concedi debet. An vero Hippocratis Parthenium (cuius libro de vlceribus meminit) nostræ Matricariæ cõueniat, nõ ausim afirmare, nisi forte Cotulam fœtidam intelligat, quæ à multitudine & paruitate foliorum, Millefoliũ quoq; à Latinis nuncupari solet, & à multis Parthenium censetur. Ait enim, Herba est paruis fo-
„ lijs prædita cui nomen Parthenium
„ microphyllon. Hæc verrucas de pu-
„ dendo aufert. Cęterùm hallucinátur ex recentioribus nonnulli contendẽtes plantam illam verum esse Dioscoridis Parthenium (quæ & Gamarça Hispanis nominatur) hęc enim folio est fęniculi, aut Chamęmelli potius quàm coriandri, neque sapore vsq; adeo amaro, vt in Parthenio requiritur, sed acutissimo & exulcerandi vi prædito, id quod nusquã, Parthe-

Ga-marça

nio

nio conuenire posse, ex Dioscoride intelligitur. At quamuis non desint, qui Cotulã fætidã pro Parthenio substituant (quòd calidę potẽtiæ in gradu 3. cẽseãtur, siccę in 2.) cũ tamẽ nõ in omnibus facultatibus sint similes [vt si exulceratione sit opus] cõmodius est Athanasiã vulgarem (quã & Tanacetũ vocant seplasiarij] substituere, quippe Trago teste, eiusdem sunt temperamenti, nimirum calidi & sicci, eundemque ferè vsum in medicina habent. Nec alio differunt, autore Matthiolo, nisi quod Tanacetum viris magisq; mulieribus cõmendatur, contra vero Matricaria dicta, fęminis tantũ exhibẽdã præcipiunt. Athanasia.

Pro Parthenio Tanacetum.

PRVNA DAMASCENA.

PRunorum differentiæ innumerabiles ferè sunt, tanta est eorum varie

rietas, tum colore, tum ſapore, atq; magnitudine. Damaſcena verò à Damaſco Syriæ mõte, in quo naſcuntur appellata ſunt, quibus primam bonitatis laudem, omnes ferè deferunt, præſertim quòd Actuario capite de potionibus medic. & Meſuęo in ſimplicibus cap. 19. autoribus, in emolliẽdo ventre, cæteris anteponantur. Ad quem vſum fit hodie in noſtris officinis Electarium Diaprunis Nicolai ſimplex. Cæterum cũ nos careamus prunis ex Damaſco allatis, Hiſpanica eiuſdẽ nominis (quæ vbertim Toleti proueniunt, & acidam cum aſtrictoria qualitatem obtinent) ſubſtitui poterunt, quamuis dulciora ſint vt inquit Galen. lib. 7 de ſimplicium medicamentorum faculta. vbi verò nec recentes ad manum eſſent, poſſet quis ex vulgaribus Damaſcenis ſiccis optima deligere, & die nocteq; aqua pluuia recenti humectare. Quæ

omnia

omnia confirmat Galenus libr. 2. de ”
alimẽtotum facul. his verbis, Prunis ”
ęque ac ficubus concessum est, vt vel ”
exiccata vtilia permaneãt, Damasce ”
nis à Damasco Syrię monte in quo ”
nascuntur appellatis, prima laus ma ”
gna hominũ opinione defertur: pro- ”
xima ijs quę in Iberia & Hispania ”
proueniunt.

Pro prunis Damascenis.	Damascena Hispanię.
Pro Damascenis recentibus.	Sicca humectata.

PALMA.

PAlmarum arbores Ægypto, Syrię Palestinæ & Hiericunti sunt admodum familiares, adeò vt in ijs locis Dactylis pascãtur porci sicut apud

apud nos glandibus saginantur. In Italia steriles sunt. In Hispaniæ verò maritimis, fructum ferunt, sed immitem. Galenus libro 8. de Simplicium facult. palmam, inquit, omnibus sui partibus astrictoriæ facultatis esse participem. quamobrẽ in Emplastro Diapalma vocato cuius est vsus, non mediocre iuuamentum affert. Cæterùm Palmę ramis viridibus deficientibus, radices cannarum subiici solẽt ex Mesuęi sententia in vnguẽto alio
„ Palmeo vbi ait: Et loco palmæ po-
„ test poni radix cannæ. At verò cum Galeno autore libro 1. de cõpos. per genera, rami Palmarum ob repellendi & astringendi vim illud Emplastrum ingrediantur, quæ nullatenus inest radici cannarum, sed potius attractoria & abstersoria vt Diosc. refert, hinc censemus, vbi desit Palma viridis, vel Myrtum vel Salicem vel Vlmum supponendam esse. Nam ii

consu-

consulamus Galenum in libro simplicium, hæc omnia eiusdem inter se sunt facultatis, similesq; cum Palma tum astringẽdi, tum etiam repellendi & mediocriter discutiendi vires obtinent.

Pro Palma, Myrtus.
Salix.
Vlmus.

PANAX HERACLEVM.

PAnacis tria genera ab inuentoribus cognominari tradunt, Asclepium ab Æsculapio, Chironium à Chirone, & Heracleum ab Hercule, quare & Herculeũ à plerisq; est appellatum, cuius tantũ lachryma officinæ nostro tempore vtuntur. Panaces Herculeũ in Hispania nascitur, habeturq; in quãplurimis viridariis: sed non obid affirmauerim, eius lachry

Opo-
pona-
cum.

chrimam quam Opoponacum vocant, excipi apud nos. Solēt Chyrurgi pro abstergendis ossibus, vnguentum Auicēnæ in vsum vertere, Mundificatiuum osium appellatū, quod sanè recipit corticem radicis plantæ Opopanacis. In cuius defectum lachrimam ipsam siue gummi seligemus, ex Galeni censura libro .8. sim. medic. de Panace Heracleo. Dioscorides ligusticum supponit lib. 3. cap. de ligustico, sic dicens: Ligusticū Pa-
» naces incolæ, non abre appellāt, quo-
» niam & radice & caule Heracleotico panaci simile sit, & viribus eisdē
» preditum.

Pro Panacis corticc. Opopanax.
Pro Panace Heracleo. Ligusticū.

PASTINACA SYLVESTRIS.

Du

DVplex Pastinacæ genus reperitur, vna enim satiua est, quę itē duorum est generum. Vnum radice admodum rubente, quibusdam Carota dictum, alterum albicantibus radicibus, quod quidam inter rapa connumerant: syluestris altera quæ proprie Staphylinus, Græcis nominatur, & ad omnia potētior est, vt inquit Gal lib. 8. simplicium, prę sertim semen quod Bauciam apellant Barbarice familię autores, vt apparet in Dyasatirio Mesuæi. Pastinacę omnes vulgares admodum sunt in Hispania, & inuicem substituuntur. Autore tamen Dioscoride cap. proprio lib. 3: Satiua pastinaca ad eadem pollet, inefficatior tamē, & cibo aptior. Carota. Staphylinus. Baucia. ,, ,,

Pro Pastinaca syluestri Pastinaca domestica.

PETROSELINVM.

SVCCEDANEA

PEtroselinum Macedonicum, & in hoc Astreoticum, & huius semen maxime in vsus est, vt docuit Galenus libro. 8. de compositione pharmacorum secundum locos. At vulgare Petroselinũ quod nobis pro condimentis vsu venit, non est de quo veteres præsertim loquũtur in suis cõpositionibus, sed illud in Macedonia natũ, quo nunc ferè destituimur Quamuis nõ temere vulgare Petroselinum pro vero substituatur, vt liquido monstràuit Galenus libro de Theriaca ad Pamphilianũ cum ait valere Theriacám ad calculos ex decocto Petroselini aut Apij. Subiicitur similiter cymini semẽ ex eodem Galeno libro. 7. simplicium sic scribente: Cymini semine maximè vtimur quemadmodum anisi, ligustici, cari, & petroselini. Est verò & facultatis excalfacientis ex tertio ordine, sicut illorum vnumquodq;

Pro

Pro Petroselino, Apiū hortense.
Cyminum.

PEPLOS.

HAnc plantam Hippocrates interim Papauer albū, interim spumeum, aliquando Mconiā, interdū Chamæsicem nominat, quemadmodum Galenus in libro antiquarū dictionum Hippocratis scriptum reliquit. Herbariis Esula rotunda vocatur, quoniam lacteo succo vt illa turgeat, atq; aluum similiter purget. Verûm cum Peplus apud quosdam non nascatur, eius loco Peplis ponetur ex Dioscoride lib. 4. cap. De Pepli vbi ait: Colligi & reponi ac dari vti Pe- „
plos & sale cōdiri solet. Easdē habet „
vires. Est autē Peplis plāta cognita „
in maritimis potissimū proueniens, portulacę similis per terram sparsa, quę vnica candida radice firmatur.

Quam nos Valentiæ sæpe vidimus iuxta Oppidum Grao dictum propè mare. Cæterùm pro Pepli semine, Peplij semen à Galeno supponitur libro. 8. de simplicium facultatibus.

Pro Peplo, Peplis.

PELLECINVM.

Hedy sarum Securi dáca.

PLanta quę Hedysarum & Securidaca Latinis nominatur, pellecinum quoq; ab vnguētariis vocari, Dioscorides autor est: quo nomine vsurpatur in Mithridatio quod ex Cleopatro & Antipatro, Galenus & Ætius scripserunt. Pelecini seminis est vsus, id enim (vt Dioscorides testatur) additur in antidota. Attamē deficiente semine, ramuli ipsius herbę substituuntur ex Gal. lib. 6. simplic. medicament. his verbis: Huius
„ fruticis semē amarū & subacerbum
„ apparet. Quamobrem potū gratum

est

est stomacho, & viscerũ obstructio- „
nes expurgat. Idem præstant totius „
fruticis ramuli. At in penuria totius „
plantę, semen Nigellæ in campis na
scentis accipi posse, pręter recentio-
rum testimonia, Galeni de Melan-
thio siue Nigella scripta, libro. 7. de
simpliciũ facult. apertê demõstrant
si cum reliquo conferantur.

Pro Pelecini se-mine,	Pelecini ramuli.
	Nigellę semen.

PETROLEVM.

PETROLEVM aliud est naturale ex minera in insulis ac scopulis fluẽs, quod subalbum nobilissimum æstimatur. Subnigrum vero, subrubrum & crassum, pessimum existit, taleq; cõuehitur ex Italia nostra tempestate, vel ex stillantibus aliarũ regionũ petris, vnde Petrolei nomen accepit. Alterũ est artificiale

cuiusmodi videtur oleũ philosophorum siue de lateribus Mesuæi. Auicennę interpres 2. canone Naphtam veterum, Petroleum vertit. Veri igitur & naturalis Petrolei loco, nõ est quod melius in medicamentis substitui posit, quàm oleũ philosophorũ Mesuæi, vt facilè indicát amborum facultates.

Naphta.

Pro Petroleo, Oleũ philosophorũ.

POMPHOLYX.

Tucia

POmpholyx, tucia Serapioni & Auicennę dicitur. Quæ hodie in multis officinis habetur, legitima nõ est ex æris fauilla, & farinæ modo cõ creta, sed Cadmię potius species: quáuis iam deferri incipiat ex ærariis argentariisq; fornacibus legitima Põpholyx. Optima est (vt inquit Aetius) colore nõ alba sed magis ad liuedinem

uedinem vergens; & quæ in prunas insperſa, auri colorem ignis speciem efficit. Hac tamen deficiente, Cadmia ſupponitur iuxta Galeni ſcripta libro 9. Simplic. medic. capitibus de Pompholyge & Cadmia. Accedit Dioſcoridis teſtimonium lib. 5. cap. de Cadmia dicentis: Hac ſpodij vice ,, vtuntur, ſpodium enim parũ aut ni- ,, hil à Pompholyge diſtat. Quod au- ,, tẽ Cadmia maxime ſit Pompholygi affinis, argumentum eſt quod ſupra ignem proiecta cõtrahit colorẽ ruf- ſum, vt de Põpholyge deſcriptũ eſt.

Pro Pompholyge. Cadmia.

PEVCEDANVM.

HÆC planta, Pinaſtellum & Sataria quibuſdam etiam dici ſolet, Arabibus verò Harbatũ, vt conſtat ex Serapione cap. 286. de Simplicibus ex plãtis. Vnde fortaſſe Arabico po- **Pinaſtellũ. Sataria. Harbatũ.**

Pinastellã. Sataria. Harbatũ. Yeruatum. Bugenis.

potius quam Hiſpano ſermone, Yeruatum nobis paſsim effertur. Quamuis Andreas Bellunenſis ſuper Auicenam .2. canone, Harbatũ Lonchitim interprætetur, Bugenis autem Peucedanum Peucedani radicis vſus eſt in medicamentis, vt Lithontripõ magnum Nicolai mõſtrauit. Quamuis ſuccum pręcipue Dioſcorides cõmendauerit, deinde radices. Officinę verò magis probãt radices aridas, lignoſas, odore iucundo. Si igitur Peucedani ſucci copia non adſit, tantum ſiccæ radicis, & dimidiũ Sagapeni cõijciẽdũ monet Ætius lib. 12. cap. 47. his verbis: Succi Peucedani, ℥xvj. quod ſi nõ adſit, cõijciẽdæ Sagapeni drachmę, viij. & radicis Peucedani ſiccę ℥xvj. Gal. pariter lib. 8. ſimpli. medic. Peucedani, inquit radice maximè, ſed tamẽ etiã ſucco & liquore vtimur. Sunt omnia hæc eiuſdẽ ſpeciei facultatis, ſed valentior ſuccus.

pro

Pro Peucedani succo. Radix cũ Sagapeni dimidio.

PIPER.

TRia Piperis genera in Antidoto Diatrion Pipereom passim vsurpantur. Ex quibus album vtpote acrius, reliquis anteposuit Galenus lib. 8. simplic. contra Dioscoridẽ qui vim feruentiorem nigro dedit. Cęterùm quod vniuersa Piperum genera eisdem viribus polleant, Galenus libro. 4. de sanitate tuenda luculenter monstrauit de Pipere longo sic scribens: Quod si huius facultas non est „
vtiq; albo vtendum, quippe quod su- „
pra duo reliqua genera ventrem ro- „
borat: sin hoc non adest, optimum ni „
grum petendum est, id verò fuerit, „
quod pondere præcellit. Aetius ta- „
men libro. 12. capite. 91. de simplicibus, quæ in Theriacam conijciuntur, sic ait: Piperis albi drachmas vj. „

aut

aut nigri loco eius drachmas nouē.
In omnimodo vero Piperis defectu,
Gingiber supponitur à Dioscoride
„ cap. de Gingibere, his verbis: In sum
„ ma Piperis viribus respondet Gin-
„ giber.

Pro Pipere longo.	Piper album.
Pro Pipere albo,	Piper nigrum. optimum.
Pro Pipere	Gingiber.

PICINVM OLEVM.

Pisse-leçon. Pissan thos. Azeyte de pez.

PIcinum oleum (quod Dioscoridi Pisselęon dicitur, Hispanicè verò Azeyte de pez) Galeno Pissáthos vocatur, id est flos picis. Estq; illi medicamentũ celebre in pharmacis ad alopecias, Fit autē [vt Dioscorides inquit] ex ipsa pice separato liquore aquoso, qui supernatat pici sicut serum lacti Illius defectum resarcit, pix

pix liquida eodem Dioſcoride auto re, cap. de picino oleo, cum ait: Quas „ pix liquida prębet vtilitates. Quod „ pix etiam oleo mixta ſubdi poſsit, teſtis eſt Galenus libro. 1. de compoſi tione per locos cap. 3. ſic dicens: Por „ ro in Aſia agreſtes mulierculæ picē „ liquidam cum oleo permixtam ad ra „ dices capillorum capitis illinunt, vo- „ cantq; hoc compoſitum pharmacum „ Piſſeleon, hoc eſt oleum picatū, quod „ omnino aliud eſt ab eo quod Piſſan- „ thos, hoc eſt flos picis, apellatur, quod ipſum liquidæ pici incumbit, & ſuperſtat tenuium magis partium „ quam ipſa pix exiſtens, tum cōpage „ tum etiam facultate. „

Flos picis.

Pro Picino Oleo. Pix liquida.
Pix oleo mixta.

PHRIGIVS LAPIS.

Phri

PHrygius lapis vix reperitur apud nos. Si tamē Galeno credimus libro. 9. simplicium medicamētorum, valide desiccat hic lapis, habēs quidā astrictionis simul & mordicationis. Quare pro eo Dyphryges, hoc est æris fex, aut sedimētū supponetur, cuius in multis Hispaniæ fodinis copia reperitur. Id quod ex Galeno persuadetur, lib. 9. simplicium medicamēt. qui de Dyphrige ait, mixtam habere tum qualitatē tum facultatē: quoniā habet quidam & mediocriter astringens & mediocriter acre. Et libro 4. de cōpositione medicamentorum secundum genera cap. 1. de Dyphrige, ait: Valdè nāq; siccat & si modicè sit mordax, cū aliquali astrictione. Quæ omnia similiter de Phrygio lapide enuntiauerat. Ponitur etiam Pyrites, idest Marchasita, ex recētiorum censura. quorū sententiæ fauet Gal. lib. 9. simplic. dicens Pyrite facultatem

Fex æris.

Marchasita.

tẽ habere exiſtimatur, & Phrygius quem vocant.

Pro Phrygio lapide, Dyphriges. Pyrites lapis.

PVLEGIVM.

DVbitarunt quidam, è recentioribus, an vulgare Pulegiũ verum ſit & genuinũ: quòd nullis notis eius faciẽ deſcripſerit Dioſcorides. Quáuis iam multis autorum teſtimoniis & argumentis perſuaſum ſit, Pulegium noſtrum legitimũ eſſe de quo veteres intellexerũt, Plinius & Apuleius duo Pulegij faciũt genera: nec alia ratione differre ſcribunt, niſi quod mas candidum, fæmina verò purpureum florem habeat. Dioſcorides Pulegium maſculũ (quod ſatiuum alio nomine in Dictamni deſcriptione vocat) duntaxat depinxit. Poleo Hiſpanis.

Veri

Veri Pulegij inopia, Dictamnũ supponitur ab eodem Dioscoride lib. 3.
„ de Dictamno sic dicẽte: Dictamnum
„ præstat omnia quę satiuũ pulegium,
„ sed efficatius multo.

Pro Pulegio. Dictamnũ Creticũ.

PYRASTER.

Pyrorum genera omnia, ob astringendi vim, repellentibus medicamentis admiscentur. Cum autem desiccent modiceq; refrigerẽt illita, merito Galenus, cum nõ aliud esset ad manum, eisdẽ appositis vulnus glutinasse scripsit lib. 6. de Simplicium facultatibus sic scribens: Est & Achras
achras Pyri genus tardissime maturescens,
„ quod magis quã reliqua Pyra astringit & exiccat. Pro Pyro syluestri
„ Oxyacãtha supponitur autore Dio-
Oxyacãtha. scoride his verbis: Hæc arbor vt Pyro

ro

ro syluestri similem habet speciem, „
ita & vires non dissimiles. „

Pro Pyrastro. Oxyacantha.

PROPOLIS.

PRopolis medicamẽtum est miro naturæ artificio ab apibus cõflatum quemadmodum cera & mel. Est autem Dioscoride teste (& vt inquit Marcus Varro lib.3. de rustica) cerosa materia quæ in aluearijs, præ spiraculis reperitur, vbi intrandi exeundiq; apibus patet aditus. Ætius lib.12 cap.42. terebinthinã & picem brutiã his verbis substituit: Si verò Pro „
polis tenera non sit, admiscebis tere- „
binthinæ triẽtem: quod si neq; in to „
tum Propolis haberi possit, cõiicito „
picis brutiæ sexuncẽ. Gal. lib.7. cap. 3. de compositione phar. secundũ genera, ammoniacum supponit dicẽs:
Porrò inter tã mollia & validissima „

„ quod genus ſunt, Bdelliũ, & ſtyrax,
„ Gutta ãmoniaci idẽ poteſt quod &
„ Propolis.

Pro Propoli. Ammoniacũ,
Terebinthina.
Pix brutia.

POLYGONVN.

Sanguinaria. Corrigiola. Sauzejo.

POlygonũ ſiue Sanguinaria, officinis corrigiola paſsim vocatur, & in marem & fœminam ab autoribus partitur. Mas vulgo ſauzejo appellatur, cuius inopiam ſarcit fœmina ex Dioſcoride ſic ſcribente. Fæminæ quoq; ſpiſſandi refrigerãdiq;
„ natura, ad eadem valens ſed inefficacior. Galenus tamen in omnimodo Polygoni defectu, Potamogetonem herbam ſubſtituit. lib. 8. ſimplicium medicamentorum ſic dicens; Pota-

Potamogeton.

„ mogeton aſtringit & refrigerat ſimiliter Polygono, ſed eſſentia eius craſſior quã Polygoni eſt.

Pro

Pro Polygono mare. Polygonũ fęmina.

Pro Polygono. Potamogetõ.

PRASSIVM.

QVod Latini Marrubium nominant, id Græci Prasſion appellarũt: quo nomine in pilulis ex Agarico Meſuæi reponitur, & ſub nomine Marmacur, in Diamoruſia. Eſt autem Praſsiũ vulgaris plãta, notiorq; in Hiſpania q; vt pluribus indicãda ſit. Aduertendũ tamen Marrubium albũ prę ſtãtius eſſe nigro, quod Ballote & Praſsium fætidũ vulgò vocatur. Caueãt etiã Myropolę, ne ſimilitudine decepti, illã herbã colligant quę pro Alyſſo deſcribitur à Galeno in. 2. de Antidotis, & nonnullis vera Dioſcoridis Stachys exiſtimatur: non eſt tamen vt Marrubium

Marrubiũ. Marmacur Ballote. Alyſſo Galeni. Stachys.

odorata, sed foliis longioribus. Prassij inopiam supplet Melisophyllum, vt Galeno placuit libro.7.simpliciũ
" medic.his verbis: Melisophyllũ Mar
" ruuio simile est facultate, sed pluri-
" mum ab eo vincitur. Quamobrẽ nec
" vtitur eo quispiam. Superuacaneum
" siquidem foret præsente Marruuio,
" cuius tantus est vbiq; terrarum pro-
" uentus, velle vti Melisophyllo. Cæte
" rùm si cui fortè ad manum quãdoq;
" Marruuium nõ fuerit, illo vti liceat,
" modò non exciderit quanto ab hoc
" exuperetur.

Pro Prassio, Melisophyllum.

PVLICARIA.

DVÆ sunt herbæ quę Pulicariæ nomine efferũtur apud medicos
Psyllium. recentiores: altera sic dicitur à similitudine seminis cũ pulice, Psyllium
Grę

Grȩcis dicta, de qua non est presens sermo: altera sic appellata à necãdis pulicibus, vt inquit Dioscorides, quȩ vera est antiquorum Conyza (& nobis dicitur Oliuarda) quam tamen Pulicariam vocauit Nicolaus in vnguento Arigon: Eius duo sunt prima genera, maior scilicet & minor, ad similisq; facultatis vt sensit Galenus libro. 7. de simplicium medicaméto rum facult. vnde inuicem, ambȩ supponi poterunt. Conyza. Oliuarda.

Pro Conyza maiori Conyza minor

PAEONIA.

PÆonia ab eius inuentore Pæone medicinæ peritissimo cognominata, Græcis Glycysida nũcupatur, quòd grana mali punici similia habere videatur. Romanis Hasta regia et Casta herba dicitur: Apuleio cap. Glycysida Hasta regia. Casta herba.

 64

Rosa fatuina. Rosa del monte.

64. rosa fatuina, vulgoq; nostro, Rosa del monte. Duo eius sunt genera, mas scilicet & fœmina, de quibus apud Dioscoridem & Plinium scriptum habetur. Vtrũq; nobis frequens sponteq; nascitur, quamuis in aliis regionibus non nisi satum proueniat. Pęonię mẽtio fit in Aurea Alexãdrina Nicolai, & in Theriacis Smaragdorum. Mas tamẽ (seu eius radix vel semen) semper est intelligendus, vt Manardus ętatis nostrę medicus longe doctissimus in epistola. 2. lib. 3. annotauit: & si pro mare, fœmina substitui possit ferè omniũ testimonio, vtramq; plantam sub eodem capite complectẽtium. At verò pro ipsius radice, semen subiici posse Nicolaus Myrepsus Alexandrinus expressit in Antidoto. 333. Pæonia dicta, vbi
„ sic incipit, Amomi ℥. j. croci. ℥. ij.
„ Pæoniæ radicis, aut seminis.

Pro

Pro Paonia marc. Pęonia fœmina.

Pro Paoniæ radice. Pęonię semē.

Q.

QVERCVS.

QVERCVS nomen commune est ad glādiferas arbores, vulgoq; dicitur Roble. Vnde Theop. & alij rei herbariæ scriptores, multa Quercus, seu vt Gaza transtulit, Roboris genera commemorant, primo loco Quercum, quæ maximas ferat glandes, secundo Esculū, tertio Robur, quarto Cerrum, quinto Ilicem quæ spinis horret, sexto Suber. Quæcunque in Quercu spectantur, omnia glutinandi vi pollent calefacienteque, & astrictoriam habent facultatem, glutinandis vulneribus, Roble.

 san-

sanguinisq; fluxionibus vtilissima. Sic Galenus foliis Quercus, quum nullum aliud medicamentum ad manum esset, vulnus securi inflictum, glutinasse testatur. Pro Quercu, Fagus & Ilex à Dioscoride substituuntur cap. proprio sic dicente: Fagus
„ & Ilex, Quercus generi assignantur,
„ & cõsimile munus obeũt. Paulus lib.
„ 7. sic ait; Ilex similes Quercui vires
„ habet, sed multo ea est validior.

Pro Quercu.	Fagus.
	Ilex.

QVINQVE FOLIVM.

Pẽtaphyl-lon. Mercurii herba.

QVinq; folium herba, Pentaphyllon Græcis dicitur, ab Aetio sermone.1. Mercurij herba. Inter alia vsus eius est pro Theriaces Antidoto conficienda. Huius vnam nec amplius Dioscorides Quinque folij speciem facit, quum tamen quatuor eius

eius ſpecies inueniantur. Cæterùm in vulgaris Quinque folij radicis defectu, Eryngij radicem ſupponit Alexander Trallianus libro. 9. cap. 4. de affectibus renum his verbis dicens: Quod ſi Quinque folij radi- „ cis copia non adſit, Eryngij deco- „ ctum, plurimum potu proficit. Nec „ ſolum ad hunc peculiarem affectum inuicem ſubſtitui poſſunt, ſed ad reliquos etiam, vt ex proprijs Dioſcoridis capitibus manifeſtum euadet.

Pro Quinque folij radice	Eryngij radix.

R

RHAPONTICVM.

RHaponticum (quod Rheuponticum officinę vocant) à Rhaponti fluuio, in cuius ripis copioſè naſcitur, nomen ſortitum fuit. Eſt autem radix nigra, Centaurio magno ſimi

lis, sed minor & ruffior, sine odore, fungosa, leuis: quę trita mãducataq;, colorem reddit pallidum ad crocum inclinantem. Superiori tẽpore Rhapontici loco, Centaureæ maioris radix vsurpata est: quod etiamnum fit ab illis quibus nondũ veri Rhapontici notitia patuit. Alius itidem error incessit apud medicos, qui putarunt Rheubarbarum nostrum Dioscoridis esse Rhaponticũ. Quo tamẽ viso â pristina discessere sententia. E quorum numero Manardus extitit, veluti eius libri sexti epistola secunda, & quinti vltima testatur. Atqui id non esse vulgare nostrum Rhabarbarum (quamuis inuicem supponi possint) magno cõsensu classica medicorum schola & ipsissima veritas asserit. Præter id quod Nicolaus Myrepsus in confectione pilularum ad Stomaticos, recepit Rheuponticũ & Rheubarbarum. Verum Rhaponticum è

Moscho

Moschouia allatum (quod Dioscoridis historiā notis omnibus referret) primum vidimus Vrsarię in officina Regis, pro Theriaces antidoto conficienda. Cęterùm Rhapōtici inopia, radix etiam Centaurij magni, aut Symphiti, in vsum vocari potest Ætio autore libro 8. cap. 57. his verbis: Quod si non sit Rheon, Centau- „
rij maioris radicem contusam & cri- „
batam iniice vncię pondere, aut eo- „
dem modo radicem Symphiti. Quod „
si conferantur apud Dioscoridem & Gal. Centaurij magni & Rhapontici vires, in vniuersum ad eadem valere ambo vnusquisq; reperiet.

Pro Rhapontico, Rhabarbarum vulgare.

Centaurij magni radix.

Symphiti radix.

RA-

RHAMNVS.

THeophrastus Rhamni duo genera constituit, nigrum scilicet & candidum, Dioscorides verò tria memoriæ prodidit, eisdem viribus prædita, quæ inter ruborum genera à Plinio describuntur. Galenus lib. 8. simplicium medic, teneris Rhamni folijs vtendum esse docet ad Herpetes, & Erysipelata non magnopere calida. Desiccant enim & digerũt excessu secũdo, & refrigerant in primo completo, Iis tamen deficiẽtibus folia illius plantæ quę Vuaspina, à nonnullis vuamarina, & à pluribus vua crispa siue crispina vocatur, substituentur. Idem enim haud dubiè quod Rhamnus temperamẽtum obtinét. At quamuis vua crispa, antiquis fortasse incognita fuerit (nisi rubi aut rhamni generibus adscribatur

Vuas, spina. Vua marina. Vua crispa

tur

tur] nunc omnibus notior est, quã vt à me pluribus explicari debeat.

Pro Rhamni folijs. Vuę crispę. folia.

RAPI SEMEN.

RApũ Latinis dicitur quod Græcis Gongyle, à figura eius quæ plerũq; rotũda esse solet. In qua et in magnitudine à Napo solet differre, Adeoq; vt Plinius lib. 13. cap. 18. Rapa se vidisse testetur quadraginta libras excedentia. Dioscorides tã Rapi q̃; Napi semen, Antidotis vt Theriacæ aptè misceri ait. Cæterũ cùm easdem quas Rapũ vires habeat Napus (Bunias Græcis dictus) inuicem substitui possunt. Galenus tamen libro. 6. simplicium medicamẽtorum Rapi radicem similis esse facultatis cum semine, luculenter edocuit. Gongyle. Bunias.

pro

Pro Rapo,	Napus.
Pro Rapi ſemine.	Rapi radix.

RIBES.

FRVCTVS notiſsimus eſt Ribes, Germanicis & Italicis officinis: cuius nullã antiqui mentionem habuerunt. Apud nos incognita eſt planta quę Ribem Mauritanorũ repreſentet, nihilominus tamẽ Ribes noſter, ad ea ad quæ ille iure poteſt vſurpari. Ideoque ſunt multi qui ex vulgaris arbuſculæ fructu [quam Ribes vocant, ſuccum exprimãt & per annũ aſſeruent pro cõfectione Rob de Ribes Meſuęi & ſimilibus. Cæterùm legitimi Ribes penuria, cõmodè ſubſtituetur ſuccus Acetoſę herbę, ſimilem illi facultatem habentis. quod Meſuæus teſtatur diſtinctione 6. de ſpeciebus Robub in Rob de Ribes

bes ſic dicens: Et ſcito quod Rob her „
bæ acetoſę eſt in virtutę ſua. „

Pro Ribe Arabũ, Ribes vulgaris.
Pro Ribe Acetoſa.

ROS MARINVM.

ROS marini in vnguẽto Aragon Nicolai paſsim eſt vſus. Huius prima ac ſumma genera [quæ maris ac feminæ appellationibus notãtur â Dioſcoride & Theophraſto] vix integrè dignoſcuntur hoc tempore. Aliud verò Coronarium dictũ vulgare eſt, omnibuſq; cognitum, eiuſdemq; cum reliquis facultatis, autore Gal, libro. 7, ſimplicium, ſic dicente: Libanotides tres ſunt, vna ſteri- „
lis, duæ fructum ferentes, omnes ve- „
rò eiuſdem facultatis, emollientis & „
digerentis, abſtergẽtis & incindẽtis. „

Pro

Pro Rosmarino mari & fæmina.	Rosmarinum coronarium.

RVBRICA.

MEminit Dioſcorides duarũ Rubricæ ſpecierũ, nẽpe ſinopicæ & fabrilis. Quas Galenus (vel ſaltem alterã) viſus eſt ſub terra Lemnia cõprehendiſſe lib. 9. ſimplic. cap. de differẽtiis terrarum. Eſt autem Rubrica ſinopica (quantum ex Dioſcoride elicitur) Bolus Armenicus vulgaris, qui paſsim apud nos effoditur. Nam etſi hæc Rubrica (vt inquit Georgius Agricola) ex Sinopide Capadociç vrbe vnde nomen inuenit tantũ importabatur, conſtat tamen reperiri in Hiſpania. Accedit quod ſpecies Sinopidis (vt Plinius teſtatur lib. 35 cap. 6.) ſunt tres, ſcilicet rubra, minus rubens, & inter has media. Quæ differẽtię pariter reperiuntur in vul-

Bolus Armenicus.

gari

gari Bolo Armeno. Rubricam fabrilem appellarunt veteres, quod ea plerunque vterentur fabri lignarij ad lineas ducendas, infectis in ea funiculis. Hanc nasci in Lemno insula Galenus etiam lib. 1. de Antidotis scriptis mandauit. Hæc est quæ Arabibus dicitur Mogar & Magra, & Hispanis Almagra. Gal. lib. 7. de cõpositione pharmacorum secundũ locos de medicamẽtis ab Andromacho ad sanguinis reiectationẽ, pro Rubrica Lẽnia, Rubricã sinopicã substituit dicẽs: Rubricæ Lẽnię ℥. ij. aut si hæc nõ adsit, sinopicę ℥. iij. Sed quod pro sinopica supponatur fabrilis, Dioscorides autor est dicẽs: Rubrica fabrilis ad omnia sinopide inferior est.

Mogar. Magra. Almagra.

Pro Rubrica Lemnia.	Rubrica sinopica.
Pro Rubrica sinopica.	Rubrica fabrilis.

Z Ru-

RVSCVM.

Myr-tus syl-uestris

OFficinarum Bruſcus, ſylueſtris myrtus & Ruſcum Latinis appellatur. Iamprideim exploſus eſt error, qui cubebas myrti ſylueſtris fructus putauit, vt Serapionis interpres viſus eſt inſinuare. Ruſci fructus & radices vſui conferunt medicinæ, vt demonſtrant ſyrupus de quinq; radicibus Meſuęi, & Benedicta laxatiua Nicolai Alexãdrini. Quidam Valerij Cordi ſcriptis ducti in ſuo diſpẽſario, per ſemen Aſparagi & Ruſci intelligunt carnẽ & pulpã eius, reiectis nucleis oſſeis. Quorum ſentẽtia Celſo refragari videtur lib. 5. in confectione Emplaſtri Diadaphnidon, id eſt, de baccis Lauri ſic ſcribenti:
» Quoties aut baccã aut nucem aut ſimile aliquid poſuero, ſcire oportebit antequam expendatur, ei ſum-

mam

mam pelliculam esse demẽdam. Cui ,,
sententiæ Theophrastus adstipulatur lib. 1. cap. 3. de historia plãtarum vbi fructum appellat, quod carne & semine constat. Cæterùm Galenum habet ille patrocinantem lib. 2. de Antidotis in Antidoto quam Cæsari præparauit, carnem baccarum iuniperi solummodo præscribentem. Rusci seminis inopia, radicem eiusdem supponit Dioscorides his verbis: Decoctum radicis in vino po- ,,
tum eosdem prebet effectus. At ra- ,,
dice Rusci deficiente, radix Eryngij ,,
substituunt iuniores, quòd eiusdem ,,
omnino sit facultatis.

Pro Rusci semine.	Radix Rusci.
Pro Rusci radice.	Eryngij radix.

RVBVS.

PLãta eſt Rubus vulgaris notitiæ çarça nobis appellata, vim habẽs ſiccandi & aſtringendi, ex eoq; medicamẽtis oris affectionibus deſtinatis magno vſu conueniens, vt in Diamoron. Galenus libro. 6. ſimplicium, Rubi vires deſcribẽs, folia, germina, florem & fructum, radicemq;, qualitate aſtringente participare docet, paulo plus minusve exiſtente differẽtia. Dioſcorides lib. 4. pro vulgari Rubo, Ideum rubum quem vulgarẽ Fragariam recentiores autumãt his verbis ſuppoſuit, Inſuper eadem pręſtat quæ ſupra dictus.

çarça.

Fragaria.

Pro Rubo, *Fragaria ſiue Ideus rubus.*

S.

SANDARACHA.

ANTIQVI, præter naturalem, factitiam quoq; cognouerũt sandaracham, quam Gal. lib 9. simpliciũ medic. ad finem, & Plinius 35. cap. 6. Sandycem dixerunt, quæ ex cerussa sola adusta interdum æqua Rubricę parte ammixta conflatur. Sandaracha verò naturalis Græcorum, minerale est, colore Cinnabaris vt ait Dioscorides, vereq; Auripigmentũ quod maiori naturæ coctione, colorem rubrum contraxit, & tenuius effectum est: idq; certum esse intelligimus in Auripigmento arte combusto. Cęterùm Arabum Sandarachã (quã vernicem scriptorũ & Grassa nominãt) gummi iuniperi est. Quamobrẽ vbi in Arabibus vel eorum sectatoribus medicamẽtum reperiatur quod Sandaracham recipiat, de Iuniperi gummi perpetuò intelligẽdum erit. Vbi verò in Gręcis autoribus inuentum fuerit, illa assumetur de qua Dioscorides

Sandyx.

Grassa.

rides & alij veteres ſcripſerunt. In ſandarachæ Græcorũ defectu, Auri pigmẽtũ ſupponitur, Dioſcoride teſte lib. 5. ſic dicente: Sandarachę dos eadem & vſtio quę Auripigmento. Quod tamen ambo eiuſdem virtutis & naturæ ſint, hinc conſtat quod non alio differũt quàm quod vnum magis elaboratum ſit, alterum minus. At loco ſandarachæ Arabũ, charabe ſubſtituitur, vti Serapio ex ſententia Atahari & Iſaac his verbis monſtrauit cap. 57. ſimplicium ſuorum: Sandarax, id eſt vernix, gummi eſt ſimilis charabe in virtute ſua.

Pro Sandaracha Græcorum.	Auripigmentum.
Pro Sandaracha Arabum.	Charabe.

SAL.

SAl (vt refert Celius Rodiginus) nihil aliud est quã siccatus salsus humor, aut terræ combustę species. Sal omnis natiuus est aut factitius. Natiui salis quáuis variæ sint differẽtiæ, in diuersisq́; locis reperiantur vt in terra, circa mare, in lacubus, fluminibus, aut fõtibus, in cõpositionibus tamen tres tantũ reperiũtur, videlicet, Sal gẽma, Sal Ammoniacus, & Sal Indus. Ex quibus Salem Gemmeum duntaxat habemus quo abundant Calabri & vniuersa Pannonia, nec solùm in Germania, sed etiã in Hispania eruitur. Talisq́;, quòd efficatior sit marino & vulgari, semper est iniiciendus cũ salis fit mentio. Factitij salis varia etiam sunt genera secundum varietatem materiæ ex qua fiunt. Nam alius ex aqua fit salsa vt marinus, alius ex cineribus vt sal Alcaly qui fit ex herba Caly, ex qua etiam Soda appellata conficitur. Sa- Alcaly. Caly. Soda.

lis simpliciter meminit Mesuęus in oleo vulpino, & in vnguento ad scabiem experto: pro quo Dioscorides libro 5. cap. de sale, salis spumam
" supposuit dicẽs: Spuma salis spumó-
" simaris lanugo siue ramẽtum est in
" exilibus petris inuentum, cui vis ea-
" dem quæ sali. Et capite sequenti, mu
" riam subiecit, sic scribens: Muria ef-
Muria vt fiat fectus salis prębet abstergitque. Fit hæc accipiẽdo aquę lib. 1. in qua salis vnciæ quatuor bullierint. Plinius libro 17. cap. 28. cinerem pro sale non
" recte supposuit, quum inquit: Salis
" vim & cinis sed leniorem habet. In eum enim cadit reprehensio qua Galenus vsus est contra Dioscoridẽ, qui docuit omnes cineres vim astringendi habere, cum tamen cinis ficulneus non astringat, autore Galen. lib. 8. simplic. medic. Si itaque sal omnis astringentis naturæ est, vt inquit Galenus vndecimo simplicium, non ta-
men

men omnis cinis, haud est quod absolute cinis pro sale substituatur.

Pro Sale. Spuma Salis. Muria.

SAL GEMMA.

EX natiui salis generibus vnũ est sal gemma vocitatũ, cuius fit expressa mentio in Benedicta Nicolai. Sunt verò qui pro hoc salis genere, salem Napticum substituendum esse censeant, quoniam scripserit Auicenna 2. can. c. de sale, quod sal Naphticus cum tã diu suffumigatur donec ab eo napticitas remoueatur, remanet sicut sal gẽma. Natiuus est etiã hic sal genitus in Iudeæ lacu, in quo nascitur bitumẽ, & alio nomine Sodomeus vocatur. Amarus est & niger habẽs odorem. Naphthe, vt ait Mesuæus in simplicium suorũ tractatio- Sal Napticus.

ne. Sed cum hoc ſale careamus in ſalis Gemmei defectu, ſalem marinum reponemus ex Galeno lib. 9. ſimplicium medic. cũ ait: Vtriq; vis adſimilis eſt, ſiue foſsilis ſit, ſiue ex mari.

Pro Sale Gemma. Sal marinus.

SAL AMMONIACVS.

IN confectione Diacaſtoreũ Nicolai & in cerato Iſis Galeni (cuius eſt apud nos vſus) habetur ſal Ammoniacus, qui verus quidẽ & probatiſsimus qualis eſt foſsilis, ad nos nõ affertur. Nam qui paſsim in officinis eſt, ſubacris ac leuis, nigricantibus exterius glebis, factitius adulterinuſq; exiſtit, aurifabriſque magis ex petitus ad vigorãdũ colorẽ auri, quẽ vulgo Almojate nuncupãt. Cuius generis videtur etiã eſſe Salatrõ, quo Argentarij vtuntur ad glutinã-

Almojate. Salatron.

dum

dum aurũ, & è vitri furnis, tãquàm ipsius recrementum asportatur. Serapio Isach Arabici testimonio scribit salem Ammoniacũ fieri è lapidibus durissimis & translucidis. Multi verò ex Chimistis Armeniacum appellant, credentes fortasse ex Armenia afferri, vbi innumeri sunt Cameli ex quorũ vrinis artificio quodá cõcretis conflari tradũt. Sed verè Ammoniacus cognominatus est, quia colligitur sub arena quá Græci ammon vocant, aut quia inuenitur (vt aiũt) apud Ammonis oraculũ. Syncerum â factitio discernemus crustris oblongis, lapidi speculari similibus, qui in igne crepitat, & ex eo exilit, quod spurius nõ facit. Hac de causa in veri salis Ammoniaci locũ, sal cõmunis accipietur Galeni testimonio libro de Theriaca ad Pisonem capite de salibus Theriacis, sic dicentis: Sal Ammoniacus reponetur, sin „

minus

" minus communis colore albus & le-
" niter splendescens. Et libro.7.cap.7.
de compositione pharmacorũ secun
dũ genera in Malagmate Banehij,
salem fossitium clarius subiungit, di
" ceus: Salis fossitij vel Ammoniaci.

Pro Sale Ammoniaco.	Sal fossilis vel gemmeus.

SAL INDVS.

NIL aliud extitit antiquis Sal Indus quã saccharum arũdinibus sacchariferis in India gũmi modo eõ cretum, cuius meminit Dioscorides lib.2.cap.de melle, & Galenus lib. 8. Methodi curatiuæ cap.4. sub nomine sacchari. & Paulus, lib.2.cap.54.đ linguæ scabritie, & Auicẽna.4.canone fen.1. tract.2.cap.29. sub nomine salis Indi. Id hoc tẽpore ex India apportari nõ credo, quamuis Auicẽnæ interpretes & alij Neoterici, per salẽ Indum

Indum, saccharũ cãdefactum arte intelligant, quoniam saccharũ nostrũ canditum, pallidum est & lutei coloris, non autem candidum, nec simile colore & substãtia communi sali, vt refert Paulus ex sententia Archigenis. Præter id quod si vera loqui liceat, antiquorũ saccharũ est liquor extra cãnam resudans vt gummi ex arboribus erumpens, & postea vi solis cõdensatus, ita vt saccharũ istud, sit factum à natura, nostrum verò arte & igne præparatum. Cęterùm est aliud apud Arabes salis Indici genus quod Auicenna. 2. can, Indicum, amarum, stipticum, & mordicatiuũ nuncupauit: estq; acutum, potens, & melancholiæ phlegmatisq; eductiuum sicuti Mesuæus testatum reliquit, cap. de speciebus salis in simplicium tract. & in canonibus cap. 2. de vomitoriis. Reliquum est ergo vt in medicamentis gutturis, & pectoris morbis

dicatis

dicatis pro Sale Indo sacchar͞u candi-
tum vulgare reponatur, siue id quod
Antuerpiani colore albo parant. In
compositionibus verò purgatoriis,
vt in confectione pilular͞u Indarum
& de lapide Lazuli, pro Sale Indo.
Sal Naphticus si esset ad man͞u acci-
„ piēdus ex Mesuæo dicēte: Naphticus
„ vero & Sal Indus fortiores s͞ut aliis
„ speciebus Caly in omni re, & edu-
„ cunt ambo melācholiam fortiter &
phlegma. Deficiēte tamē Naphtico,
Sal gēma supponetur, nam eodē Me
sueo autore, nō sol͞u educit phlegma,
sed etiā expellit humores, quor͞u era
dicatio est difficilis, de quor͞u nume-
ro est etiam melācholicus, quē simili
ter vt Sal Indus euacuabit. Præter id
quod Auicēna lib. 2. tract. 2. cap. de sa
„ le: Et sal gēma, inquit, educit phleg-
„ ma crud͞u fortiter, & soluit melācho
liā. Quorum humor͞u eductio in di-
ctis pilulis requiritur, vt constat.

Pro

Pro Sale Indo lenitiuo,	Saccharũ candi.
Pro Sale Indo purgatorio.	Sal Naphticus. Sal gemma.

SATYRIVM.

ERrant qui legitimi ſatyrii vice, paſsim & ſine delectu Cynoſorchis herbe, ideſt, Teſticuli canis radice in medicamẽtis vtuntur. Nam ſatyrium vnicam radicem emittit, Teſticuli verò geminas producunt oleę ſimiles. Quia vero ſunt admodũ affines hæ plantæ, Arabum interpretes pro Orchi ſatyrium vſurpãt, vt apparet in prima Diaſatyrion Meſuęi compoſitione ſcribentis, Satyrionũ „ qui abſcindũtur à patre ſuo. Veri ſa „ tyrii inopia, ſemẽ erucæ reponetur, id enim Dioſcoride autòre, venerem concitat. Poterunt etiam ſeplaſiarij Galeni teſtimonio lib. 8. ſimplicium

ex

ex duabus testiculi canis radicibus, maiorē pro satyrio accipere. Maior enim, vt ille inquit, multam possidet
„ humiditatem excrementitiam & fla
„ tuosam, quapropter Venerē excitat.
„ Altera quæ minor est vtpote admo-
„ dum elaborata, tantum abest vt ad
„ coitum stimulet, vt cōtra prohibeat
„ ac reprimat.
„

Pro Satyrio, Erucā.
Radix maior testiculi canis.

SENA.

SEnæ nusquā meminerunt Dioscodes, Galenus & Paulus, quamuis ex Grecis recentioribus Aetius & Actuarius inter purgantia bilē atrā connumerauerint. Quidam Delphinium, alij Pelecinō: alij Peplion, alii Empetron vel Analypon esse cōtendunt,

dunt, alij coluteam Theophrasti. Auerrois inter noua medicamenta reponit cum reliquis Arabibus. Nã tametsi Auicenna de illa nõ scripserit ex professo, meminit tamen cap. de fumo terrę. Sena in Italia seritur, melior tamen est Orientalis ex Alexandria Ægypti, vel ex Syria: in cuius penuriã succedere posset Italica. In Diasene Nicolai, & in alijs confectionibus in quibus Sena simpliciter ponitur, folliculi sunt intelligendi. Nam Mesuęo autore in simplicibus, melior pars plãtæ eius est folliculus (si tamen caducus non sit) deinde folia. In cuius defectum, folia substituẽtur ex ipsius Mesuęi doctrina. Cauẽdũ tamẽ ne pro Sena, Colutea Theophrasti nobis familiaris (quæ vulgo dicitur Espantalobos) supponatur. In hoc enim sicut in alijs multis, vel in ijs etiam quæ ad nostram religionẽ attinent, errauit perfidus Euch- Espãta lobos.

 sius,

sius, qui in suis de plantarum historia commentarijs, Senam & Coluteam facultate inter se similes esse dixit. Quũ tamen coluteæ semen non minus quàm genistæ vomitoriũ sit.

Pro Sena Orientali, Sena Italica.
Pro Senæ folliculis, Senęfolia.

SINAPI.

SInapi Plinio autore trium est generum: vnũ gracili assurgens folio, alterum rapi folia exprimit, tertium Erucæ folijs laciniatur. Primum erraticum est & passim nascens. Quod verò Rapi aut Raphani folio constat hortis familiare, cæteris maius est, illiusque in officinis vsus. Postremum autem, id est quod Dioscorides Erucam syluestrem nuncupauit, cuius semine vti dixit in

Eruca syluestris.

in colas in Hiſpania pro Sinapi, hoc Napy aliqui vocant, eodem autore. Semen ſinapis eligendum eſt adultum, valde ruffum, non magnopere ſiccum, ſed quod fractum interne vireſcat, & veluti quodam ſucco madeat, cęſium colore. Plinius libro 16. cap. 36, Adarcham ſuppoſuit, & ſimiliter lib. 20. cap. 22. vbi ait, Sina »
pis naturam effectuſq́ue eoſdem ha »
bere creditur Adarcha. Pro eo tamē, »
Galenus naſturtium ſupponit libro 7. ſimplicium medicamētorum ſic ſcribens: Naſturtij ſemen adurē- »
tis ſeu cauſticę facultatis particeps »
eſt velut ſinapi, proinde coxendicis »
& capitis dolores, atque adeo quod- »
cunq; rubrificationem poſtulat, eo »
excalfaciunt ſicut ſinapi.

Pro Sinapi, Naſturtium.

SMARAGDVS.

SVCCEDANEA.

OPtimi ac probatiſsimi ſmaragdi, viriditatem non modo iucũdiſsimè ſplendentem, ſed etiam ex liquido translucentẽ retinent. Quare vnicè cauendum ne viridis marmoris fruſtis aut cryſtallo falſario illudãtur Myropolæ, electuarium ex Gemmis Meſuæi, & alia compoſita medicamenta concinantes. Sed quoniam de hac gemma plura enarrauimus in libro Hiſpanico de Indiæ Orientalis aromatibus, ſat ſit hîc ſcire, quod in eius penuria, iaſpis viridis ſupponitur, quia pares fermè vires Smaragdo edit, ſicut Galenus 9. ſimplicium, & Dioſcorides 5. cap. 93. memoriæ prodiderunt.

Pro Smaragdo. Iaſpis viridis.

SPODIVM.

SPodium legitimum antiquorum, nihil aliud eſt quàm purgamentũ

quod

quod ab ęrarijs officinarum pauimẽtis & fornacibus euerritur, estque deterior tuciæ species, vt à Serapione describitur, cap. 422. de tucia. Arabes aliter de spodio loquuntur. Auicenna enim 2. Canone dixit, spodiũ esse radices cannarum adustarũ, vel secundum Andreę Bellunensis castigationem, Alcãna, Alij os elephãtis, vt Platearius, cap. 21. de simplic. Quę omnia verius Antispodia quàm spodij nomen merentur. Galenus pro spodio, Pompholygem semper vsurpat libro 9. simplicium med. his verbis dicẽs: At ego nusquam vsus sum spodio cum largè mihi semper Pompholyx suppeteret. Nec enim quisquam vbi hæc adsit spodio vti velit, nedum antispodio. Dioscorides libro 5. cap. de metallicis, Cadmiam substituit cum ait: Hac spodij vice vtuntur. Et capite de plumbo eloto, idipsum his verbis substituit: In to-

Os elephãtis

„ tũ ſpodij effectus præbet, niſi quod
„ nõ obducit cruſtas. Et libro 1. cap. de
Olea ſylueſtri, cinerẽ florũ & folio-
„ rũ Oleaſtri ſubiecit dicens: Vruntur
„ cum floribus folia vt ſpodij vicẽ ci-
„ nis preſtet in cruda olla, huiuſmodi
„ cinerem in medicamentis oculorũ,
„ conſtat ſpodio nõ cedere, ſed eiſdem
„ viribus preditum eſſe putãdum eſt.
Et capite de Palma cinerem oſsium
dactylorum ſubſtituit ſic ſcribens:
„ Nuclei palmarum ceterorum mo-
„ re cremati in crudo fictili & vino re
„ ſtincti cinere loto, ſpodij vicem ef-
„ ficiunt. Denique libro 5. cap. de
Pompholyge, antiſpodia multa pro
„ ſpodio conſcripſsit cum inquit: Quo
„ niam ſpodium ſæpenumero deſide-
„ ratur, neceſſe eſt oſtendere que ſi-
„ mili virtute polleant, vt in ſpodij
„ locum ſubijci poſsint Antiſpodia
vocant. Aduertendum tamen quod
in compoſitionibus Græcorum, ſuũ
ſpodium

ſpodiũ aut ſuccedaneũ recipiẽdum, in Arabum verò confecturis per os ſumendis, vt ſunt Trochiſci vel Electuaria, roſa potius ſubijcietur: nam Serapione teſte, in ea eſt virtus compoſita ſicut in ſpodio. Et Auic. 2. can. cap. de ſpodio ait: Ex reſolutione „ eius & ſtypticitate, fit exiccatio for- „ tis & compoſitarum virtutum ſicut „ roſa. Alij ex more os elephãtis vſtũ ponunt, quod nõ perinde probamus vti in noſtris diſcurſibus ſuper Indię ſimplicia fuſius demonſtratum eſt. In his tamen quæ foris admouentur, ſiue ſint Græcorum ſiue Arabum medicamenta, non negamus quodcũq; ſpodium recipi poſſe. ſi tamen in Gręcorũ medicamẽtis intra corpus ſumendis, ſpodium inueniatur, tutius iudicamus Gal. conſilio libro 4. Methodi ad finẽ, fugere medicamenta quę naturæ noſtræ aduerſantur, vt cadmiam, ſpodium, pom-

pholygem & lithargirium, &c. vtemur igitur rosa, vel simili substituto quod securitatem ex se polliceatur.

Pro Spodio Græcorum,	Pompholyx.
	Cadmia.
	Plũbum elotũ
	Cinis oleastri.
	Cinis nucleorũ palmarum.
Pro Spodio Arabum,	Rosarũ immaturarum puluis.

SECACVL.

Secacul in Tryphera Sarracenica magna Mesuæi & in confectione alia Testiculorum vulpis, planta est ex Indis allata, vt ex Serapione & ex Mesueo, vbi de cõditis agit elicitur, cuius folia pisi, flores colore violæ sed maiores, vere & singulo mense prodeuntes: radix pollicis crassitu-

dine,

dine, Indicis autem longitudine, similis Zingiberi, foris cineritia, intus neruosam habens substãtiam, quam matricem vocant, qua detracta caua remanet vt arundo: primo ordine calida & humida. Vnde constat, nec posse esse Eryngium, quòd folia pisi non habeat, nec flores violę, radices verò ei pollice crassiores cubitales. adde & secundo ordine siccæ, vt idẽmet Serapio, qui diuersum de Eryngio caput alibi facit. Neq; etiam cũ Polygonato cõuenit, folio, flore, aut radice: folium huic laurinum, flos albus, radix dodrantalis, nulla intus matrice. Pręter id quod facultatis veneris irritãdę, eiusmodi radices pręstare, nusquã hactenus apud Dioscoridem & Galenum mihi reperire licuit, qua tamen pollere Secacul, memoriæ prodiderunt Arabes. Neque etiã cum maritimo chritmo Secacul conuenit (vt recentiores nonnulli

Syluius.

Manardus.

sunt opinati) quum neque folia pisi, neque flores purpurei, radix autem cubito etiam longior, à Zingibere longè diuersa sit. Quare Auicennæ testimonio. 2. canone cap. proprio.

Baucia. Buzeidem.

Baucia (hoc est pastinaca) subijcietur pro Secacul, aut Buzeidem quod (vt explicat Serapio) satyrionis species est. Dixit etiam Mesuæus sermone de conditis: Baucię conditæ valent sicut Secacul.

Pro Secacul,	Pastinaca.
	Satyrion.

SMYRIS LAPIS.

Esmeril.

SMyris vulgo nobis Esmeril dictus, notꝰ est lapis cuius puluere expoliũtur gẽmę & armorũ omne genus. Galenus lib. 9. simpliciũ med. quod dentes puros efficiat se expertũ scribit. Veruntamen Aetius sermone 2.

Te-

Tetrabibli 1. cap. 26. Pumicem pro eo substituit dicens: Pumex extersoriam vim habet velut Smyris, vstus autẽ Pumex nihil inferior est Smyride ad eosdem vsus. ,, ,, ,, ,,

Pro Smyride, Pumex.

SEBESTEN.

DE hac tã celebri apud Arabes & iuniores medicos medicina, nec Dioscorides nec Galenus quicquam commeminerunt. Myxa apud Paulum, Aetium, Actuarium, & Pliniũ nũcupantur. Officinę verò, Sebestẽ nomine passim vtuntur, vt quę lubenter Arabũ vocibus gaudere soleant. Sebesten fructus in Loch sano & experto Mesuęi recipitur hodie, verũ in illius defectu pruna venient ex Pauli testimonio libro 7. de Myxarijs sic scribentis: Myxa arboris ,, Myxa.

fructus

„ fructus est minor quidem prunis, fa
„ cultate verò cõsimilis. Plinius quoq;
Lib. 3. de Syriæ arboribus scribens, pruna
cap. 5. in Damasco monte nata & myxa simul commemorat: aitq; vtrũq; fructum esse Italiæ familiarem.

Pre Sebesten, Pruna Damascena.

SETARAGI.

c. 372. SErapionis interpres, seitaragi vocem Arabicam, lepidium exponit. de quo non parua contentio est inter herbarum studiosos. Brassauolas in confectione pilularum aggregatiuarum maiorum, in Setaragi penuria, Carpesij æquale pondus supponẽdum admonet, ac si ipse Carpesium cognouisset, aut vsu frequens esset. Consultius itaq; erit in ea confectione & in Tryphera Sarracenica Mesuei, nasturtium pro illo substituere

tuere ex Galeni ſententia lib. 7. ſim plicium medicamentorum ſic dicentis, Lepidium ſimile eſt naſturtio tũ „ odore, tum guſtu, tum viribus. Quod „ etiam Rubia ſupponi poſsit, Auicẽna 2. canone cap. de Setaragi teſtatur: & Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum differens de Rubia, eaſdem facultates enarrat, quas Auicenna de Setaragi.

Pro Setaragi	Naſturtium: Rubia.

SQVAMMA AERIS NIGRI.

GAlenus libro 2. de compoſitione medicamentorũ per genera c. 2. de giluis emplaſtris & in alio Herę ad vlcera cõtumacia lib. 4. eiuſdem operis, ęris nigri ſquãmę meminit.

Vocatur

Squã-ma qd batitura.

Vocatur autẽ ſquamma & batitura vulgo, id quod malleorum ictibus decutitur. Hanc igitur requirunt noſtri pharmacopolæ pro emplaſtri Iſis confectura. Cæterùm quum Dioſcorides libro 5. duas tantũ ſquâmæ æris ſpecies habeat de quibus (nec de pluribus) ſcribit Galenus libro 9. ſimpliciũ, Paulo in 7. & Ætio in 2. nihil de nigri ęris ſquamma diſſerentibus, altera neceſſario ex duabus ſpeciebus erit nigri æris, nempe Helites, quę probatiſsima eſt Dioſcoridis teſtimonio. Illud autem æs ex quo virgæ fiebant vt claui pararentur, nigrum dicebatur, taleq́; redditur quum primum in ignem conijcitur, vt teſtis eſt Plinius lib. 24. cap. 9. Verum quod æris ſquamma quæ vi ignium nigreſcit, longè magis præſtet ea quæ à repurgato elaboratoq́; ęre excutitur è quo cacabi & lebetes & alia vaſa parari ſolẽt (cum idẽ

ſin:

sint & ex eadem minera proueniãt) non alia euenire ratione existimo, nisi quia dum vi ignis claui fiebant ex æreis virgis, excrementa omnia à centro ad circunferentiam deponuntur, vnde postea crassiorem & solidiorem squãmam exuant, quàm quæ decussa est ab ære valde repurgato, vt in ęrariis officinis quotidie videmus, in quibus multa vasa conficiuntur malleo & incude absque igne, quorum vasorum squamma cum tenuis sit & parum cõtineat excremẽti (in quo maior inest siccandi vis) infirmissima cẽsetur, vt inquit Dioscorides. Ipsa tamen deficiente, squãma æris repurgati assumetur licet inefficatior: aut etiam stomomatis squamma ex Dioscoride lib. 5. cap. proprio his verbis: Squammæ ex acie aut mu- „
cronibus decussę, quam vocant sto- „
moma, eadem vis, lauatur modo si- „
mili, & reconditur. Aduertendum „
tamen

Stomoma Azero. tamen quod ſtomoma,nõ ex ęre aut ferro prodit,ſed ex chalibe, quē Hiſpani azero vocant,tum maximè cũ ſuper incude tunditur, cõficiendis armis & ruſticis inſtrumentis.

Pro ſquamma æris nigri,	Aes repurgatum.
Pro ſquãma æris,	Stomoma.

SCINCVS.

ANimal eſt Scincus lacertæ ſimile, ſquammis ſubluteis,cęſia à capite ad caudam vſque diſcurrente linea, capite longo, cauda tereti,breuiori quàm lacertę. Ex mari rubro & ex Nilo aſportatur legitimus,vulgares enim qui in lacubus Italię & Hiſpanię gignuntur,minuti ſunt & nigricantes. Quare in Mithridato & in confectione Teſticulorum vulpis Meſuæi, veris deficientibus, Satyrium

rium ex Paulo ſupponetur, aut ſe- lib.7.
men erucæ.

Pro Scinco, Satyrium
Eruca.

SCILLA.

SCillę (quarum in noſtris officinis eſt vſus) legitimę nõ ſunt, quũ nõ Aloes folium habeãt, vt Dioſcorides & Plinius proprijs de Aloe capitibus docuerunt Aloes folia Scillæ folijs conferentes, ſed potius lilio proximum. Scillę igitur noſtri vſus (quibus pulchrè reſpõdent lilij folia) Pãcratium Dioſcoridis omnino referũt. Sed cum Dioſcoride autore, Scillæ vires & pręparationem habeat pãcratium, legitimæ Scillæ inopia, Pancratium conſueto more accipiẽdum cenſemus. Quod ſimiliter teſtatur Galenus lib. 8. ſimpliciũ his ver- Pãcratium.

" bis: Radix pancratij Scillæ simile gu-
" stum refert, quare ea quidē pro Scil-
" la, si ea non adsit vtūtur: efficit enim
" omnia in genere quidē similiter, sed
" longè imbecillius.

Pro Scilla, Pancratium.

SERPENTARIA.

Officinis nostris Serpentariæ titulo cognoscitur antiquorum Dracontium: cuius duo potissimùm genera veteres herbarij constituūt. alterum speciatim Dracunculum nominauit Dioscorides, alterum verò Arum: quod apud Syros Lupha vocitari scribit. Arabes tamen nomine Luph, Arum & Dracunculum comprehenderunt, vt apparet in Hiera Hermetis, & in confectione alia Testiculorum vulpis Mesuei. Sed quum eisdem viribus declaren-

Arū. Lupha.

tur Serpentariæ genera, perinde erit Dracunculi an Ari radicibus vtamur. Id quod Dioscorides dilucidauit cap. de Aro sic scribens: Radix, semen & folia Dracunculi vires habēt. Et Galen. libro 6. de simplicium medic. facultatibus: Dracuntium, ait, quiddam Aro per simile obtinet, tum folijs, tum radice. Cæterûm illo tum acrius est, tum amarius: ac proinde calfactorium magis, & tenuioribus partibus.

Pro Serpentaria, Ari radices.

SONCHVS.

Sonchus, Latinis cicerbita. quo nomine in syrupo de cichorea Nicoli habetur, vulgo cerrajas dicitur. Apuleio Lactuca leporina dicta videtur, quoniam lepores per æstum huius plātæ refrigerio oblectantur.

Cicerbita. Cerrajas. Lectuca leporina.

In hortis & campis duo sonchi genera videmus, asperum scilicet & læue. Ideoq; nõ nisi foliorũ (quæ cichoracea sunt) læuitate aut asperitate differunt. Est autore Dioscoride & alter sonchus arborescens, cuius reliqui autores graues nullam fecerunt mentionem, nec apud nos extat. Cæterùm (vt ipse inquit) ad eadem pol
„ let, ad quæ prima genera: quorũ vis
„ est refrigerare & modice astrin-
„ gere.

Pro Soncho læui, Sõchus aspera, Sõchus arborescens.

SYLPHIVM.

Lasserpitium. Assa. SYlphium, Latinis est lasserpitiũ: & Serapioni cum reliquis Arabibus Assa nuncupatur. Hanc in fœtidam

dam & odoratam partiuntur Mauritani. quod Dioſcorides indicauit lib.3. cum Cyrenaicum liquorē blandiſsimi odoris eſſe, Medicum verò & Syriacum viroſum odorem reddere teſtatus eſt. Liquor ſeu lachryma, vt efficatior ad vſum eligitur: ſemper tamen præfertur odorata: de qua non parua cōtrouerſia eſt inter autores, Belzuinum vulgare eſſe putantes: ſed de hoc alibi ſcriptum eſt à nobis. Eius igitur lòco fætida Aſſa ſuccedit duplicato pondere Galeno autore libro 2. de Antidosis in medicamento Auguſtæ ſic ſcribēte: Salis Ammoniaci, liquoris Cyrenaici vtriuſq; drachmæ duæ: ſi Cyrenaicus deſideratur, Syriaci duplum. Et lib. 3. de compoſitione medicamentorū ſecundum genera de Cyreneo ſucco ſic ait: Cæterùm ſi eius facultas non detur, vtemur Medico, vel ſagapeno vocato vel euphorbio.

Bel-zuinū

Pro Sylphio odorato, Sylphiũ fętidum. Sagapenum. Euphorbiũ in vulneribus neruorũ.

SAXIFRAGIA.

DE Saxifragiæ historia, tot sunt quot capita sentẽtię, adeò vt nec apud Græcos nec Arabes autores, vix percipi posſit, quid hoc nomine ſignificetur, vt mittam tanquã ſpurium Saxifragæ caput â multis relinqui, vtpote Ruellio & Marcello Virgilio: quáuis Matthiolus & alij meritò admiſſerint: cum præſertim videamus Galenum eiuſdẽ meminiſſe lib. 5. cap. 7. de Sanitate tuenda, cum ait: Ijs verò qui calculo laborãt, etiã aliquid Betonicæ & ceſtri quod in Gallijs naſcitur eſt immiſcẽdum, vocãt autem herbam eam Saxifragon.

Hęc

Hęc ille, à quo ſuam quoq; Betonicã ſaxifragam deſumpſit Paulus lib. 7. ſic ſcribens: Betonica herba eſt ramulis exilibus pulegio ſimilibus, ſed tenuioribus, & propemodũ ſi guſtes nullam qualitatem referẽtibus. Naſcitur potiſsimum in locis petroſis, qua & in renum medicinis vtuntur. Auicenna lib. 2. tractatu 1. cap. 4. de operationibus medicinarum, Saxifragiæ proprietatem eſſe dixit, humorem lapideum minorare & cõterere, etſi eius hiſtoriam non explicuerit. Plinius libro 22. cap. 21. non quòd in ſaxis proueniat appellari Romanis credit, ſed quoniam calculos frangat & è corpore pellat noſtrum Capillum Veneris eo nomine deſignauit. Fuchſius libro de ſtirpibus de maiori quadã Saxifraga agit, quæ in radicibus ſemen gignere videtur, eiuſq; copia iuxta Toletũ excreſcit. Pãdectarij, autor, Saxifragia

Betonica Saxifraga.

„ (inquit) est similis Pimpinellę non
„ differés nisi in pilis, est calida & sic-
„ ca in 3. valet contra stranguriam &
vitium lapidis & dolorem iliacum. Hanc seplasiarij & officinæ nostrę vsurpant: cuius discrimen hoc versiculo agnoscunt.

Pimpinella pilos, Saxifraga nō habet illos.

Saxifragiam recipiunt pilulę artericæ Nicolai, Aurea Alexandrina, & Electuarium ducis, cuius plantæ radix accipienda est vt notat Platearius in expositione Aureę Alexandrinæ: pro qua [quicquit tādem sit] apud Græcos & Arabes autores, Filipendulę radicem [quam nonnulli oenante Græcorum existimarunt] inijciēdam censeo. Hæc enim vrinæ remoratui & stillicidio, renum doloribus atque lapidi eorū conuenit

Filipē dula œnā-te.

Infla-

Inflationes discutit, medetur & suspiriosis & anhelosis, & omnibus morbis quos causa frigida cõcitauit, Tametsi non negauerim Saxifragã albam maiorem ex Fuchsio, similiter supponi posse. Adiantum nostrũ eodem modo admitti posset, siquidẽ [Galeno testãte] siccat, extenuat, & modicè discutit, calculos potu confringens, nisi quibusdam absonũ videretur, herbam pro radice ponere, & medicamentũ in calore ac frigiditate medium quale est Adiantũ, pro medicamento calido & sicco manifestè, qualis est Saxifraga.

Pro Saxifragia, Filipendula
Saxifraga alba maior.
Adiantum.

SANGVIS HVMANVS.

FIt in officinis Emplastrum cōtra rupturam vel de pelle Arietina ex Guidone Cauliaco, interdum ex Arnaldo de Villanoua, cui inter alia, sanguis hominis admiscetur. Sed quū tantā cum hoc sanguine affinitatē habeat porcinus, in illius penuria supponetur ex Galeno cap. de sanguine suillo his verbis: Sanguis suillus humidus est & minus calidus, humano maximè temperie similis: Siquidē & carnes suū humanis sunt similes. Comperti enim sunt hospites & coqui complures qui humanas carnes pro suillis venderent: tametsi qui eas edissent, nullum omnino discrimē percipere potuerint. Hoc ipsum similiter confirmauit libro 3. de alimentorum facultatibus, de sanguine vt de alimento loquens.

Lib. 2. ca. de Crepatura.

lib. 10. simplicium med.

Pro Sanguinè humano,	Sanguis porcinus.

SAGAPENVM.

SI Galeno (vt oportet fides est adhibenda in ijs quæ ad rem medicam attinēt) liquor est sagapenum, cuius plāta ferulę assimilatur. Verū & selectissimum pro Theriacæ cōfectione, Venetijs reperiri audimus. Cauendū tamē ab ingēti adulterati copia, quod vbiq; vēdi solet. Pro Sagapeno Ammoniacum reponi poterit, cum similis ferè sint facultatis, si conferas veterum de vtroq; scripta.

Pro Sagapeno, Ammoniacum.

SANTALVS CITRINVS.

SAntalus arbor est Indica cuius ingentes syluas apud Calecutum reperiri fama est. Eius tria genera assignantur, ex tribus arborum generibus

ribus prouenie̅tia, quorum primum rubeum & inodorum, alterum luteum, tertium albu̅: & à triplici illorum genere vulgus pharmacopolarum Diatriumsantalum confectionem nominauit. Loco citrini santali (qui rarissimus est] albi & rubri partes æquales prescribendas no̅ ce̅seo, vt sentit Sepulueda, sed aut solu̅ candidum, quod magis cum pallido affine videatur, aut santalus potius ruber ex Serapionis scriptis sic dice̅tis, Et melius ex sandalis, est citrinu̅ pingue, & post citrinum siccum, & post ipsum rubeum, & post ipsum est album.

Pro Sa̅talo citrino, Sa̅talus ruber.

SABINA.

DVplex est sabina, altera cupresso similis, altera verò tamarisci

folia

folia habens. Vtraq; in Hispania dignoscitur, similis inter se facultatis ex Dioscoridis testimonio. Vtriusq; defectum in syrupo de Artemisia & in alijs compositionibus, supplet cupressus, vt autor est Galenus libro simplicium 6. his verbis scribens, Sa- bina ex numero est fortiter exiccā- » tium, idq; secundum tres qualitates » quas in gustu præsefert similiter cu- » presso, nisi quod ea & acrior est, & » [vt sic dixerim] magis aromatica » seu odoratior. Auicen. 2. canone tractatus 2. cap. 5. addit casiam ligneam sic scribens: Loco eius ponitur Casia » lignea: & dicitur quod pondus eius » de nuce cupressi: & dicitur quod pō » dus eius de folijs cupressi. »

Pro Sabina. Cupressus
Casia lignea.

STYRAX CALAMITA.

Styrax

Estoraque. STyrax(officinis Storax dicta,vulgo Estoraque) lachryma est arboris malo cotoneo similis teste Dioscoride. Quoties autē simpliciter effertur styrax vt in Theriaca Andromachi, calamites siue aridus intelligitur:qui (vt inquit Galenus libro de Antidotis primo) in calamis è Pamphylia apportabatur. Vnde constat Leonardum Fuchsium, vehementer aberrasse, qui credidit calamitem esse liquidum, quia afferebatur inclusus, non animaduertens illud fieri, nō quòd liquidus esset, sed vt odor conseruaretur, vt de Dictamno docuit Theophrastus lib. 9. cap. 16. de historia plantarum. Præfertur Styrax maximè pallidus, odore ac sapore vehementissimo. Qui hodie officinis in vsu est, quamuis non omnino descriptioni respondeat, eo vtēdum donec melior proponatur. Tametsi qui vbique prouenit, potentia mul-

to pallidiore inferior ſit, vt monſtrauit Galenus lib. 2. cap. 2. de compoſitione medic. ſecundū genera. Pręter Styracem calamitem, Styracis rubeæ meminerunt autores pharmaca componentes, vt apparet in Alipta muſchata Nicolai. Platearius lib. de ſimplici medicina cap. de Storace ait, Storacem rubeam plus accedere ad ruborem quàm calamitem, ſimileſq́; habere effectus, ſed calamitem efficatiores.

Pro Styrace calamite,	Styrax vulgaris Styrax rubea.

SVCHAHA.

SVcaram apud Auicénam 2. canone c. 67. atq; reliquos Arabes (quæ cicutam ſignificat) non eſt Suchaha, quam Meſuęus recipit in ſyrupo de Eupatorio. Quod enim veteres ſpinam Sucaram

nam Arabicam dicunt, Mauritani ſuchaha appellarunt. Verùm quum hoc æuo ſpina Arabica delitefcat, Lyſimachię ſemen ſubſtituetur, ex Pauli & autoris illius in libros ſuccedaneorum pręfationibus. Eligenda tamen ea Lyſimachię ſpecies quę luteis floribus cõſtat, apud nos & in Tagi ripa prope aquas copioſé prouenies. Quamuis non inficiamur [vt ſupra de Bedeguar dictum eſt] Cariophyllatæ radices ſubſtitui poſſe pro ſuchaha. Idẽ enim poſſunt quod ſpina alba & Arabica: quę Barbaris nominibus, Bedeguar & Suchaha vocitari ſolent.

Pro Suchaha, Lyſimachię ſemẽ
Cariophyllata.

SISONVM.

SIſon, vt Dioſcorides lib. 3. ſcriptũ reliquit, ſemẽ eſt in Syria prouęniens

niens; cuius Nicolaus meminit in cõfectione Lithõ Tripon. Plãtam, quę hoc semen ferat, apud aliquem autorem suis notis descriptam, hactenus non reperimus: quamuis Ruellius ex Hippocrate asserat, quaternis cõstare ramis. Qua de causa in huius seminis penuria, Anisi semẽ supponetur ex Pauli censura lib. 7.

Pro Sisono, Anisi semen.

SOLANVM HORTENSE.

EX quatuor Solani generibus ab antiquioribus descriptis, duo prima solummodò, nempe hortense & quod peculiari nomine Halicacabõ seu physalida vocant, in vsum quotidianum recipiuntur. Reliqua verò duo, somniferum scilicet & furiosum, nec magnopere præstiterit co- Halicacabum Physalida.

gnouisse, detrimēti magis quàm vtilitatis allatura. Solani hortēsis folia vnguentum Populeum Nicolai ingrediūtur, succus verò granorū, pro vnguento Diapomphyligos vocato eligi solet. Hîc animaduertant Myropolę vnguenta hęc concinnaturi, ne pernicioso errore pro Solano hortensi, vitis syluestris (Algaliua nobis dicitur) folia accipiant, quæ contrarium obtinent temperamentum.

Alga-liua.

Primum Solani genus Solatrum officinis dicitur, alterū autem Alchechengi. Sub qua nomenclatura parātur hodie trochisci ex Mesuæi inuētione. Solani hortensis inopia, aliud quod Halicacabum vocant substituit Dioscorides sic scribens: „Halicacabum vim vsumq; hortensis So-„lani habet. Ex vtraq; succus extrahi-„tur, qui siccatus in vmbra recōditur „ad eadem valens. Pari modo Galenus libro 8. de simpliciū medicamētorum

Sola-trum. Alche chēgi.

torum facultatibus, sic ait: Halicaca ״
bum igitur in foliorũ facultate hor- ״
tensi Solano simile est fructũ habens ״
vrinæ ciendę idoneum. Ætius simili ״
ter sermone. 1. Tetrabibli primę, So
lanum inquit, hortense astringit & ״
frigefacit ordine secũdo: quod verò ״
Halicacabum appellatur, in foliorũ ״
facultate simile est hortensi, verum ״
fructus eius vrinam ciet.

Pro Solano hortẽsi, Halicacabum.

SYMPHYTVM PETREVM.

MAgnopere decipiuntur (mea quidem sentia) qui Symphytũ petręum putãt eam esse plantã ferè omnibus cognitam, quam officinę Consolidam, & Solidaginem minorem vocant. Recentiores verò herbarum scriptores Prunellam. Siqui-

Cõsolida.
Solidago minor
Prunella.

dem ea nihil prorſus cum Symphyti petrei notis reſpondet. Neq; etiam crediderim idē Symphytū eſſe aliā herbam, cuius folia auerſa parte purpuraſcunt, quæ ab herbarijs Conſolida media nuncupatur, & ab aliquibus Laurentiana. Eſt itaq; verū Symphytum, plāta quędā (vt inquit Matthiolus) præſertim vbi floruerit viſu pulcherrima, ita vt maximè ad ſe videndum viatorum oculos alliciat. pro quà Galenus libro 8. de ſimplicium medicamentorum facult. vbi de Symphyto petręo ſermonē fecerat, Symphytum alterum quod herbarij Conſolidam maiorem vocant, his verbis ſuppoſuit: Symphytum alterum, puta magnum, ſimilem dicto vim habet: non tamen guſtantibus dulce eſt, nec odorantibus odoratum, ſed his ſanè, à modo ſcripto diuerſum eſt.

Conſolida media Laurētiana,

Pro

Pro Symphyto petræo, Symphytum magnum.

SESSELI MASILIENSE.

SEsseli tria genera cõstituit Dioscorides, Massiliẽse, Æthiopicum, & Peloponnense. Arabibus siseleos dicitur, & officinis Siler montanum: quo nomine habetur in descriptione pilularum lucis maiorũ Mesuæi. Vendũtur in pharmacopolijs varia semina pro Seseli, quę quum nec nimis suauia nec acria sint, Æthiopicum vel Peloponnense potius semẽ representant quàm Massiliense cæteris præstantius: & si eisdem viribus prędita sint Dioscoride autore. Hac de causa, non erit præter rationem in omnimoda penuria, Dictamnum Creticum aut semen anisi substituere, si conferantur horum facultates. Siler mõtanum.

tates singulis capitibus apud Diosco ridem & Galenum.

Pro Seseli Maßiliẽsi,	Seseli Aethiopicum.
	Sesel. Peloponnense.
	Dictamnum.
	Anisi semen.

STRVTIVM.

Cõdi- si. Radi- cula, Lana ria her ba. Sapo- naria.

RECésuit Mesuęus inter olea, oleũ de Euphorbio cui Condisi adie- cit. Sic enim Arabes & officinæ vo- cant, quod Gręci Struthiõ, & Latini radiculam seu lanariam herbã: quã nimirum frequẽter admiscent, illis medicamentis quæ naribus admota, sternutamenta cient. Nonnulli her- bam fullonum & Saponariam dicũt. Hæc plãta Dioscoridis tẽpore adeò vulgaris fuit notitiæ pro lanis pur- gandis, vt ipse vllis notis eam repre- sen-

ſentare ſuperuacaneum exiſtimauerit. Theophraſtus inter folio aculeatas Struthion collocauit, Plinius caule ferulaceo, lanuginoſo, & folijs oleæ eſſe dicit. Vnde conſtat vehementer erraſſe Fuchſium, quod plantam vulgo Saponariam vocatam, iuxta amnes & irrigua loca paſsim prouenientem, legitimum eſſe Struthium cenſeat, eamq́ue pro Struthio depingat. Hæc enim folijs plantaginis exit, caule læui, & geniculato, guſtuq́; potius inſipido, quàm adeo acri vt quartum ordinem excalfacientium medicamentorum attingat. Qua de re, cùm arduum ſit iudicare quæ planta iure optimo Struthium dici mereatur, Pyrethri radices eiuſdem planè têperamenti ſubſtituentur, aut Veratri: quæ virtutem habêt ſimiliter abſtergêdi, vt Struthium, licet nõ æquę calidę ſint.

SVCCEDANEA

Pro Struthio, Pyrethrum
Veratrum.

SEMPERVIVVM.

IN vnguento Populeo Nicolai, Sẽperuiuum herba recipitur, sub nomine scutum celi. Huius autẽ (quod & Sedum etiam Latinis dicitur) tria genera Dioscorides depingit, quarũ prima duo (maius scilicet & minus, eisdemq; viribus prædita [Dioscori de autore] omnibus nota sunt, addita maioris & minoris differẽtia, quã uis nõ desint qui minus, Vermicularem crassulamq; herbam vocet, vel cum addito minorem. Minoris semper viui duo visuntur genera, alterum, folijs crassioribus, longioribus rarioribusq;, facie nucleis pinis similibus, quod vbiq; fere reperies in domum parietibus soli expositis & in tectis,

Scutũ celi. Sedũ.

Vermicularis.

tectis, cum floribus herbaceis & subcãdidis, vmbellæ diuulsæ modo. Alterum folijs breuioribus, copiosioribusq́;, floribus melinis. At tertium, nobis primum Valisoleti visum, cũ vsq; adeò calidum sit, vt carnẽ exulceret impositum, à cæteris longè facultatibus dissidet. Cæterùm Sẽperuiui refrigeratoriã vim habentis defectum supplet, alterum vmbilici veneris genus apud Dioscoridem dicẽtem: Facit eadem quę Semperuiuũ.

Pro Semperuiuo maiori,	Semperuiuum minus. 2.
Pro Sẽperuiuo.	Vmbilicus veneris.

SCOLOPENDRIVM.

NOn diu est quod rei herbarię periti nouerũt Græcorũ Asplenũ

 &

Ceterach. Phyllitis Lingua ceruina.

& Arabum Ceterach, legitimũ esse Scolopẽdrium, Antea enim Aspleni loco Phyllitim (quam Linguam ceruinam vocant) suis immiscebant medicamentis. Sunt tamen nõnulli qui putent, Asplenum & Scolopendriõ Græcis, non idem, sed diuersas plantas in totum representare, Galenus enim libro 5. de simplicium medicamentorum facultatibus, de his differens quę lienis obstructionibus conducunt, vnũ ab altero segregasse videtur manifestè cum inquit: Ma
» iores lienis obstructiones vehemen-
» tiora desiderant medicamenta, nẽpe
» capparis corticem, tamaris radices,
» Scolopendrium & Scillam, & eam
» quæ idipsũ nomine representat Asple
» nos appellata. Sed mea quidem sententia credendum suspicor, quod in eo loco per Scolopẽdrium vel Asplenum, Hemionitim intellexerit Galenus, siquidem Hemionitis, vt ipse

Hemionit

scri-

ſcribit libro 9. cap. vndecimo de cõpoſitione medicamentorum ſecundum locos (vbi ea pharmaca ab Andromacho conſcripta recenſet, quæ epota lienoſis opem ferũt) ab aliquibus ex antiquis Aſplenum, ab alijs Scolopendrium appellata eſt. Quare non mirum eſſet, ſi loco citato Galenus Aſplenum pro Hemionitide accepiſſet. Præſertim quod hęc herba, eandem vim lienem abſumendi ſortita eſt. Scolopendrij meminit Meſuæus in Diacurcuma & in confectione trochiſcorum de cappare, pro quo Mauritanorum vt prędiximus Ceterach intellige: aut in penuria, Hemionitidem ſuppones, in lienis obſtructionibus.

Pro Scolopendrio,	Ceterach, Hemionitis.

SMILAX ASPERA.

IN quibusdã Hispaniæ nostrę maritimis locis, vera reperitur Smilax aspera, nullaq; reclamante nota. Theophrasto hedera Ciliciæ nominatur. Hetruscis hedera spinosa siue Rubo9 ceruinus. Hãc eius radicis esse plãtam affirmant quã Hispani Zarzam parrillam vocãt, vt longius in historia Indiæ simplicium iam disseruimus. Galenus libro 7. simpliciũ medicamentorum, Smilacem lęuem pro aspera substituit, sic inquiés: Milax (sic enim Smilacem vocat Galenus) aspera clauiculis plena est, ita vt varie sursum deorsumq; arboribus circũuoluatur. Folia gustata aliquid habẽt acrimoniæ, & alioqui si illis vtaris calefaciũt. Milax lęuis facultate quodãmodo prędictæ similis est.

Hedera Cilicia. Hedera spinosa. Rubo9 ceruinus.

Pro

Pro Smilace aspera, Smilax leuis.

SCAMMONIVM.

RArò inuenitur Scāmoniū quod omnibus ijs notis quas optimo tribuit Dioscorides prȩditū sit. Nā Thythymalli lacte, alijsq; imposturis vitiatum, frequentius reperitur. Quare curandum est pharmacopolis & medicis, vt laudatissimū quȩrant Scamoniū. Cùm enim hoc medicamentum omnium ferè Electariorum, pilularumq; (quarū passim est vsus ad purgationes) sit basis, qui ijs adulterarum immiscent, pessima & mortifera conficient medicamenta. Quod autem officinarum Scammoniū Thithymalli succo vitiari soleat, hinc constat, quod decem vel quindecim grana, aluum sæpius expurgent: cum synceri drachma (vt Dioscorides testatur) id vix efficere pos-

posſit: Paulus lib. 7. cap. 4. cui titulus eſt de medicamentis ſimplicibus quæ flauæ bili purgandæ ſunt, Elaterium in Scammonij vicem repoſuit,
„ ſic ſcribens, Elaterium Scammoniæ
„ modò euacuat, deligendum verò porraceum, leue, & anno nõ vetuſtius.

Pro Scammonio, Elaterium.

SEVVM.

SEuum quod ex renibus ſeligitur, laudatiſsimum iudicatur. Vitulini ſeui fit mẽtio in Cerato ex oeſipo Philagrij apud Meſæum. Galenus libro 5. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera in Emplaſtro Alcinionis vel Nichomachi, hircinum & vitulinum, inuicem ſuccedanea ponit cũ ait, Seui caprini vel
„ vitulini. Celſus libro 5. in deſcriptione Tetrapharmaci Emplaſtri, vitu-

linum pro taurino substituit, sic scribens, Habet pares portiones ceræ, ,,
picis, resinæ, seui taurini, si id non ,,
est, vitulini. Galenus tamen libro 8. ,,
Methodi cap. 5. pro seuo anserino, gallinaceum, & pro hoc caprinum, & pro caprinu, ceram tandem substituit dicens: Vbi vero vehemẽter vẽ ,,
tris morsus vrget, Sabinũ oleum in ,,
quo aliquid seui anserini sit liquatũ ,,
est vtilius. Si vero eius copia nõ est, ,,
gallinacei seui. Sin nec huius facul- ,,
tas est, caprini. Quod si huius quoq; ,,
penuria est, inijciẽdum oleo parum ,,
cerę est, potissimùm elotæ. ,,

Pro Seuo caprino & Taurino,	Vitulinum.
Pro Seuo anserino,	Gallinaceum
Pro Seuo gallinaceo,	Caprinum Cera elota.

SESAMVM.

Quam-

SVCCEDANEA

QVamuis Sesami semen a quo cōpiosum exprimitur oleum, officinis perinde ac reliquis notissimū sit, paucis tamen, Sesami plantas videre contingit. Cęterùm, quando Sesami apud nos facultas non fuerit, haud inepte lini semē substituemus ex Pauli decreto libro 7. nec est alienū à Galeni scriptis, qui libro 8. simplicium medicamentorum, de Sesamo inquit, calidū modicè esse, emolliens & pingue. Et libro 7. de lini semine, & 3. cap. 10. similes descripsit vires ac facultates. Accedit recentiorum sententia in oleis, qui pro sesaminò, lininum vel amigdalinū oleū subijciunt.

Pro Sesamo, Lini semen.

STAPHIS AGRIA.

EST in vsu multorum medicātium hoc tēpore, vnguentū pediculos

poten-

potenter enecans, Staphim agriá recipiens, cuius etiam non fuit immemor Nicolaus in potione sancti Pauli. Hanc plantá Vuam taminiam nominauit Celsus. Galenus lib. 4. simplicium, vitem agrestem vocat. Quidam Pituitariam dicunt, quòd commáducata multam pituitam eliciat. Serapioni capite simplicium suorũ 227. Alberas appellatur. Semen plantæ in medicamentis vtilius: cuius defectum Pyrethrum supplet. Galenus enim libro 6. de Simplicium medicamentorum facultatibus, Astaphis „ agria (inquit) vehemẽter acrem ob- „ tinet facultatem, adeò vt ex capite „ pituitam purget, abstergatq́; valen- „ ter, sed & vrẽdi vim aliquam habet. „ Et libro 8. de Pyrethro loquens, Ra „ dice (ait) potissimè vtimur, causti- „ cam vrentemve facultatem obtiné- „ te, qua vtiq; & dẽtes refrigeratos mi „ tigat. Simili modo Dioscorides li- „

Vua taminia.

Vitis agrestis.

Pituitaria.

Alberas.

bro 4. dixit de Staphide agria, quod in aceto cocta dentiũ doloribus collutione subuenit, & quod vrentibus malagmatis imponitur.

Pro Staphisagria, Pyrethrum.

SCORDIVM CRETENSE.

PLanta Scordium passim vocata, sic â Grȩcis dicta est, quòd eius folia affricta, allij quod Grȩce Scorodõ vocatur odorẽ referat. Dioscorides natione Ponticũ Creticũq; inter prima efficax laudauit. Similiter Galenus docẽs lib. 1. de Antidotis omnia medicamẽta Theriacȩ prȩstãtissima esse debere, Creticũ Scordiũ eligit, ꝙ pulcherrimũ (vt inquit) Creta mittat, quanquã nõ malũ ex alijs nationibus sit inuenire. Ex quibus Galeni verbis elicitur, Hispanicum pro

Cre-

Cretensi posse substitui: quod nō ita pridem cepit agnosci: neq; enim est allium agreste, vt hactenus pene omnes ab Arabibus & eorum imitatoribus nominis similitudine decepti existimarunt. Græcis enim Scorodom est allium, Scordium verò chamædri similis est herba, odore alliū referēs, in palustribus nascens, vnde Romanis Trissago palustris vocitatur. Scordiū itaq; huiusmodi, in Theriacā inferendū erit, & nō alliū syluestre. Sūt etiā qui errorē errori accumulātes, Alliariam vulgarē recentiorum, loco legitimi Scordij suppo ponant, quòd easdem allij facultates habere conijciāt, cum tamē in Alliaria, Scordij virtus & potētia nō elucescāt (vt norunt curiosi indagatores) non est quod in Scordij locū veniat.

Trissago palustris

Alliaria.

Pro Scordio Cretico,	Scord. Hispanum.

SVCCEDANEA.
SEDENEGI.

VAriæ sunt interpretationes huius vocis Sedenegi in cõfectione trochiscorũ de terra sigillata. Etenim Simon Genuensis lapidem Hæmatitem exponit, sicq; bis in eadem cõfectura idem lapis reciperetur. Similiter explicuit Auicenna libro 2. tractatus 1. cap. 5. de iuditijs quarũdam medicinarum extrinsecis vbi aperte ait, Schedemigi lapidem esse. Idẽ exposuit Guido chirurgus (quantũ sua ætas tulit excellentissimus) tractatu de decoratione, capite de ægritudinibus oculorum. Alij fumũ terræ inepte interpretanter, quod parũ facit ad rem. Serapio capite de Eupatorio & Cannabi, Sedenegi & Schedenegi pro Cãnabi habet, quę sanè expositio magis placet, nec à cõpositionis scopo deuiat, quandoquidem tantopere desiccat naturali temperamento,

Schedenegi.

mento, vt genituram extinguat ac desiccet, vt latius Galenus libro 7. de Simplicium facultatibus scriptũ reliquit. Effectus autẽ humores corporis exiccandi summopere in trochiscorũ mistura exoptantur, vt intuenti apparet. At, qui bis idem medicamentum, eidem confectioni admiscere velit, enarratis autoribus fauet, sed cõpositioni iniuriam facere videtur. Sunt qui securius & verius Balaustij semẽ inijciendũ suadeant iuxta Arabicorum nominum antiquam expositionem: in quorũ Elencho legimus, Sedenegi, id est semen granati syluestris. In cuius cõfirmationem accedit quod Balaustij facultates eędem sunt cum ijs quæ de hac compositione Mesuæus pollicetur.

Pro Sedenegi, Cannabis semen.
Semen granati syluestris.

SVCCEDANEA SQVINANTVM.

Iūcus odoratus. Paja de Mequa.

LEgitimus iuncus odoratus officinis Squinantū vocatur, Hispanis paja de Mequa. Quamuis deprauate ex floris & plantæ nomine componi videatur. Verè tamen Squinantum, nihil aliud præter iunci florem significat, qui melior est pars, si Dioscoridi fidem adhibemus, cum ad venena conuenire dicat; quamuis doceat culmorum etiā & radicis vsum esse. Proculdubio tamen ob vires dictas, flos præ cæteris pro Theriacę pręparatione eligendus erit. Si tamen deficiat, iunco ipso siue calamo vtemur ex Galeni censura lib. 1. de Antidotis cap. 29. vbi ait: " Nobis eum florū " copia non adsit, iūco vtimur ex Arabia comportato, cuius summitatem " camelli sæpenumero abroserūt. " Cæterùm vidimus nos anno exacto in officina Ludouici de Ouido, Pharmaco-

macopolę doctissimi, Scheni flores vna cum integra planta allatos ex Alexádria Ægypti, vt hinc conijcere liceat tam ingentem esse camelorum numerum, vt locustarum modo in vniuersum Schœni flores de pascãtur, vt nulla penitus supersit planta, cui flos non deuoretur.

Pro Flore iunci odorati, Iuncus ipse.

SPHONDYLIVM.

SPhondylij planta in montibus vt plurimũ reperiri solet, folijs Platani aut Panacis, caule fœniculi; in cuius cacumine vmbella est floribus albis referta, è quibus semen prodit Seseli non absimile, vulgo (vt suspicor) Tuero vocatur. Huius semine pro medicamentis deficiente, radix succedit Galeno teste libro 8. de sim Tuero.

plicium medicamentorum facultatibus dicente: Et radix nimirum ad-
„ similis facultatis ad eadem accomo-
„ datur. Mathiolus in suis doctissimis super Dioscoridem commentarijs cap. de Sphondylio, eiusdem semen, & seseli inuicem substitui, alterúq; alterius effectus præstare, ex quorundam sentẽtia, existimauit, quod sane Galeni scriptis non aduersatur: nam Galenus libro 8. Simpliciũ
„ de Seseli sic ait: Seseli & radix qui-
„ dem & fructus vsque adeò excalfa-
„ cit, vt admodum vrinam mouere
„ queat, sed & tenuium est partium,
„ vt comitiali morbo & ortophnicis
„ competat. Eodem etiam octauo libro de Sphondylio sic scribit, Sphõ-
„ dylij fructus acris & secantis est fa-
„ cultatis, itaq; ad astma & comitia-
„ lem morbum, aptum est medica-
„ mentum.

Pro Sphondylii Radix eiusdem.
semine, Seseli.

T

THAPSIA.

THapsia, à Thapso insula in qua primùm inuenta est, nomen accepit. Rarissimus est eius vsus hoc tẽpore in medicamentis, quamuis Nicolaus ipsam adhibuerit, ijs compositionibus quę Vomitus appellat: quoniam Theophrasto autore, Thapsiæ radix vomitoria est, & si quis continuerit, tam superius, quàm inferius purgat. Verùm, vt inquit Galenus libro 1. de compositione medicamentorum secundum locos, qui Thapsia vtitur, sciat maximam esse differentiam recentis ad vetustiorẽ. Vis enim huius pharmaci post annũ multũ

Thapsiæ duratio.

multum exoluitur, atque amplius adhuc post duos annos: ausimq́; ferè dicere eam penitus inutilem esse ad trienium progressa. Idem Galenus eodemq; libro cap. 1. Thapsiæ penuria, nasturtium, aut erucę semen his verbis supponit: Quod si Thapsia
„ non adsit, pro ipsa tãtum pondus se-
„ minis nasturtij, aut erucæ addes, aut
„ ipsum adeò nasturtium.

Pro Thapsia, Nasturtium, Erucę semen.

TERRA LEMNIA.

Terra sigillata. Lemnia terra, officinis terra sigillata dicitur: quo nomine recipitur à Mesuęo in trochiscis de Alchechengi & de terra sigillata. Ingreditur etiam Athanasiam Nicolai sub Lenias. nomine Lenias: quam vocem falsò Pla-

Platearius Auripigmentum interpretatur. & Fuchsius libro 2. de compositione medicamentorum, Helenium legendum esse perperam suadet: Nam Lipnia Græcis, terram Lẽniam significat. Hanc adulterant, vt nemo veram à fucata falsaq́; dignoscere possit, Galeno autore libro 1. de Antidotis, vbi se in Lemnium nauigasse iactat, non ob aliud, quàm eiusmodi terram videndi causa. Sanè vbi Lemnia terra in medicamentis sit opus, Armeniumbolum vulgarem quod prestantissimum sit, accipiendum, nam vel legitima est terra Lemnia, aut in illius vicem, nihil melius inijci potest, vt conferentes vtriusque historias, liquidò inuenient. Limnia.

Pro Terra Lemnia, Bolus Armenus vulgaris.

THVS

SVCCEDANEA THVS MASCVLVM.

LAchryma est Thus, ex cortice Arabicę arboris emanans, quæ Græcis Libanos dicitur, officinis Olibanum: vnde Diaolibanum composuit Nicolaus Alexandrinus. Ex tribus verò thuris generibus quæ à Dioscoride describũtur, primatum tenet masculum suapte natura rotũdum: tale enim vocatur (autore Plinio libro 12. cap. 14.) quod rotundi-
" tate guttę pependit, cum aliàs non
" fere mas vocetur, vbi non sit fœmi-
" na. Tale etiam thus non sectum dicitur à Galeno passim, vt notat Cornarius libro 10. de compositione medicamentorum secũdum locos. Thuris loco, thuris cortex succedit, & mãna thuris, teste Dioscoride proprijs
" capitibus cum inquit, Et vis eadem
" quę thuri, sed validior astringen-
" tiorq́; Deinde ait, Manna thuris probatur

Libanos. Olibanum.

batur candore, micarum frequentia "
& puritate, vim habet eandem quã "
& thus, sed inualidiuſculam. At thu "
ris mannam proprie appellat Gale- "
nus, libro 4. cap. 4. de compoſitione Mãna
pharmacorum ſecundum locos, id thuris.
quod excuſſum aut comminutũ eſt
à thure, circa magna onera confra-
cto. Ceterùm ad ſuffitus, Agallocum
ſupponit Dioſcorides, cum capite de
Agalloco ait: Pro Thure ad ſuffimẽ "
ta ſubſtituitur. "

Pro Thure,	Manna thuris.
	Cortex thuris.
	Agallocum ad ſuffitus.

TEREBINTHINA.

THerebinthina ex Therebintho arbore procedẽs, reſinas omnes antecedit, vt docet Galenus libro 3. de

de compositione medicamentorum secundum genera, tanquam medicamẽtum in multiplices vsus accomodatum, Huic proxima est létiscina, Dioscoride autore, quæ mastix officinis dicitur: quare illa deficiente, in Theriaca substitui poterit, & in alijs introsumendis medicamentis (præsertim Chia, vt inquit Galenus lib. 7. Methodi, & alibi passim: quamuis Ægyptiam ac recentem obidq; pinguissimã laudet lib. 2. ad Glauconẽ)

Mastix.

At libro 3, de compositione medicamentorum secundum genera cap. 4. de medicamento ex euphorbio, colophoniã substituit Galenus his verbis,
" Adiũgi aliquãdo Therebinthinã ve
" rã. sin minus paratissimã vbiq;, quã
" frictã & Colophoniam appellant. Id
" quod maximè obseruãdum erit, pro
" illius medicamẽti cõpositione. Similiter lib. 1. eiusdẽ voluminis cap. 15. de albis emplastris, Laricinã resinã

substituit. Et li. 6. de Methodo medẽ
di ait, Quinetiã in penuria Terebin „
thinę, tum humidã pineã tum etiam „
frixã cõmode admisceas. Vnde con
stat Terebinthinã vulgarẽ, quę vera
è pinu resina est, in medicamẽtis ex
terius saltẽ admouẽdis, posse cõgruè
vsurpari. Auicen. 2. canone cap. 318.
gũmi Garyophyllorũ, simili cũ Te-
rebinthina resina facultate præditũ
esse, docet. De qua re latius scripsi-
mus in nostra historia simplicium,
quæ apud Indos oriuntur.

Pro Therebinthina, Lẽtiscina resina. Laricina.

THYMVS CRETICVS.

THymus Arabicè hasce vocatur vel alhasce, sub quo nomine reci- Hasce
pitur à Mesuæo in Diacalamẽto de-
scriptione Galeni. Vnius tantũ spe-
ciei meminisse visus est Dioscorides:
verũ

verùm cum ipse in Epithymi histo-
ria, florē esse è Thymo duriore scri-
psserit, proculdubio ostēdit, se perin
de ac Theophrastum, libro 6. de hi-
storia plantarum cap. 2. duo Thymi
genera obseruasse, vnum tenerius,
capitulis purpureis refertum, alte-
rum verò lignosius ac durius, cuius
meminit Dioscorides. Primum vidi
mus olim non procul ab Hispali ci-
uitate iuxta oppidū Alcala de Gua-
daira, cùm Franciscus Ferdinandus
medicus doctissimus, nec solum in
simplicium historia, sed omnium
rerum naturalium solertissimus in-
dagator, ac regis Philippi 2. apud In
dos Archiatrus, & nos illuc conueni
mus, herbarum inueniendarum cau
sa anno 1555. Quāuis annis exactis
in nostris viridaris seri ceperit. Al-
ro autem durioriq; Thymo, flore al
bo, passim fere scatet Toleti ager,
vbi Tomillo salsero vulgò dicitur

Tomillo salsero.

Thy-

Thymum Atticum Creticumve; aut ,,
ex editis locis & siccis Galenus re- ,,
quirit libro 4. de sanitate tuenda, in
Diatrion pipereon. Thymi inopia, ,,
Thymbram seu Satureiam suppo- ,,
nit Dioscorides lib. 3. dicens, Satu- ,,
reia eadem præstat quæ Thymus, si ,,
modo consimili sumptitetur. Paulus
lib. 7. cap. de particularium simpli-
cium medicamẽtorum facultatibus,
Thymbra (inquit) syluestris, eadem ,,
quę Thymum præstat, hortensis au ,,
tem imbecillior est, sed ad ciborum ,,
vsum gratior & accommodatior. Si ,,
militer sensit Macer poeta cum ce- ,,
cinit.

Si desit Thymus, pro Thymo ponere Thymbram

Præcipiũt medici. nam vis est æqua duobus.

Galenus vero libro 6. de Simplicium
facultatibus, Epithymum substituit

" sic dicens, Epithymum, Thymi fa-
" cultatem habet, ad omnia efficatius.
Auicēna origanum ponit 2. canone
" cap. proprio dicēs, Origanum est in
" potētia sicut Hasce; & Syrupus eius
" sicut Syrupus alhasce.

Pro Thymo, Thymbra.
Epithymum.
Origanum.

TRIBVLVS MARINVS.

INseruit Nicolaus vnguento Agrippę, Tribulum marinum siue aquaticum dictum, quòd non solum in dulcibus aquis, sed in mari quoq; proueniat. Huius itaq; defectũ, terrestris tribulus implet, qui passim æstiuo tempore, & in principio Autũni, folijs ciceris, humiq́ue sparsum in campestribus prouenit. Vterq; enim

tribulus ex Dioſcoridis ſententia, eandem qualitatem obtinet. Galenus pariter libro 7. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, vtrunq; conſtare ſcribit, ex humida eſſentia modicè frigida, & ſicca frigida: quamuis in terreſtri ſuperat terreum frigidum, in aquatico verò aqueum.

Pro Tribulo marino,	Tribulus terreſtris.

THLASPI.

Semen Thlapſis vſui medico inſeruit, vt Galenus libro 1. de Antidotis teſtatur, quum Theriacā inſtituit. Decepti ſunt tamen qui putant Thlaſpi & Burſam paſtoris, vnam & eandem eſſe plantam, cuius oppoſitum dilucide apparet, foliorum habitu, guſtato ſemine, & tēperamenti

Burſa paſtoris.

contrarietate. Ceterùm legitimum reperiri in Hispania, certum est, siquidem eo maxime abundant Secobienses montes & agri. Rembertus Dodoneus libro de historia plantarum coronariarum, meminit cuiusdam violę latifoliæ bulbonac, quam Thlaspi Crateuę suspicatur esse, & in viridarijs Madriti, vidimus hoc anno: cuius semē calidum & siccum ac gustu acre, Thlaspios semini sapore & viribus simile dicit. Veri Thlaspis defectū, supplere potest nasturtiū agreste aut sinapi, quoniā acres facultates obtinent, omnium recentiorum consensu.

Bulbo nac.

Pro Thlaspi, Sinapi.
Nasturtium.

TORMENTILLA.

NOn desunt qui Tormentillam vulgarē, Bistortę generi adscribant

bant, quòd non facie, sed fortassè viribus illi respondeat. Tormentilla autem, Heptaphyllō Græcè dicitur, Septifolium Latinè, sumptis à foliorum numero appellationibus. Quinquefolio simillima est, nisi quod septem non quinq; habet folia, vtrinq; lanuginosa, exigua, parua, serrata, caulem certis ferè interstitijs ambientia, flores luteos, radicem puniceā admodice intortam. Ex qua descriptione constat differre Tormentillam à Quinquefolio: hoc enim radicem non intortam sed rectā & oblongam habet. Plinius etiam lib. 25. cap. 9. herbam Quinquefolium incipere & desinere cū vite scribit, Tormentilla autem non maturè prouenit, sed cum vites iam florent. Apuleius etiam vtramq; herbam seorsim describit. Accedit etiam quod Tormentilla in mōtosis incultisq;, Quinquefolium verò in pratis, cultis & in

Heptaphylon. Septifoliū.

aquosis locis potius prouenit. Tantum Tormétillæ inualuit vsus (prçter alias quæ illi tribuunt recentiores facultates) vt ex eius radicibus etiam medicamenta componant aduersus pestilentiam, & febres malignas: occasione cuius ingreditur Diascordium confectionem in nostris Myropolijs hoc tempore seruatam. Sed cum easdem quas Quinque folium facultates habeat, idemq; téperamentum obtineat, ambo inuicé supponi poterunt.

Pro Tormētilla, Quinque foliū.

TVSSILAGO.

Farfara. Vngula caballina.

TVssilago, quç vulgo dicitur Farfara y vña de asno, & officinis Vngula caballina, notissima est rei herbariç indagatoribus, quāuis non vbiq; frequens. Solet autem pro medica-

dicamentis ad tussim destinatis quæ
ritari, vt apparet in vulgari nostra-
rum officinarum eiusdem nominis
syrupo. Pro aridis folijs, radicē sup-
ponit Dioscorides cap. proprio sic
dicens, Arida folia suffita: ita vt fu- ,,
mus per infundibulum hianti ore ,,
rapiatur, hos sanant, qui sicca tussi, ,,
atq; ortophnæa infestantur, pecto- ,,
ris vomicas rumpunt. Eundem effe- ,,
ctum præbet suffita radix. Hinc cō- ,,
stat mendum subesse hoc loco in
Dioscoride cum dixit, Radix tenuis
est & superuacua. Quomodo enim
radicem Tussilaginis inutilem voca
re potuisset, si paulò post ei nonnul-
los vsus tribuit? Verbum igitur il-
lud, vt adscititiū delēdum esse puto
cum solertissimo Matthiolo, Oriba
sij testimonio nixo, in cuius codice ,,
manuscripto illa dictio non legitur. ,,
In defectu tamen totius plantæ suc-
cedit Buphtalmos appellata herba,

Locus Dioscoridis exponitur.

Buphtalmos.

Oculus bouis. Paxitos.

stæ oculus bouis, nostris verò Paxiros. Cuius sententiæ autor est Galenus commentario 4. in librum Hippocratis de Articulis. Nam cùm Hippocrates diceret, Vlcus verò curare oportet aut cruentis emplastris quæ madefiunt, aut Buphtalmi folijs; ita tum inquit Galenus, Multi oculi autem herbæ, quæ etiam Buphthalmos, hoc est bouis oculus nuncupatur, folio hic vtendum censet, sicut prius Tussilaginis, cùm eandem vim quã illa habeat.

Pro folijs Tussilaginis, Radix eiusdẽ.

Pro Tussilagine, Buphthalmos.

THYMELEA.

AVicenna in canone, & Serapio libro simplicium suorum (quos vt præceptores sequitur Mesuæus) cha-

Chameleâ cum Thymelęa turpiter confuderant, Mezereon vtrâq; plantam appellantes: vnde pilulæ ex Mezereon apud Mesuæum dimanarũt. Verè tamen Mezereon, non chamelea est, sed potius Thymelęa, Hispanis Toruisco dicta; ex qua granum siue cocognidium colligitur, vt Theophrastus lib. 9. de historia plãtarum & Dioscorides scripserunt. Ætius libro 16. cap. 79. de veteri hydrope, Chamæleam pro Thymelęa substituit sic scribens, Fomentis vtemur ex aromatibus quæ menses eliciunt & pessis sanguinem trahentibus, ex quorũ numero hic est, cneori, quod est Granicnidij radix, aut illo non presente, chamæleę. Sunt nõ nulli existimantes, chameleam esse vulgarem Seruenciam, quorum opinionem non omnino reprobandam censeo.

Mezereon quid sit.

Toruisco.

Coco gnidiũ.

Seruẽcia.

SVCCEDANEA
Pro Thymælea, Chamælea.

TAMARINDVS.

EST quoddam palmarum genus quod officinæ Mauritanos secutæ Tamarindos vocant, Græci verò à saporis acrimonia seu verius acetositate, Oxyphænica. Ex ijs qui ad nos importantur, nulli aut pauci admodum integri reperiuntur, nam plerunq; contriti & in massam quandam compacti deferuntur. Quamuis hoc anno misit ad me siliquam Tamarindorum recentem ex Indica regione nuperrimè allatā, Raphael Arigonius, pharmacopola regius. Præstant qui in obscuro rubescunt, molles, recentesque, & qui neruosis quibusdam villis farcti inueniuntur. Adulterantur prunis, sed deprehenditur fraus, tum colore, tum etiam gustu: quippe nec

Oxy-pheni-ca.

ad-

admodum ſunt acidi, nec tam ſaturato colore nigricant. In defectu Tamarindorum, pruna Damaſcena ſubſtitui poterunt, ſi conferantur vtriuſque apud Meſuæum facultates: quare nec de his amplius.

Pro Tamarindis,	Pruna Damaſcena.

TITHYMALVS.

Tithymalorũ omne genus, Eſulam indifferenter appellant officinæ, quamuis Meſuæus & Auicenna Scebram & Alſebram nominibus quaſdam illorũ ſpecies velint ſignificare. Quantum autem coniectari licet, putarem equidem nil aliud Arabibus eſſe Alſebram minus, quàm Eſulam minorem officinarum quòd (vt inquit Auicenna) in hortis Eſula. Scebram. Alſebram. Eſula minor

&

& vbique proueniat. Hæc autem eſt Tithymalus Cypariſsias. Cenſerem ſimiliter Alſebram maius, eam eſſe plãtam quæ Grecis dicitur pityuſa, vtpote quę Tithymalo Cypariſsię folijs ſit ſimilis: nam Serapio de Scebram agens, ea omnia ex Dioſcoride illi tribuit, quæ pityuſę Dioſcorides aſsignauit. Tithymali omnis generis vires commemorauit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, vbi ait, validiſsimum eſſe liquorum, ſecundum locum tenere ſemẽ & folia, radicem vero earum facultatum (quamuis non ex æquo) eſſe participem. Cæterùm idem Galenus, atq; eodem libro, Pityuſam priuatim pro Tithymalo ſupponit his verbis. Pityuſa, & hanc quidem ſpeciem putãt eſſe Tithymali, quòd ſuccum habeat vt illæ, quodq; ſimiliter illis purget, cęteraq; omnia viribus illis eſt adſimilis.

Pityuſa.

Pro

Pro Tithymalo, Pityusa.

TILIA.

Tiliæ nõ alibi meminisse Dioscoridem legimus quàm in præfatione, vbi flores, & omnia quę iucũdum odorem efflant, arculis tiliaceis reponi iussit. Neque enim est Phillyrea ab eo descripta libro 1. vt quidam credidere falsi nominis similitudine. Quandoquidẽ tilia, Grę cis Phillyra, nõ autem Phillyrea dicitur. Theophrastus libro 3. cap. 10. de plantarum historia, Tiliá in marem & fæminam diuisit, quarum effigies doctissimus Matthiolus depinxit, in suis locupletissimis in Dioscoridem commentarijs. Pro Tilia, vlmus succedit, nam Plinius fere omnes facultates vlmi, etiam Tiliæ adscribit, vt ex eiusdem verbis patet.

Phillyrea. Plinio Phillyra.

Pro

V

VNICORNV.

SOlét noſtri temporis medici Vnicornu (quod Monocerotem vel Monocerinum vocant) contra venena & malignas febres in vſum recipere: quamuis ex veteribus autoribus nemo extet qui huius facultatis meminerit. Ælianus libro 16. cap. 20. Monocerotem ait in intimis regionibus Indiæ reperiri quem Cartazonō vocant Indi, eumq́; magnitudine, ad confirmatę ætatis equum accedere, inter ſupercilia cornu vno, eodemq́; nigro, non lęui quidem, ſed verſuras quaſdam naturales habente, atque in acutiſsimū mucronem deſinēte. hactenus Ælianus. Meminit idem autor lib. 4. cap. 51.

Monocerotes.

aiui

asini Indi in fronte cornu gerentis, cuius potu ab insanabilibus morbis eripiantur homines, neq; eos conuulsionibus corripi, neq; sacro morbo tẽtari, neq; venenis vllis. Differt autem hoc ab alio cornu, eodẽ Æliano autore, ex eo quod asini Indici cornu superius, puniceũ existit, inferius albũ, medium verò nigrescit. Ex dictis iam incidit nobis suspicio Monocerotis cornu, pro asini Indici cornu vsur passe recentiores aduersus venena, perperámq; alterũ cum altero confudisse. Deligi solẽt hæc cornua, sũpta experiẽtia in duabus columbis, cum vtriq; venenũ propinatur. Sed quoniam, non est ad manum asini Indici cornu, suppositit iúmque est quod plerumq; à mercatoribus pro Monocerino vendi solet (etiam si admitteremus illam sibi à natura insitam facultatem) vtendum est rasura cornu ceruini, id quod nobiscum

Asinus Indus.

bifcum

biscum sensit Simon Riquinus libello de febre sudatoria, quæ Germaniæ quondam multos inuasit.

Pro Vnicornu,	Asini Indici cornu si ad manũ sit.
	Cornu ceruinum.

VINVM FALERNVM.

GAlenus libro 1. de Antidotis vinum Falernum elegit pro Theriacæ preparatione. Quo similiter vsus est in alijs medicamentis, vt cõstat libro 7. de compositione medicamentorum secundum locos, & libro 2. de compositione per genera cap. 10. quibus in locis Falerni inopia, vinum gilaũ aut ruffum vetus tenuis substantiæ & odoratissimum supposuit, illud præsertim quod à sancto Martino accepit nomẽ, quale in Hispania reperitur. Cæterũ quale

qua sit in illis vile alba tenuissimis & superuacanis radicibus qualitas aut facultas, qui veri Xylobalsami defectum supplere possit. At Agallocum siue Lignumaloes (quod Matthiolus & Bernardus Dessenius substituunt) cum Balsami ligno in nullo fere conuenit, nisi forte in eo quòd ambo sint ligna. Quapropter hac re diligentius animaduersa, visum est vt Elenij radices pro Xylobalsamo subijciantur. Ea enim de illis retulit Dioscorides, quæ paulò antea de Xylobalsamo recensuerat; cruditatibus enim, torminosis & vulsis, Balsami lignum conferre dixerat, Elenium vero inflationibus, conuulsis & ruptis prodesse fatetur. Adhæc Xylobalsamũ venenatis ictibus mederi & vrinam ciere, quod itidẽ de Elenio scribit dicens, Decoctũ meses & vrinam ciere, & serpentium morsibus prodesse. Tussi insuper &

orto plurę ex mederi docuit Elenium, quod de Carpobalsamo (cuius vires lignum habere cōsentit) aperte mōstrauerat.

Pro Xylobalsamo, Elenij radix.

Z

ZEDOARIA.

Zedoaria in Diamoscho dulci Mesuei, radix est ab Arabibus inuēta, cuius Gręci adhuc recētiores meminerunt. Eius duo sunt genera vt Aristolochiæ, rotundum alterum, aliud verò longum: ambo & eiusdem saporis, coloris & odoris, nihilq; nisi forma differentia, & Zingiber in dictis qualitatibus ęmulantia. Vnde infertur, legitimam eamq; longam nos habere Zedoariam. Auicēna. 2. canone cap. 745. aristolochiam pro Zedoaria supposuit. Cæterū vtcūq; sit

sit, quũ constet quàmplurimis experimentis, nostri vsus Zedoariã multum valere ad venena, venenatosq; ictus, & aduersus pestem, nihil est quod legitimæ loco rectius substitui possit.

Pro Zedoaria, Zedoaria vulgaris.


ZVRVMBET.

MEsuæus in electuario de Gemmis, Zedoariã & Zurũbet posuit. Quę vox multis ingessit dubitãdi ansam. Nam Serapio ex Isaac, proceram arborem in Oriente esse inquit. Auicennas herbam esse definit. Verè nil aliud esse creditur Arabũ Zurumbet, quàm Græcorum Arnabo, quod palam ex Paulo libro 7. cap. 3. & ex Serapione elicitur, capite 271. si vtriusq; scripta conferantur. Arnabo.

tur. Nostro tamen tempore desideratur Zurumbet, ideo ex Serapione cap. proprio, Casia lignea substituetur, aut Cubebę: aut ex Mesarugiæ sententia, nux moschata. Iacobus Syluius super Electuarium de Gemmis
„ Mesuæi, Si Zurumbet, inquit, desi-
„ deretur, duplum est miscendum Ze-
„ doarię, quæ illi similis est in facul-
„ tate.

Pro Zurumbet, Zedoaria.
Casia lignea.
Cubebę.
Nux moschata.

Finis primę partis.



EIVSDEM IOANNIS FRAGOSI

animaduersiones in nõnulla medicamenta composita, quorum est vsus in Hispanicis officinis.

SVMMA TRACTA-tuum huius voluminis.

CANDIDO
ET VERITATIS
studioso Lectori, Ioannes Fragosus.

DVO sunt inter alia (Lector benigne) sanguineis, vt aiunt, lachrymis deploranda. Primũ quidem, atque id perniciosius, quod plerique rem maximè seriã tractantes, vtpote aut de seruãda hominum vita, aut de propellẽdis morbis, in paucis admodũ conueniant, sed pugnantia dissimiliaque inter se passim efferant. Adeo vt credi vix possit quantum officinæ medicæ dissideant in componendis medicamentis, non citra maximum humanæ salutis discrimen. Secundum verò, quod multi, ne dicam ferè omnes ex recentioribus au-

toribus qui Antidotaria componunt, in historia simplicium, omnem operã consumpserint, neglectis ijs quæ circa modum & vsum componendi medicamẽta maxime sunt necessaria. Quid autem in vnius defectu substitui possit, quẽ autorem insequi oporteat, cum alijs innumeris quæ circa manufacturam (vt aiunt) occurrere solẽt, nemo est qui exactè dilucidauerit. Hinc ortæ sunt cõtrouersiæ & cõtentiones inter pharmacopolas, tãtaq; vnicuiq; illorũ in arte varietas, aut verius libertas, ut liceat pro arbitrio res omnes tractare. Quod vt exẽplis clarius euadat, in Philonio Persico piper inijciendum esse multi cõtendunt, plerique papauer, Oleum violaceum, hi cum oleo omphacino, alij cum cõmuni parandũ, cõfectionẽ Alchermes, per drach. ij. la-

pidis cyanei, alij per duodecim cõponi debere. Quamobrem (in nostrorũ præsertim pharmacopolarum gratiã ac proximorum incolumitatem) hanc de recte parandis medicamentis compositis prouinciam suscepimus, quasdamq; animaduersiones exarauimus, vbi quid quãtumq; à nobis præstitum sit, iudicabunt hi quibus est cum doctrina coniuncta synceritas. Sæpe autem vsi sumus diligentia & peritia quorundam huius artis peritissimorum pharmacopolarum, ne forte aliqua ex parte mãcam doctrinam traderemus. Curauimus igitur ferè omnes controuersias dirimere, demptis ijs, quæ attinent ad succedanea, ea enim plenius absoluimus in nostra posteriori editione, vbi quamplurima summo labore reformauimus, integraq; capita multa

multa addidimus. Noluimus autem Ioannis Mesuæi & Nicolai Præpositi (aut quicunque tandem sit autor ille) descriptiones huic operi affigere superuacaneum censentes (nisi quando veriores & incorruptiores refferre ex Græcis consultius visum fuerit) præcipuè quòd illi autores (quos hactenus ceu duces in conficiendis medicaminibus optimos sibi imitandos, officinæ nostræ proposuerunt) familiares sibi admodum sint. Verùm alia Antidota quæ aut Magistralia vulgus vocat, vel quæ ab aliis autoribus, Neotericis non raro desumuntur, in serere operepretium existimauimus, sic vt vnum proponatur omnibus veluti exemplar, cuius normam in concinnandis medicaminibus sequantur, relictis vulgaribus Dispensatorijs, in

multis

multis corruptißimis. Hæc habui lector humanißime quæ de mei instituti ratione dicere proposueram, reliquum est, vt hic labor in tuum vsum & commodum vertatur.

Vale.

DE ELECTVARIIS

Pręfatio.

Electuaria vnde dicantur.

ELectuaria vulgo dici videntur, vel quòd ex electis aromatis conſtent, vel quòd multi vſus eſſent tam in bona valetudine adſeruanda, quàm in mala ſubmouēda, & prę cęteris medicamētis eligerētur, vt propterea à Cęlio Aureliano & poſterioribus medicis Electaria ſiue Electuaria ſint vocata. Vidētur autē Antidota quoque vocari poſſe, tam late enim patet apud Galenum Antidoti nomē, vt ſit omnibus facultatibus, ijs medicaminibus cōmune, quę nō extra corpus admota, ſed intra corpus accepta malos affectus ſanant, qui vel ex venenis ebibitis

Antidotū quid vocatur.

vel

vel ferarũ morsibus, vel malo vi-
ctu cõtingunt Electuariorũ por-
ro multę fuerunt differẽtię, quę-
dam enim dura, quędam mollia;
nequaquã tamẽ liquida existũt:
nos verò in Electuaria opium re-
cipientia, diuidemus, in Electua-
ria gustui grata & iucunda, & in
Electuaria purgãtia, amara & in-
grata. Conficiuntur ex varijs &
multis medicamentis (saccharo
aut melle additis) quorum dele-
ctus & pręparatio ex dictis in prę-
cedẽti libro, & ex regulis inferius
tradẽdis, diligenter fiet. Saccha-
rum autem aut mel eousque co-
quũtur, donec pulueribus insper-
sis, iustã habeant consistentiam,
& possint deuorari aut dissolui,
prout vsus postulabit. Ea tamen
lege,

Electuariorũ differẽtię.

Electuaria ex quibus fiunt.

Saccharũ aut mel pro Electuarijs quan diu coquẽdã

lege vt saccharũ aut mel tantùm coquatur, vt repositũ, situm nõ contrahat, id quod fiet, quando ad syrupi decoctionem proximè accessit. Sed quia aromatũ quãtitas immiscenda, aliquãdo in Electuario nõ exprimitur, & simpliciter additur, mellis aut sacchari quãtum satis est, tunc vnciæ tres aromatum in singulas sacchari aut mellis libras sumuntur, & in Electuarijs gustu iucũdis vnciæ duæ. Plerũque etiam vnciã vnã ad librã sacchari sufficienter coctã accipiũt medici. Alij plus vt efficaciores, sunt qui minus vt delicatiores confectiones reddãtur, adiungunt. Aromata autem (quę vulgo pulueres specierum vocantur) paulatim permiscẽda sunt

Aromatũ quantitas cũ melle aut saccharo.

Aromata quali- ter mi-

sunt saccharo aut melli cocto & despumato & igni exempto, ne substãtię tenuitas, calore dissipe tur: assidueque versantur donec perfectè mista sint. Hic oporteret generalem quendam de trituratione & cribatione aromatum sermonem adscribere, nisi hanc doctrinam, locupletissimè ac doctissimè Iacobus Syluius peculiari volumine ostendisset, à quo huius rei studiosi petent. Reponuntur Electuaria vasis figulinis vitro incrustatis, suisq; operculis tectis, vt ab iniuria incidẽtium muniantur. Electuaria palato grata durant annum, amara & ingrata biennium, purgantia vt plurimum in vigore per annum cõsistunt, Opiata in decẽ-

scenda melli aut sac charo.

Aromatũ trituratio nẽ qs antea diligẽtius absoluerit.

Electuariorũ repositio.

Electuariorũ duratio.

nium, neq; exhiberi debēt ante semestre, nisi medicus aliud prę-scribat. Ex ijs omnibus à Theriaca exordiemur, est enim Antidotum antiquissimum, multisq́; nominibus & ab autoribus maximè celebratum. Est verò potēs medicamentum ad triginta annos, vt inquit Galenus libro de Theriaca ad Pisoné, cap.23.quã-uis ad Pamphilianum cap.4.dixerit, Durat recēs ad annum vsque trigesimum sextum. Cęterũ quod nostro tēpore minime possit parari Theriaca ex ijs simplicibus, ea fidelitate ac ratione, quibus à Galeno & antiquis parabatur, hinc primùm constare arbitror, quòd multis careamus medicamentis ad eandem compositionem

Theriacæ duratio.

An Theriaca posśit nũc integre & ex Gale-

tionem necessarijs, quę hac ętate penitus ignota sunt: quorũ etiã vel vnus defectus (si Galeno credimus libro ad Pãphilianũ c. 16) potest totã cõpositionem corrũpere. Et quãquam in horũ penuria, succedaneis vti possimus, nõ ob id existimare oportet, his assumptis optimam posse Theriacam confici. Siquidem hęc quãuis in manifestis qualitatibus cũ veris nobisq; desideratis conuenire videantur, non tamẽ (quod plurimùm refert) in latentibus quibus nulla ferè caret plãta, ita facile correspõdent. Dixit etiam Galenus cap. 12. libri. 1. de Antidotis, ad Theriacam omnia medicamẽta prestãtissima esse oportet, ad minores verò compositiones,

ni doctrina parari.

Plãtæ nõ carẽt q̃litatib9 occultis.

 nes,

„ nes, vt Phyllonium, medicamen ta non requiruntur omnino bona. Pręter id etiã quod ipsius Galeni tẽpore, vt libro nuperrimè citato exarauit, quamuis plures essent Romę homines non parũ diuites, qui sibi Antidotum hãc parari curabant, non eam tamẽ admodum efficacem consequebantur, ob quorundam medicamentorũ defectum, quę non nisi apud imperatores ipsos extabãt. Si igitur in illo ęuo, minori tum labore, tum dispendio, simplicia ex quibus cõstat Theriaca haberi poterant, nunc autem plerisq; destituamur, non est quòd syncerè & absolutè cõponatur. Nihilominus tamẽ totis viribus conẽtur Myropolę, vt quã proximè

Medicamẽta Theriacæ, & aliarũ cõpositionũ in quo differant.

accedãt,

accedant, & parùm distent a re. Neque enim ijs volumus assenti ri, qui contendunt Theriacã nõ esse parandam, maior enim pars medicamentorum eam cõponentium nobis suppetit. Atque ea de causa scimus antehac a quam plurimis, & Toleti, & Valentię, & Mãtuę Carpetanorum, alijsq; Hispanię locis esse constructam parariq; quotidie summis approbãtibus medicis. Quę autem deficere possunt paucissima sunt iam, pro quibus supposititia docuimus. At siquis tam pertinax esset, qui Theriacę pręparationẽ ob causas superius recitatas impediret, is sanè (vt inquit Matthiolus epistolarum lib. 5.) exercitus pręfecto esset comparãdus,

PRÆFATIO.

qui ſuos milites loricas ferreas induere prohiberet, quòd bombardis non reſiſtant, ac ſi lanceis, gladijs, ac ſagittis non eſſet obſtādum.

THERIACA ANDROMACHI Senioris.

R Pastillorum scilliticorum, drachmas xlviij.

Pastillorũ Theriacaliũ. Spissamenti Hedycroi. Piperie lõgi. Opij, singulorum drachmas, xxiiij.

Iridis illiricæ. Rosarũ siccarũ. Succi radicis dulcis. Seminis napi dulcis, id est domestici Scordij. Opobalsami. Cinnamomi. Agarici, singulorũ drach. xij.

Myrrhæ. Costi. Croci corycei. Casiæ. Nardi Indicæ. Schæni. Piperis nigri. Piperis albi. Thuris. Dictamni. Rhei pontici. Sthæchadis. Marrubij virentis. Petroselini. Calaminthæ. Terebinthinæ. Quinquefolij. Zingiberis, singulorum drachmas, vj.

Polij. Chamæpytis. Nardi celticæ. Amomi. Styracis. Mei. Chamædrys. Phu Pōtici. Terræ lēniæ. Folij. Chalcitis assæ. Gētianæ. Gūmi. Hypocistidis succi. Carpobalsami. Seseli. Anisi. Cardamomi. Fæniculi. Acaciæ. Thlaspi seminis. Hyperici. Ammi. Sagapeni, singulorum drachmas iiij.

Castorei. Aristolochiæ radicis. Bituminis sicci. Seminis dauci. Opopanacis. Centaurei. Galbani, singul. drach. ij. Vini antiqui quantū sufficit ad dissoluendū humida, Mellis Attici. drachmas. 960. id est lib. x.

Pastillorum ex viperis descriptio.

R *Carniū viperarū mūdatarū quātū volueris, Panis purissimi aridi cōtusi & cribrati, quartā partē aut quintā. Simul cōtūde & pastillos forma,*

ma, opobalsamo in eis confingendis adhibito.

Magmatis seu Spissamenti Hedycroi cõpositio.

R. *Aspalathi. Asari. Mari. Amaraci, singulorum drachmas ij. Calami odorati. Iunci odorati. Costi. Phu Põtici. Cinnamomi. Opobalsami. Xylobalsami, singulorũ drach. iij. Folij. Nardi Indicæ. Casiæ. Myrrhæ. Croci, singulorum drach. vj. Amomi drach. xij. Mastiches drac. j. Vino Falerno excipiãtur, & mixta rotulas figurabis vipereis & scilliticis similes, ipsasq́ eodem modo exiccabis.*

FRAGOSVS.

SEnioris Andromachi descriptionem eligit Galenus libro. 1. de Antidotis cap. 16. vbi illum laudauit quòd Theriacam carminibus cõpo- | Quæ Theriaca parari debet

 suerit,

fuerit, quum sic ab improbis peruerti medicamentum non posſit. Accedit quod iunioris Andromachi & Democratis Theriacæ, ad illius potius explanationem ſcriptæ videantur, vt conſtat ex eiuſdẽ Galeni verbis cap. 18. lib. 1. de Antidotis.

Sed quáuis ſenioris Andromachi Theriaca & libro de Antidotis. 1. & libro ad Piſonem deſcribatur, nihil refert quamlibet parare. Obijcientibus enim, nõ ſuccum, ſed glycyrrhizam in carmine libri ad Piſonẽ ſcribi, reſpõdendũ, huius fruticis radicũ ſuccũ in primis vtilẽ eſſe, eiuſdẽq; facultatis cum radice, Galeno autore.

Quæ paſtillorũ Scilliticorũ deſcriptio eligẽda

Verũ circa paſtillos ſcilliticos animaduerte, quod tametſi Galen. lib. de Theriaca ad Piſonẽ ca. 19. ęquales ſcillæ aſſæ & farinæ eruinæ portiones admiſceat ad eorũ cõpoſitionẽ, nihilominus tñ iuxta Andromachi doctrinã, in hũc modũ parari debet.

Tres scillæ partes erui compone duabus
Pistilloq; crepet concaua pila diu.

Idquod Galenus confirmat lib. 1. cap. 20. de Antidotis, & Ætius sermone. 1. cap. 88. Tetrabibli. 4.

Scilla messis tempore legatur, tunc enim viget, vt autor est Galenus libro. 1. de Antidotis prope finē: fiatq; assatio eiusdem, vt ipse docuit, cap. 20. sequētibus verbis, Principio Scillam probè coaltá ac plená de terra euelles, cuius folia penitus iá & scapus aruerint, huic deinde cortice detracto duriorem pulticulam induces ex tritico nouo, quantūq; fieri potest exquisito confectam, ipsam postea multo calidoq; cineri subiectá non prius extrahes, quoad vsque circū posita pulticula crusta planè fiat, quod si vbi hæc agis furnus aliquis adsit, vnà cum pane scillam illuc inferrè

Scilla quo tēpore colligēda. Scillæ assatio.

„ ferrè potes, inde cum puls obducta
„ iam exaruit, ipsam extrahes, ac con
„ teres. Satis assam verò scillam intel-
„ liges, si festucam immissam admisse
„ rit. Scilla namq; cum benè tosta est,
surculos facile excipit, &c. Cæterũ
quum ex orobis, alius cãdidus, alius
rufus reperiatur aut pallidus, Gale-
no autore lib. 1. cap. proprio de Ali-
mentorum facultatibus, ex orobo ta
men rufo farinam conficies, eodem
Galeno teste his verbis, Porrò inter
„ orobos albi minus sunt medicamen-
„ tosi, ijs qui ad flauitiem aut palloré
„ accedant. Confirmatur Aetij senté-
« tia, farinam ex orbo rufo in eadem
« compositione miscentis, sermone. 1.
« Tetrabibli. 4. Quod si Dioscorides
« grana alba pro farina delegit, id non
« fecisse credimus aliter quàm exem-
« pli gratia. Cùm verò Galenus lib. 1.
« de Antidotis cap. 20. candidam erui
« farinam admiscendam scillæ docuit

Ex q-b9 orobis cõficienda farinã.

(nam

(namque candida nō est amara supra modum existit) non ex candidis orobis eductam intelligit (cum omnes orobi talē exhibeant) sed quæ ex immaturis cōfecta nō sit, talis enim candida nō est, sed potius viridis, eximiam habens amaritudinem.

Post commixtionem farinæ cum scilla vt trochisci formentur, inūgēdi sunt digiti oleo rosaceo, quemadmodum Aetius testatum reliquit sermone.1.4 Tetrabibli, cap.88. his verbis: Hęc ipsa inquam vnire ac committere oportet, deindeq; paruulos orbiculos formare, rosaceo oleo in his conformandis adhibito. In eandē sententiam deueniunt Auicenna & Serapio. Oleo liquore inūgēde manus p trochiscorū formatione.

Circa pastillorū Theriacaliū siue de Viperis formationē, occurrit animaduersio in ipsarū dignotione. Galen. enim lib.11. simpliciū medicamētorum, fatetur dubitasse quomodo Signa Viperarū.

Viperę

Viperæ ab alijs serpentibus distin-
„ gui possent cum ait, Eos qui in Ro-
„ ma venantur Viperas interrogaui, si
„ quod signum haberēt propter quod
„ viperæ distinguerētur. Sed nō absre
dubitauit Galenus, siquidem Ætio
„ teste sermone. 1. Tetrabibli. 4. cap.
„ 90. similis viperæ maximè est Amo
„ dytes, Hermorr09, Cēchrias & Seps.
Signa autem quibus hęc serpentium
genera dignoscantur, docuit ipse se-
„ quentibus verbis, Hos omnes serpē-
„ tes ex prædictis in eorū tractatibus
„ signis dignoscere oportet, & preci-
„ puè ex colore: flauo enim & subful-
„ no colore Vipera est, alia vero ge-
„ nera, arenosi sunt coloris, aut fusca
„ aut nigricantia. Cauere autem opor
tebit nō solum ab ijs, sed etiam à Vi-
peris maribus eiusdem Ætij consi-
„ lio, quas sic distinguit: Sūt autem Vi
„ peræ animalia quædam subflaua, in-
„ gentia, & agilia, oculos subrubros
ha-

habent,collum anguſtum, & latius ,,
caput, & caudam aceruatim in te- ,,
nuitatem abeuntem, ac carne pe- ,,
nitus nudam. Ventrem autem ſinu- ,,
ſiorem habent, & greſſum cir- ,,
ca caudæ ſummum firmant, cau- ,,
dam ipſam non circunuoluentia, ,,
ſed magis contorquentia, & lentius ,,
inambulantia. His enim ſignis fæ- ,,
mina à mare dignoſcitur. Inſuperq; ,,
quod quatuor habet caninos den- ,,
tes, cum mas tantum duos habeat, ,,
& anguſtius caput, & craſsius collũ ,,
& totum corpus tenuius caudamq; ,,
paulatim in tenuem deſinentem, nõ ,,
aceruatim vt fæmina, nec omnino ,,
carne nudatam. Cęterùm dentium ,,
numerus dignoſcetur ex morſu. Re- Sermone
periuntur enim in eis quos vipera 1. Te-
mas mordit, vt inquit Ætius, vul- trabi.
nera in plaga bina. In his verò qui 4. c. 21.
à fæmina demo[illegible]t, vulnera qua-
tuor.



Viperæ

Tẽp9 venãdi viperas. Viperæ capiãtur vere finiente, nõ tamen ęstate incipiente, nisi ver magna sui ex parte hyemale fuerit. Tũc enim circa principium ęstatis venari conueniet, vt autor est Galenus cap. 19. libri. 1. de Antidotis. Sunt qui autumno capiendas esse velint, propterea quod scriptũ inuenerũt apud Galenum libro de Theriaca ad Pãphilianum cap. vltimo, Viperas vere finiẽte vel autumno comprehendẽdas esse. Et quòd libro de Antidotis 1. cap. 39. similiter dixerit vindemiæ tempore (quod autumni mediũ est) colligẽdas primo apprehendẽdasq; Viperas. Hęc tamen non conuellunt quæ ex propria Andromachi & Galeni mente prius enarrauimus. Nam cùm in Viperis colligendis autumni tempus pręscribit, non quo 1 in ea re facere conueniat ostendit, sed Critonis sententiam exposuit, vt ex sequentibus Galeni verbis fit manifestum:

ftum: Quæ ad componendam confi- „
ciendamq́; Theriacam requireban- „
tur omnia, iam absoluimus. Cũ verò „
Damocrates atq; Crito in quibusdã „
ab hisce discrepẽt, opportunũ mihi, „
quæ ab hisce quoq; autoribus cõscri- „
pta sunt, subijcere visum est. Post- „
quam autem quę de Theriaca Da- „
mocrates scripserat recensuit, sic ait, „
Reliquum adhuc mihi videtur: ad ex „
plédam vniuersam Theriacę doctri „
nam, si quid Crito vel aliter quàm su „
pra diximus sensit, vel omissum ali- „
quid addit, subiungere. „

Viperę statim à venatione in vsum pastillorum recipi debẽt, & non lõgo post tẽpore, vt pleriq; faecre consueuerunt, eas suis domibus asseruantes ad tempus. Curent igitur huius Antidoti confectores, vt in agrũ properent, aut in oppida, circa quæ viperæ degunt, Galeni decreta sequẽtes libro de Theriaca ad Pisonem

Si liceat asseruare viperas postea rũ venationem.

„ cap.34.his verbis, Viperę prædictis
„ similes & eodem tempore captæ nu
„ mero quatuor non biduo plus post
„ venationem asseruatę sumentur: ve-
„ rum si fieri potest eodẽ die quo sunt
captę. Quod rursus capite 9. de The-
riaca ad Pamphilianum retulit di-
„ cens, Pastillos autem Theriacales
„ ita compones, viperas quatuor aut
„ quinque flauas accipe, melius est au-
„ tem paulò ante captas sumere quã
„ diu retentas. Nam quę multo tem-
„ pore retentæ fuerint magis vene-
„ nosæ sunt, coniicere hoc ex ieiu-
„ nis hominibus licet. Eiusdem sen-
tentiæ fuit Ætius sermone. 1. Te-
trabibli. 4. capit. 90. & capit. 97.
eiusdem sermonis. Paulus similiter
& anteipsum Damocrates sensit,
cum reliqua Arabum familia. Nec
sunt audiendi qui asserunt, viperas
ad longum tempus seruari quibus-
dam alimentis nutritas, quoniam si
alan-

alãtur, id nõ aliter fiet quàm insolito cibo, qui (vt autor est Galenus de viperis loquens, libro. 11. simpliciũ cap. 2. & libro de Theriaca ad Pisonem cap. 15.) animalium carnes mutare solet.

An verò viperarum caudæ amputari debeant, in controuersiam verti solet ex eo quod Galenus de eadem re dubitauerit libro vndecimo simplicium. At cum id non fiat ob recrementa, vt ipse Galenus insinuare videtur, sed ob prauum virus quod perinde ac caput in se continent autore Andromacho, proculdubio illas abscindere conueniet. Id quod preter Andromachũ, Galenus ipse libro. 1. de Antidotis, cap. 19. animaduertes, similiter facere precepit his verbis: Viperas autẽ quæ pregnãtes sunt reijcere oportet, aliarũ vero caput ac caudã abscindere: quæ partes venenatę etiã plus esse videtur & An viperarũ caudę desint amputandę.

 aspe-

„ asperæ, paucasq́; carnes cõtinere. Et libro de Theriaca ad Pisonem, capita & caudas demendas esse docuit, idq; non obiter & sine ratione.

Pręscriptio Theriacæ an du plicari possit.

Hic etiam animaduerte, posse augeri vel minui Theriacę Antidoti descriptionem ex Galeni sententia, seruata tamen simpliciũ medicamẽtorum proportione. id quod apertè mõstrauit libro 5. de compositione per genera, capite de Zizizeno Emplastro sic scribens: Si omnia simpli-
„ cia pharmaca licet duplicata horum
„ quę alij scripserunt misceas, eadem
„ fiet symmetria, quemadmodũ si &
„ triplicata omnia inijcias.

Abulę põdera.

Est insuper animaduersione dignũ quod vulgaria Abulæ pondera, eadẽ sunt cum ijs quibus Græci vtebantur in appendendis medicaminibus. Qua de re non solũ in Theriacæ præparatione, sed in reliquis Gręcorum Antidotis, eisdem vti licebit.

Vt

Vt autem conficias Theriacã prę-
mittere oportet ex Galeno 1. de An
tidotis ca. 32. quod radices huius An
tidoti extento ſint cortice, non ru-
goſo, fructus autem, virgulta & ger-
mina vegeta plurimaq́; eſſe debere,
item & quicquid ſemen includit, te-
gmina, cortices, inuolucra. Semina
verò vegeta ſint cõuenit, quod ex eo
quia tentũ corticẽ habeãt conijcie-
mus. Liquores & ſucci neq; diuturni
tate arefacti ſint, neq; ſuas qualitates
obſcuras habeãt, has dico quę guſtu
olfactuq́; percipimus. fructus igitur
vnà cum germinibus & inuolucris,
floribusq́; ac folijs, quotquot ipſarũ
ſunt, in Theriacam mittuntur harũ
herbarũ, Scordij, nepitæ, marrubij,
ſtęchadis, dictami, polij, chamæ-
dryos, chamæpityos, hyperici, cen-
taureæ. Radices autem hæ, Zingibe
ris, iridis, rhei, quinquefolij, coſti,
nardi Indicę, nardi Gallicę, gentia-

næ, mei atthamantici, phu, aristolochiæ tenuis. Semina verò hæc, napi, petroselini, thlaspis, ameos, anethi, fæniculi, dauci, cardamomi.

His ita cõstitutis, herbę, flores, fructus, semina, radices, trochisci, terra lẽnia, chalcitis, & bitumẽ, diligẽtissime conterũtur pistillo ferreo in mortario ęneo, & cribro subtilissimo cribrantur, semine Thlaspi, napi sylvestris & croco exceptis, quæ per se terũtur, vinoq; rigãtur, ne mortario interiori inhęreãt, & vt cõmodius cõterãtur. Thus quoq; per se solùm in mortario leuiter comminuere satius est, ne in placẽtam coeat, tum vbi cõminueris promptum habere, quo reliquis vino maceratis, cum placuerit ipsum inspergas, nam gummi & vino macerare, & ipsum per sese vel cum thure necesse est. Succi etiam & castorium per se teruntur adfuso vino, vt etiam commodius fieri possint.

ſint, In ipſo compoſitionis tempore, omniumq; rerum mixtura, primum liquefit therebinthina in duplici vaſe cum mellis pauxillo, deinde etiam opopanax, galbanum, ſagapenum, bene antea perſe trita adfuſo pauco melle, vt facilius digitis explanentur, commiſceanturque atque vniantur. Poſtea coquuntur in ipſo duplici vaſe cum terebinthina, donec ad iuſtam conſiſtentiam redacta ſint. His etiam admiſceatur pars aliqua contritorum, tum etiam in vino diſſolutorum, donec mellis conſiſtentiam conſequantur, deinde in mortarium vaſtæ magnitudinis effundantur in hunc modum. Primum pars aliqua eorum quæ vino diſſoluta ſunt, & ad eam formam redacta: deinde mellis nonnihil cocti per ſe & deſpumati: poſtremo pars aliqua eorum quę in puluerem redacta fuerunt: adhęc nonnihil

corũ quę liquefacta in duplici vase, eaq; tepida. Hæc omnia probè agitẽtur rudicula, & sic consequenter de residuo faciendũ, donec omnia probè vnita sint, & hæc quidem ad solẽ (vt facilius fiat) continuò agitando, & tundendo pila ferrea inũcta opobalsamo, vt facilius agitari posśint, & commisceatur etiam opobalsamũ reliquis: alioqui facile adhæreret pistillo medicamentum, & difficilior fieret agitatio. Hæc continue per quatuor aut quinque dies agitanda sunt, & rursus elapsis sex aut septẽ diebus iterãda agitatio per duos mẽses, vel quadraginta dies saltem.

Chalcitis assatio. Chalcitis autem quæ in hoc medicamen venit vt nigrum efficiatur iuxta antiquam consuetudinẽ (quãquam nulla coloris qualitate medicamenti vis immutetur) sic præparan-
„ da est ex Galeni sententia: Conijce
„ in exiguam ollam chalcitis crudæ drach-

drachmas non pauciores quadragin »
ta, postea succensis carbonibus ollam »
absq; operculo, in medio prunarum »
statue: cumq; liquefactam chalcitim »
videris, ac quę leuissima & spumosa »
pars eius est innatare, statîm ollam »
ab igne amoue, humiq; colloca, nec »
vt aliquãdo solemus, sicuti qui igné »
accẽdunt, ipsi insufflabis, mirãdum »
est enim quantum ita faciẽdo luteus »
flauusq; color emergat. Imo neq; in »
sole collocãda erit, sed in vmbra do- "
nec frigeat, omittẽda. hinc postea id "
solũmodo capies quod supernè spu- »
meum fuerit, quodq; neque luteum, »
neq; flauũ, neq; pallidum est. deindè »
experiundi gratia aliquãtulum eius »
quod probaueris accipe, atque com- »
minue, & nũ quis ex supra dictis co- »
loribus appareat, inspice: nam si qua »
lis accepta est, viridis aut cinerea mã »
serit, drachmas quatuor ipsius impo »
nes. talem nanq; chalcitim exiguam »
 inue-

inuenies, etiam ſi multam exuſſe-ris.

Probatio Theriacæ.

Modum probandi Theriacam docuit etiam Galenus libro de vſu Theriacæ ad Pamphilianum ſequentibus verbis: Efficaciam verò & ineffi-
" ficaciam ipſius hoc pacto deprehen-
" des, medicinam quæ vel aluum ſub-
" ducat vel vomere faciat ſcammoniũ
" aut elleborum, vel quiduis aliud hi-
" ſce etiam valentius exhibe, perinde
" atque ſi aliquem purgare velles, huic
" poſtea bibendum trade tantum The
" riacæ, quantum Ægyptia faba
" æquet. Si bona erit non ſolum non
" purgabitur qui aſſumpſit, ſed ne
" commotionem quidem vllam ſen-
" tiet, ſin contrarium eueniet, vetu-
" ſtate deprehendes antidoto vires
concidiſſe. Idem confirmauit Ætius ſermone primo Tetrabibli quar-
" tæ capite. 95. atque addit, Quidam
" verò papaueris ſuccum duorũ ſcru-

pulo-

pulorum pondere aqua diſſoluunt, »
eumque cani aut gallinę vel co- »
lumbæ bibendum præbent. Dein-
de etiam confeſtim antidotum diſ-
ſoluunt, ex eaque nucis ponticæ ma-
gnitudinem ori animalis infundũt,
neque quicquam mali inde comi-
tatur.

Cęterùm ſtannea vaſa plumbo a- dulterata non ſolum pro hac anti- doto reponenda, verumetiam pro alijs fugere conueniet, vt Gale- nus præcipit libro primo de Anti- dotis capite. 19. de paſtillis vipe- reis, his verbis: Recondi debent » in vaſe ſtanneo, aut vitreo, aut " etiam aureo, vitro ſiquidem & » auro nihil fraudulentur admiſce- » ri poteſt. Stamnum autem plum- " bo adulteratur, quod vitare con- » ueniet non ſolum in hac anti- » doto, ſed etiam in quibuſcunque » alijs

Vaſa ad re- ponẽ- dum The- riacã.

„ alijs medicinis, quéadmodum & ar-
„ gentum ſi purum non fuerit, vaſa
„ namq; ex eo fabricata, celerrime ru-
biginem cõtrahunt. Libro etiam de
Theriaca ad Piſonem cap. 22. ſic ait:
„ In vitreis aut argenteis vaſis repo-
„ nes, non autem vehementer ipſa re-
„ plebis, ſed relicto quodá ſpacio quo
„ medicamẽtum perſpiret, ad hęc fre-
„ quenter operculum detrahes, vt &
liberalius exhalet.

Siccaneæ Theriacæ qualiter puidendum.

Demum ſi per tempus ſiccior fiat Theriaca, oportet eam diligenter craſsiori piſtillo ſurſum deorſum miſtam mouere diu, ac ſic tandem mollior tractabiliorq́; reddetur. Decipiũtur enim vinum adijcientes ad eam humectandum, nam præter id quod eſt contra mentem autoris, Antidotum ad tempus ſeruandum, non retinebit quam cum melle ſynceritaté. Damocrates in carmine, id conſequitur melle infuſo dicens:

Trades

Trades bibendum antidotum nec protinus,
Nec moræ quũ ſiccauerit prolixitas.
Id ſi contingat, iſto corriges modo,
Infunde mellis quod ſat, quodque ferbuit.

Ætius ſimiliter ſermone. 1. Tetrabibli quartę, capite 94. eam in mortarium coniectam & piſtillo tritam, optimo melle deſpumato affuſo, rurſus vnire ac excipere præcipit, atque id quotieſcunq; aridior facta fuerit faciendum, quo modo vtilis quidem erit ſed priore inualidior.

Poſt quantum tempus ea ſit vtendum, de exhibitionis mẽſura, & vtẽdi modo, & in quibus cõueniat morbis, late ab antiquis ſcribitur, nõ eſt enim preſentis inſtituti omnia commemorare, ſed ea potiſsimùm, quæ aliqua egent animaduerſione. Nec me latet haud deeſſe ſciolos, qui rebus

bus manifestis & aliàs impertinenti bus tenebras effundũt, tricas struũt, quęstiũculas excogitant, nominum potius vi & obscuris fortasse Galeni versionibus, quàm rei substantię innixi, quæ omnia vt parui momenti consultò missa fecimus.

Mithridatium Damocratis.

R. *Myrrhæ Arabicæ Troglodyticæ. Croci. Agarici. Zingiberis. Cinnamomi. Spicæ nardi. Thuris. Thlaspis, singulorum drachmas. x.*
Seselis. Opobalsami. Iunci odorati. Stæchadis. Costi. Chalbani. Terebinthinæ. Piperis longi. Castorij Pontici. Succi hipocystidis. Styracis bonæ. Opopanacis. Folij Malabathri recentis, singulorum drachmas. viij.
Casiæ. Polij. Piperis albi. Scordij

Cretici. Seminum Dauci. Carpobalsami. Cyphi. Bdellij, singulorũ drachmas vij.

Nardi celticæ repurgatæ. Gummi. Petroselini. Opij (quod meconium vocant.) Cardamomi. Seminum fœniculi. Gentianæ. Foliorũ rosæ. Dictãni. Cretici, singulorum drachmas v.

Anisi. Asari Acori. Phu. Sagapeni, singulorum drachmas iij.

Mei Athamantici. Acatiæ. Ventris scinci. Seminum. Hyperici, singulorũ drachmas ij. & semissem.

Vini & mellis quantum est satis.

FRAGOSVS.

QVod hęc Damocratis descriptio reliquis anteponi debeat, in primis est Galenus libro 2. de Antidotis, vbi commemorans quæ ab An-

dromacho conſcribuntur, aggreſſurus Antidotos ex Damocratis carminibus explicatas, eas maximè laudat, cùm ad ponderis ſynceritatem, medicamentorumq́; memoriam, valde conducant.

Accedit quod Paulus libro 7. Damocratis Mithridatium, Diaſcincu appellatum inſequitur.

Demum ſi ex medicamentorũ pręſtantia & viribus iuditium ferendũ ſit (vt Matthiolus annotauit lib. 5. epiſtolarum) cum capiat Damocratis compoſitio, agaricum, ſtęchadẽ, longum & album piper, carpobalſamum, bdellium, dictamnum Creticũ aſarumq́ue, quibus omnibus altera deſtituitur, veniãtq; hęc omnia praeter aſarum in Theriacam (quòd venenis mire reſiſtant) neutiquam credẽdum, quim ea quæ Damocrati deſcribitur, alijs ſit præferenda.

Nardi Celticæ repurgatio.

Modũ repurgãdi nardum celticam, quere

quere apud Dioſcoridẽ cap. proprio libri primi.

Cypheos ex Damocrate compoſitio.

℞ *Carnis vuæ paſſæ pinguiſsimæ ſine ſemine & cortice extraneo leuigatæ. Terebinthinæ exuſtæ, ſingulorum drachmas xxiiij.*
Myrrhæ. Iunci odorati, ſingulorum drachmas xij. Cinnamomi drachmas iiij. Croci, drachmam j. Bdellij, drachmas iij. Aſpalathi, drachmas ij. & ſemiſſem.
Spicæ nardi. Caſiæ electæ. Cyperi purgati. Baccarum iuniperi, ſingulorum, drachmas iij.
Calami odorati, drachmas ix.
Mellis quod ſufficit. Vini odorati parum. fiant Trochiſci.

FRAGOSVS.

Terebinthinæ vstio.

AEtius ſermone.1. Tetrabibli. 4. c.99. docet Terebinthinæ vſtionem ſequẽti modo: Coniice terebinthinam in ollam, & triplum aut etiá amplius aquæ infunde & ad ignem adhibe, nihilq́; omnino mouẽdo eoq́ue. Vbi vero cõſumpta fuerit aqua & terebinthina attenuata ac inualida reddita, vt digitis confringi poſſit, eam tolle atque in Antidoti confectionem aſſume. Si vero inſumpta aqua, adhuc mollior appareat terebinthina, aliam aquam ſuperfunde, rurſuſq́; ad ignem adhibe donec friabilis reddatur.

Philonium Tharſenſe Galeni.

℞. *Croci, drachmas v.*

Pyrethri. Euphorbij. Spicæ nardi,

di, singulorum drachmam, j.
Piperis albi. Seminis hyosciami, singulorum drachmas, xx.
Opij, drachmas, x.
Mellis quantum sufficit.

FRAGOSVS.

HAnc Philonis Tarsensis Antidotum carmine decriptá explicuit Galenus libro.9. de cõpositi. pharm. secundum loc. cap. 4. de pharmacis dolorem sedantibus, anodinis & colicis appellatis. Talisq; in vsum adhibenda, relicta Mesuæi compositione eiusdẽ nominis, distinctione 2. de Electuarijs, quę deprauate Castorium pro Euphorbio habet: quãuis alijs nõ importune adijci videatur, quòd opij maleficium castiget.

Notãdum hic obiter est circa Spicam nardi, hallucinari Ioannem Costam in annotatione huius Philonij cùm Spicæ nardi cõside ratio.

cùm ait, Galenum sibi planè repugnantia scribere. Nam quum lib. 1. de Antidotis cap 29. spicam nardi radicem esse docuerit (quamuis spicæ formam referat, voceturque spica) huic, inquit ille, repugnat alia eiusdẽ Galeni sententia libri. 9. de compositione pharm. secundum locos in Antidoto Phillonis vbi ait: Quin &
„ Nardi ipsius drachmam vnam conij
„ ciendam censet, quam radicem falsò
„ dictam appellat, quandoquidem spi-
„ ca nardi verè nominatur. Hoc enim in loco Galenus loquitur ex mente Phillonis, ipsiusq; carmen exponit, aitq; id quod verè spica nardi nominatur, falsò appellari radicem, non quòd verè radix non sit (vt 1. de Antidotis) sed quod cum spicę habeat similitudinem, spicam verè appellari oportet ex more, falso autem radicem, Galenus igitur libro de Antidotis ipsam spicæ essentiam spectat,
libro

libro tamen de compoſitione per locos, mentem Phillonis declarat, vulgareinq; ac frequentem ſpicæ nomẽclaturam. Et ſic Galenus à contradictione vendicatur.

Cæterùm cum mellis certam menſuram nõ præſcribat Galenus in præſenti Philonio, conficies cum mellis quadruplo, vel Arnaldum cõſules in Antidotario cap. de melle deſpumato, qui pro libra mellis in Electuarijs ponit vncias tres puluerum, in opiatis autem vncias quatuor: quam normam ſequntur omnes. Mellis quãtitas in Electuarijs & opiatis.

Mel vero, expumatũ hîc intellige, nam Dioſcoride teſte, crudum aluũ inflat, tuſsim laceſsit, & ea de re deſpumati vſus aptior eſt. Similiter Galenus ipſe libro. 6. de compoſitione per locos ſuper ſtomatichũ Andromachi ſic ait: Andromachus nõ oſtẽ„ dit quo modo mel miſcere oporteat,„ num crudum, aut coctum, aut deſpumatum, Mel ſimpliciter poſitũ q̃le ſit intelligẽdũ.

matum, ego vero despumatũ miscen dum esse censeo. Hactenus Galenus.

Mel qualiter ex spuma ...

Quo pacto autem despumandũ sit mel, licet omnibus sit in comperto, & Galenus eiusdẽ meminerit lib. 3. alimentorum cap. proprio, multum aquæ illi admiscẽs, nihilominus operepretium existimo, aliam insequi mellis coquendi rationem, id est in duplici vase, qua nimirum vsus est Galenus in Arteriacę cuiusdã compositione, libro 7. de cõposi. medic. per locos cap. 2. non longè à principio. Quæ mellis despumãdi ratio eo potissimùm magis arridet (vt annotauit Costa) nam primo ferè feruore quicquid illi sordium inest emergit, ac detracta ea spuma, tam purum remanet, vt aliam operã non postulet. Accedit quod neq; periculum est vt assetur mel, atq; amarescat, neq; vt acrius euadat, sed proprio mellis tẽperamento non mutato, sorde omni ex-

expurgatur, & seruandis rebus quarũ gratia excoquitur, redditur præstantissimum.

Deniq;, his ita pręmissis, vti oportebit Philonio (ex Galeni pręcepto 2. ad Glauconem cap. 6.) omnibusq́; ex opio confectis, nõ statim, sed post tempus compositionis annuum aut omnino semestre. Et libro. 12. Methodi curatiuę, capite primo circa finẽ. Omnia idgenus, inquit, magis sunt salubria si post annum à compositione sumantur, veluti quod ad Philonem referunt autorem, quod ad dolores ex sensus torpore sedandos, nullo minus est celebre. Et mox addit: Philonis medicamen etiã si duorum, trium ve aut quatuor annorũ sit, multo sanè est melius, sed nec inutile tamen sequentibus annis ad decimum vsque. Quod enim vltra inueterauit, tanto quidem est minus noxium, quanto est vetustius: cæte-

Tẽp9 vtẽdi Philonis Antidoto & duratio.

„ rùm languidis est viribus, eoq; pa-
„ rum nauiter, cuius gratia paratum
„ est, perficit.

In Philonium Persicum Mesuęi.

FRAGOSVS.

HVius Antidoti autor est Mesuęus tractatu de ægritudinibus
„ pectoris, cap. de Sputo sanguinis.
„ Quam nimirum fratres illi Mesuæi
„ expositores, cum pipere & non cum
„ papauere componendam esse cen-
„ sent, quòd Auicenna, Serapio & Ga
„ lenus ipse, piperis in eadem composi
„ tione mentionem fecerint. Errãt ta-
„ men qui piper inijciunt, & non pa-
„ pauer iuxta autoris scripta. Nam te-
„ ste Dioscoride, piper partus extra-
„ hit, conceptumq́; adimere creditur,
„ quum tamen vis Antidoti sit, sangui-
nem

nem menstruum & fętum retinēdi, ad quod papauer maximè commen datur. Et (vt inquit Matthiolus libro.5.epistolarum) in sanguinis fluxione nullo pipere opus est, sed quæ refrigerent & fluxus cohibeant, cuiusmodi est papauer.

Pręter id quod cum pro infrenando opio, & croci & castorei satis excipiat, ipsi sanè opus non est addere piper vt magis incalescat, vbi potius refrigerari debet medicamentum quod sistendo sanguini paratur. Sic Galenus libro.5.Methodi cap. 13. in exemplo Romanæ cuiusdam mulieris sanguinē ex catharro reijcientis, cui Theriacā dedit circiter quatuor menses ante confectam, Habet enim „ inquit, id ætatis præualentem papa- „ ueris succum, qui in antiquatis igna- „ uus redditur, ideoq; & somniferum „ est, & fluxiones tum siccat, tum leui- „ ter crassat. Si igitur Theriaca, eo no-

mi-

mine ſanguinis fluxionibus opitulari poteſt, quòd papauer recipiat, Philonium Perſicum ad idem valẽs, nequaquam illo deſtitui debet. Accedit quod ipſe Meſuęus in pleriſq; cõpoſitionibus eiuſdem virtutis ante hoc Philonium deſcripris, meminit papaueris albi. Demum quis non videt, quod in hoc Philonio incipit à frigidis, nempe hyoſciamo, opio, & terra ſigillata (inter quę piper calidum non erat connumeraturus) poſtea verò recenſet quæ calida ſunt facultate.

Pro ſedenegi quid intelligendum ſit, habes in tractu noſtro ſuccedaneorum.

Ad opium corrigẽdũ, caſtorei q̃ntũ ſit ſatis.

Hîc obiter animaduerte quantum Caſtorei erit ſatis ad opium corrigendum ex Galeno libro. 3. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos his verbis ſcribente: Miſceetur & caſtorio opium. Verum mul-

multo ante vſum tempore ſiue pari „
pondere,ſiue duplo caſtorio ammi- „
ſceatur, præparatum id eſſe conue- „
nit. Et miſcetur quidem in vehemē- „
tiſsimis doloribus pari, in minori- „
bus verò duplo. „

In Confectionem Anacardinam Meſuei.

FRAGOSVS.

VArij autores hanc Antidotũ deſcripſerũt,ac circa eandem,cùm in rebus, tum in ponderibus nimis diſcordes reperti ſunt: Inter quos (relictis alijs) vnus eſt Arnaldus de Villanoua libro.1. ſuæ Medicinæ cap. 28. de defectu memoriæ: quem multi ex Myropolis ſtudij & veritatis indagãdæ laborem ſubterfugientes inſequi maluerunt, quàm veram

ac consuetudine diuturniori cõprobatam Mesuæi descriptionem experiri. Denominatur ab Anacardis quorum in aliјs locis, longiorem fecimus mentionem. Præparantur autem sequenti modo: Anacardi seorsum triti, aceto sufficienti diebus septem perfunduntur: octauo die lẽto igne ad medietatem coquntur, & per linteolum colantur: fex remanens siccatur, atque vsu postulante recipiuntur. In succo autem mel sufficiens ad spissitudinem coquitur. & hoc vtimur. Hæc Nicolaus Alexandrinus capite 921. Arnaldus loco superius dicto ad tertias coquit, & vt mel conficiat Anacardinum, tantũdem mellis despumati ad succum addit.

Anacardi preparatio.

Mellis Anacardini conficiendi ratio.

Iũ de Bedust.

Ium de Bedust in hac compositione, testiculos Fibri vel Castoris significat iuxta Neotericorũ placita, & Arabicam interpretationem.

Per

Per Burungi verò Doronicum intellige, vt in succedaneis monstratum est. Burūgi.

Ad sex menses fermentata confectio tutò vsurpatur, duratque (Serapione testante) annos tres.

Requies magna Myrepsi.

℞ *Rosarum. violarū. Opij. Hyosciami. Papaueris seminis. Mādragoræ. Intybi. Lactucæ. Portulacæ. Psyllij. Nucis moschatæ. Cinnamomi. Zingiberis, singulorum drachmā vnam & semis.*

Santali albi & rubri. Spodij. Tragacanthi, singulorum scrupula duo, grana quinque.

Sacchari candi drachmam vnam.

Sacchari & stillatitij rosarum liquoris quantum satis videbitur.

FRA-

FRAGOSVS.

CVm omnes fere Nicolai vulgaris siue Præpositi compositiones corruptæ ac deprauatæ inueniantur, oportebit semper in eisdem parandis Græcos imitari autores. Quapropter transcripsimus Antidotum. 205. Nicolai Myrepsi. Præpositus enim aliter pondera disposuit, miconis pro seminis ponit, & Zingiber non habet. Quod autem scribit, rosarum & violarum, de floribus intellige, Hyoscyamum de semine, Mandragoram de radicis cortice, est etenim hic valentissimus, Galeno testante simplicium septimo. Spodio per se trito, & Opio in vino dissoluto, miscentur omnia. Bernardus Dessennius cum mellis expumati, vncijs octo, ac semisse, conficit.

In

In Trypheram Sarracenicam magnam Mesuęi.

FRAGOSVS.

TRyphere vox Scribonio Largo, medicamenti est nomen causticá vim habentis. Arabibus verò læ-tum videtur significare, ita vt Try-pheræ dicantur quasi delitiosæ & voluptuariæ, per antiphrasim, id est à contrario sensu, sunt enim ve-hementer amaræ. Sed hoc parum re-fert. Mayorem autem animaduersio nem exposcit spica, bis (nec sub eodé pondere) in hac compositione pe-tita. Nonnulli enim ex Neoteri-cis (è quorum numero fuit Syl-uius & Bernardus Dessenius) alte-ram illius acceptionem huic com-positioni accreuisse excogitarunt, nimia vel librariorum, vel autorum incuria. Cæterùm haud video cur in

primo

primo loco, ſpicanardi, in altero Celtica non poſsit intelligi, cùm præſertim in alijs Antidotis, vtriuſq; ſeorſum facta ſit mẽtio, vt in Theriaca, & in ipſa Tryphera magna Nicolai Præpoſiti.

Tryphera Perſicæ vſus cur rarus eſſe debeat.

Meſuæus diſtinctione 3. de Medicinis ſolutiuis meminit alterius Trypheræ cognomento Perſicæ: cuius vſum rariſsimum fore cenſeo, quòd componendi modus & longus ſit & negocij plenus. cùm prętereą myrobolanis recentibus careamus, à quibus vim plurimam medicamentum comparat, præterquam quod paucioribus ſimplicibus effectus conſequi eoſdem valeamus.

In Dialaccam magnam Meſuęi.

FRAGOSVS.

MAgna Meſuæi Dialacca, hodiè potiſsimum in officinis recipitur

tur, præstantissimaq́; censetur. Circa quàm in primis attẽde, Laccæ, plura esse genera, natiua & factitia, de hac nihil ad nos, cùm in vsum medicum non veniat: illam vero duplicẽ ostendit Serapio, prima quæ Dioscoridis est cancamum, Hispanis Anyme dicitur: altera infectoribus expetita ijs tingẽdis lanis quæ vili prætio veneunt, & ex Armenia conuehitur, Serapione teste. Et hanc ipsam Myrepsus intelligens Antidoto 123. Laccam infectorum vocauit. Occasione cuius deceptus est Fuchsius qui credit, chermesinũ infectorum, esse gummi Arabicæ arboris, atque idem quod Serapio (autore Isac) rem rubram esse ait, tenuibus lignorum surculis inherentem. Nam quamuis infecturam ex lacca, carmes vocari Serapio affirmet, hoc tamẽ non persuadet, Arabũ laccam chermes fuisse [vocabatur enim chermes etiam

coccum infectorium, quod Granam dicunt) neque chermes hoc de quo loquitur Fucſius, lignoſis circunuoluitur ſurculis vt Lacca Arabum, ſed Pimpinellæ radicibus in Orientalibus regionibus adnaſcitur. Ex quibus conſtat pro Lacca, vulgarem officinarum Laccam eſſe accipiendam, non autem noſtrum chermes Græcis & Arabibus ignotum, neque vulgarem ſanguinem Draconis, vt capite proprio de Lacca in Succedaneis noſtris aduerſus monachos Meſuæi expoſitores demõſtrauimus.

Laccæ ablutio. Abluitur autem Lacca ex Serapione cap. ſimplicium. 181. in hunc modum. Contuſis ſurculis (vnà ſcilicet cũ gũmi) ſuperijcitur aqua calida in qua builierit ariſtolochia & ſquinantum; agitetur cum piſtillo, & quod poſtea reſederit abiecta aqua ſiccandum in vmbra: ac

ſi

si pellucidum fuerit reponendum ››
vitreo vase, sin minus repetēda pur- ››
gatio, vt pelluceat. ››

Recipies autem ex Cordi censura, squinanti & aristolochiæ, singulorum vncias duas, aquæ verò libras quatuor, ad vnius consumptionem.

Attende tamen, rotundam aristolochiam (minimè verò longam vt malè exposuit idem Cordus) pro præsenti decocto & Dialaccæ descriptione recipiendam esse, siquidem, autore Galeno libro 6. de simplicium medicamentorum facultatibus, in quibus crassum humorem validius extenuare oportet, illic vsus est rotundæ: id quod maximè optatur in hac confectione, quæ potissimùm ad hepatis obstructiones aperiendas commendatur.

Sunt qui aquā in qua Lacca ablui-

tur ſeruandam eſſe contendant ad vſum, exiſtimantes Laccam diſſolui in ipſa aqua, vt in aloe contingit. Falluntur tamen, ſiquidem Lacca in frigido humore tota liqueſcit, in calido vero, denſa redditur & ſubſidet, & aquam ſolummodo ſuo inficit colore: cuius oppoſitum in aloe contingit, experientia comprobãte. Quod animaduertens Serapio, in calido decocto lotioné fieri præcepit, & aquá cum ſuper natantibus ſordibus leuiter effundi.

Cauendum etiam eſt ne ab hac cõpoſitione cymas, ſeu ſummitates Schęnu tollas, Iacobi Syluij opinione deceptus contra ipſius Meſuæi & compoſitionis ſeriem, in qua primũ Schęnanti, inferius vero Cymarum Schęnanti mentio fit tanquam de rebus inter ſe differentibus, aliud enim eſt flos, aliud culmus, & vt Dioſcorides inquit libro. 1. cap. de Odorato iun-

iunco, floris, culmorum, radicisq; est vsus. Quamuis igitur, summitates iunci cum floribus interdum sumantur, nihil obstat quim ipsi culmi [quibus sua etiam vis est] sine floribus accipi possint ad Antidoti cōplementum, & Scheni cima, vt ex Galeno iam demonstratum est.

In Aureām Alexādrinam Nicolai.

FRAGOSVS.

NIcolaus vulgaris siue Præpositus, compositionem suam integrè mutuauit à Nicolao Alexandrino, â quo forte [relictis aliorum opinionibus] inscripta est. Myrepsus quoq; eandem recenset Antidoto. I. quibusdam additis. Satis erit Myropolis, vt [si quādo Antidotum com-

ponendi occasio detur] vulgarē Nicolaum imitentur.

Saliuncę vox in hac confectione non parū imposuit quibusdam, existimantibus Nardum Celticā & Saliuncam easdem omnino esse plantas. cuius sententiæ fuit Nicolaus Leonicenus libro suo de Plinij & medicorū erroribus cap. 35. non animaduertens Dioscoridem Celticam Nardum appellare Aliungiam, & non Saliuncā. Hoc tamē omisso credimus cum Matthiolo suarum epistolarum lib. 5. codicem Nicolai esse deprauatum, nam vbi Gręcus codex habet Elelisphacu, id est Saluię, Latinus antiquioris lectionis legit Saliuncæ, perperā tamē quia hæc Antidotus confert ad frigidas cerebri fluxiones, ad delachrymātes oculos, ad dentium dolores, ad tabe laborātes, tussientes & anhelosos. Auxiliatur sanguinē reijcientibus & resolutis, prodest

prodest similiter vteri affectibus, & vrinę stillicidijs: quæ omnia Saluia poterit cōplere, minimè autē Saliūca, siquidē (Plinio teste) huius radix tantum valet ad cohibēdas vomitiones, & ventriculum roborandum. Tādem ne lectorē remoremur, huius & similium Antidotorum formandarum modus, idem est cū Theriaca & Mithridatio.

In Electuarium de Aromatibus Mesuęi.

FRAGOSVS.

GAbrielis est hęc confectio, & nō Galeni cui adscribitur, vt declarāt multa aromata ipsi Galeno ignota, à quibus nomen accepit. Pręferūtur odore insigni, suntq; initio mistionis valētiora, tempore siquidem vis eorum labefactatur, vnde imbecilliora fieri diuturnitate, necesse est, Aromatū duratio.

est, sed vt plurimum in vigore per annum consistunt.

Hîc recedendũ à Christophori Georgij de Honestis cõsilio, qui Nicolai Galliã Mesuæo incognitam sumendã esse insinuauit: quinimo cõsentaneũ est illã eligere de qua Mesuæus distinctione. 8. de Trochiscis.

Mel & saccarũ cur in hãc cõfectionẽ veniant. Mellis vsus in cõponẽdis medicamẽtis quotuplex sit.

Est autem animaduersione dignũ cur in hoc Electuario, saccarum & mel simul recipiãtur? Si enim (vt Nicolaus Alexandrinus docet) mellis in medicamentis componendis triplex est vsus, cõseruandi, abstergendi, & condiendi, atq; eadem commoda præstat saccarum, alterum tãtum satisfacere videtur. Sunt qui dicant inuiscandi ratione addi saccarum, nã cùm ad discutiendos flatus hoc paretur medicamentum, addito saccaro, diutius herebit ventriculo ob illius lentorem. Hoc non tollit ambiguitatem, prçter id enim quod mel nõ minus

nus eſt lentum, multa ab autore deſcribuntur medicamenta pro diſsipandis flatibus, in quibus nō ſemper ſaccarum aſſumitur. Suſpicor igitur cum Ioanne Coſta condimēti potius gratia ipſum adijci, ſuauius enim eſt melle. Solum autem ſaccarum nō ſufficit, quia mel abſtergit magis.

In Electuarium Egemmis Meſuei.

FRAGOSVS.

NOn deſunt qui initio huius Antidoti mendam eſſe ſuſpicētur, ac pro drachmis duabus margaritarum legendum eſſe drachmas tres: ſed neutrius ſententiam impugnamus, cum ſi error ſit, leuis videatur.

Sardinis lapis vt quidam interpretantur, Sardonichys eſt, alio nomine Sardonius dictus, cui candor veluti vnguis Sardinis lapis à Sardo

vel Corneolo differentia. vnguis immiſcetur, viribusque huius Electuarij aptior quàm Sardus, quem Corneolum vocant.

Feruzegi ſignificationem legitimam habes inter Succedanea.

Ocimū Caryophyllatum quid. Alfeleniemic, tertium ocimi genus eſt, folijs conſtans minutis, reliquis odore fragrãtius, quod Caryophyllatum hodie vocatur.

Mel emblicorum hîc & in ſimilibus compoſitionibus confici ac parari debet ex Meſuæi doctrina in ſimplicium tractatu cap. de Myrobalanis emblicis, & diſtinctione de conditis. Roſarum autem Gelenia-bim de roſis præparabis ex Auicenna tractatu ſeptimo, libri. 5. Eſt quippe Geleniabim ex roſa, mel aut ſaccarum in quo condita ſit roſa, vt docuit Coſta. Quapropter non fecit Syluius ex autoris præſcripto, qui mel roſaceum vulgare hîc ſumit, ſed ex tota roſa parandum. Mel igitur

Galeniabim quid ſit.

tur aut saccarum percolandum, & quod effluxerit è colo, in vsum recipi debet. Mellis igitur Emblicorum & Geleniabim expressi liquoris libras duas & vncias tres accipies, id est vtriusque vncias, xiij. & semis.

Gemmæ teri debent tenuissimè Galeno autore libro. 9, simplicium cap. de lapide Pyrite his verbis: Cæterùm vbi in vsum vocantur lapides, admodum vehementer contusi atque ad leuorem redacti sint oportet, similiter atque ea, quæ in opthalmicas facultates admiscentur. Gemmarũ tritura ex Galeno.

Animaduertẽdum tamen est quod quum teruntur lapides & leuigantur in marmore Porphirum vocato, aspergi debent liquore stillatitio rosarum vel buglossi, aut alio conuenienti humore, id quod insinuasse Galenum apparet libro. 2.

de

de simplic. medicamentorum facult. cap. 15. cum docet lapidosa & dura plurimũ in aqua fontali terenda esse. Qua in re non est astipulandum Ioanni Costę, lõgè pręstare arbitrãti si aceto aut limonum acido resoluantur margaritæ, cum necesse sit, vt ille ait, dum teruntur ac lęuigantur, ex mortario tabulave aliquid corradi, cui errori occasionẽ præbuit Plinius libro. 9. cap. 35. dicẽs acetum resoluere margaritas in tabem.

Margaritę nõ resoluũtur aceto.

Deinum parari potest hoc Electuarium, ex solis gemmis & saccaro sine speciebus aromaticis.

In Confectionem Alchermes Mesuęi.

FRAGOSVS.

DIgnum hîc animaduersione est circa lapidis lazuli mensuram, an

an drachmæ duodecim sumendæ, vt in libro simpliciũ, an duæ vt in Antidotario legitur. Iuditio nostro cõfectio huius loci quę cum duabus lapidis drachmis, passim in omnibus codicibus describitur, præferri debet, nullumq; subesse errorem arbitrandum, vt multi contendunt. Longè enim differt ab altera cuius ipse Mesuęus meminit, cap. de lapide stellato cum duodecim drachmis eiusdẽ lapidis, tum nomine, tum etiam simplicium pondere. Falsum est autem (quod quidam obijciunt) non consueuisse autorẽ duo simplicia æqualis ponderis sine hac particula (ana) cõiungere, vt apparet in eiusdẽ Emplastro Diaphænicon descriptione Alexandri, & in confectione de Moscho dulci.

Seta recens & vermiculo adhuc viuẽte accipiatur, eóq; separato & pellicula quæ ipsum ambit, carminetur, Setę electio.

&

& per diem integrum in ſucco granorum tinctoriorũ macerãda eſt. Quibus verò is ſuccus conceſſus non fuerit, cum granorum puluere tinctura fiat, ita vt in aquę libris quinq; pulueris vnciæ octo pro ſerici libra inficienda reponãtur, modiceq́; bulliant. Paribus namq; vtriusq; portionibus acceptis, vt ſentit Braſſauolus libro Syruporum, ingrata redditur compoſitio: quod vitandum eſſe Galenus conſulit libro.4. de ſanitate tuenda cap.13. virium tamen medicamenti vtilitate ſeruata. Decem verò drachmarum quantitas, parua ſenimis eſt, nec valens cocci colore ſericum inficere, vt alij conſuluerunt. Sed prius in aqua vnciæ duæ ſaccari candefacti diſſoluantur, vt craſſior effecta, rectius ſerico adhærere valeat.

Autor li. Modus faciẽdi.

Ablutionẽ lapidis lazuli elice ex cap. de lapide Armeno Meſuæi.

Lapidis lazuli lauatio.

Ele-

Electuarium Diamoschu dulce.

FRAGOSVS.

VAriæ sunt apud Arabes huius Electuarij descriptiones, omnibus tamen relictis, Mesuęum sectari oportet. Sed aduerte Setam crudam dici, quę nullam coctionem aut calorem senserit: quam in hoc Electuario vti præcipit autor, vt melius cōteratur: nam Auicenna libro. 2. tractatus. 1. cap. 5. docens quinq; intentiones ob quas aduritur medicina, vnam earum esse inquit, vt præparetur ad conterendum, sequenti dictione: Exemplum quarti est sericum, nā ipsum administratur in confortando cor: & si administretur incisum, est etiam conuenientius, quàm adustum: sed quoniam incisum non cōsequitur minorationem partiũ suf- Seta an sit vtēda hic. " " " " " "

ficien-

„ ficientem, nisi cum labore, ideo adu-
ritur. Cæterùm quũ sine vstione cõ-
teri posit, nunc comburenda non
est: vt Serapio testatur cap. 28. simpli
„ ciũ his verbis: Ponitur in medicinis
„ cordis & pręcipue in Diamoschu.
„ Et quidam comburunt eam vt pos-
„ sit facilius teri & melius puluerizа-
„ ri propter desiccationem. & quibus-
„ dam non videtur hoc ne amittat vir
„ tutem suam, sed faciunt eam incidi
„ subtiliter, & terunt cum margaritis
„ & charabe & corallo proprie, & sic
„ teritur facile.

Eandem sententiam confirma-
uit Arnaldus in Antidotario, cap. 10.
de assatione medicinarum, sequen-
„ tibus verbis: Aduritur medicina
„ quatenus abilior reddatur, vt sericũ
„ in cordialibus passionibus vt est Pli
„ ris, quamuis sit cõmodius in eo gra-
„ ciliter inciso elaborare terendo, cum
„ in eius decoctione multũ deperda-
tur

tur de virtute confortatiua. Verun- „
tamen assatur quando queritur per „
ipsum resolutio plusquam conforta „
tio vt in Diasen. Idem sensit Ioan- „
nes de Sancto Amando, cap. de adu-
stione, & similiter Zoarus libro. 1.
cap. 2. de tremore cordis.

Circa Galliam absolutè positam non parum torquentur pharmacopæi atq; hac in re hesitant, dum quidam Moschatā preferunt, quòd eam Mesuæus vt præstantiorem primo loco inter Gallias collocauerit, ipsamq; composuerit. Alij contra Alephanginā intelligunt, ab antiquis inuentam, quòd plurimum ab eo laudetur. Asserimus tamen, vt cùm Gallia simpliciter in medicamentis inueniatur, quęlibet ambarum liberè accipi possit, tum quod fere eandem vim sortiátur, tum etiam, quod cum opus illi fuit Alephangina, ipse Mesuęus expressit, vt in trochiscis ad

Galliaquę recipiēda, si ponatur simpliciter.

fluxum in Canonibus vniuersalibus descriptis, in syrupo acetoso de succis herbarum, & de calamento valente ad singultum & vomitum. At vero quando moschatam Galliam optauit, similiter patefecit, vt in Electuario de Xyloaloe, in Diarrhodon descriptione communi, & in multis alijs. Vbi autem nihil interesse existimauit vtramlibet eligere, Galliam simpliciter posuit vtriusq; immemor.

Ocimi semen aut folia q̃n do intelligere oporteat.

Preter Ocimicitrati naturam quá in prima Succedaneorum parte docuimus, quid ex eo sumendum sit, folia ne an semen, multi ambigunt. Semen autem accipiendum statuo: folia enim quamuis dum recentia sunt, præstent ea odoris gratia, desiccata tamen parum olent. Simile contingit in reliquis ocimi generibus simpliciter positis, quorum folia in medicamentis exterius admo-

mouendis assumuntur, vt inquit Platearius: si tamen interius accipi debeant, semen inijcitur, folijs omissis, quæ autore Galeno simplicium. 8. recrementitiam habent humiditatem, proindeque nec commoda sunt, vt in corpus sumantur.

Ceterùm animaduertendum de melle est, dupliciter vsurpari in medicamentis componendis, sępissimè coctum, interdum crudum, vt in hac confectione & in Cardiacis ferè omnibus apud Auicénam, ob flatus qui quum spiritibus nostris vitalibus affines sint, eos etiam augere, ac veluti alacriores reddere plurimum videntur, vt exposuit Costa, tametsi aliter senserint monachi Mesuæi commentatores. Mel tamen purissimum & ignis expers (quod virgineum vocant) accipiendum, vel Auicenna testante libro. 5.

Mellis vsus in medicina quot modis vsurpatur.

Mel crudũ quod sit.

 sum-

summa. 1. tractatus. 1. nam vbi docuit cum melle despumato excipiendam esse confectionem quandam ex moscho, valentem ad hepatis dolorē & stomachi, & ad resoluendum flatus & inflationes, aliam eiusdem nominis inferius describit, conferētem ad illos effectus quos recensuit Mesuęus in suo Diamoscho, ad finē cuius confectionis ait: Confice cū mel-
» le quod est sicut extrahitur de fauis,
» quod non inuenit ignis.

Mel tandem quadruplū erit, si pulueris vnciæ tres, libris mellis singulis misceantur.

Dia Satyrion siue Confectio alia testiculorū vulpis Mesuęi.

FRAGOSVS.

IN hac cōfectione Officinæ omnes Mesuęum sibi imitandum cōsultò propo-

proposuerunt. Cæterùm si consulas illum tractatu de ægritudinibus pectoris & pulmonis cap. 9. inuenies modum parandi aquam secundam cicerum. Aquæ cicerum.

Hîc nota circa semen napi vehementer errare fratres illos Mesuæi cẽsores, sinapi seminis pro napi falsò legentes, cûm napi seu rapi semen, venerem & flatus excitet, Galeno & Dioscoride testantibus, sinapi verò hac facultate destituatur. Monachorũ error in napi.

Cerebella passerum vere siue autumno captorum, cum oui vitello ac melle, vel in sole siccata reponantur, vt aduertit Bernardus Dessennius. Vocantur autem Hispanis hi passeres, Gorriones. Cerebra passerũ absque ossiculis seruãda.

Vltra dimidium annum integra durare non potest præsens confectio, vt ipsa experientia monstratur. Duratio Diasatyrij

Cōfectio Hyacinthorum Ferdinandi à Sepulueda.

R. *Hyacinthorū. Coralli rubri abluti. Terræ sigillatæ, añ. unciam semissem.*
Alchermes. Tormentillæ. Dictamni. Seminis citri. Croci. Myrrhæ. Rosarum. Santali albi. Santali rubri. Sãtali citrini. Oßis de corde cerui. Seminis Acetosæ. Seminis portulacæ. Rasuræ eboris, añ. drachmam j. & scrupulum j.*
Saphirorum. *Margaritarum.* Smaragdorum. Topaciorum. Serici crudi.
Auri. Argenti, añ. scrup. ij.
Camphoræ, scrup. j.
Moschi. Ambræ, añ. grana sex.
Seminis napi, drach. sex.
Syrupi limonum quantum sufficiat,
fiat

fiat in modum Opiatæ cum libris duabus dicti Syrupi.

Confectio Hyacinthorum Neapolitana.

R Hyacinthorum Orientaliũ drachmam vnam & semissem.
Smaragdorum. Saphirorum. Topatiorum. Rubinorum. añ. scrupul. ij. semis.
Vtrarumq; margaritarum. añ. scrupul. ij. semis.
Coralliorum alborum. Coralliorũ rubrorum. añ. drach. semissem.
Croci. grana quindecim.
Spodij. Rasuræ eboris. Ligni aloes crudi. añ. drach. semissem.
Oßium de corde cerui. decem.
Cornu cerui vsti. Seminis portulacæ. Coriandri præparati. Seminis Acetosæ.

tosæ. añ. scrupul. j.
Behen albi & rubri. Radicis dictã-ni. Tormentillæ. Terræ sigillatæ. Boli Armeni. Rosarum. an. drach. j. & scrup. ij.
Seminis citri. scrup. iiij.
Pannorum auri. xxx.
Moschi. Ambræ. añ. grana. x.
Syrupi limonum quantum sufficit.

FRAGOSVS.

Ferdinandus à Sepulueda in suo Manipulo medicinarum, prima distinctione de medicinis confortatiuis, magistraliter (vt aiũt) fieri docuit primo loco Hyacinthorum Antidotum descriptam, napi semine excepto, id enim visum est huic confectioni immiscendum, vel quòd potũ venenorum vires hebetet, & Antidotis admiscatur, vt inquit Dioscorides.

Napi semẽ cur Antidotis admiscetur.

rides, aut ꝙ flatus procreet, qui (vt dicebamus) ſpiritib9 noſtris affines, eos etiã augere plurimũ videantur. Docuit tamen experiẽtia, hãc Ferdinãdi cõpoſitioné eſſe maioris vſus & efficatiæ quàm Neapolitanã, etſi nõ negamus vtranlibet parari poſſe.

Corallij lotionem molieris ex Galeni doctrina libro ſecũdo de ſimplicium medicamentorum facultatibus cap. 15. de ratione abluendi & candida faciendi medicamẽta, vbi ſic ſcribit: At ſiqua ſint lapidoſa & dura, velut cadmia & ęris ſquamma, & æs vſtum, ea exactè in tenuia comminuentem, plurimũ in aqua terere fontali duriſsimaq; oportet, ſubinde priore effuſa, quoad nihil in aqua innatet, maneatq; aqua prorſum à contriti medicaminis qualitate immunis. Nam quandiu aut qualitatis eiusquippiam in guſtu appareat, aut aliquid innatet, tandiu terẽdum atq; Coral lij ablutio.

" infundendum est. Nam si hoc pacto
" quiduis eorum quæ lauari possunt
" abluas, mordacitatis expers euadet:

Cornu cerui vstio.

Cornu cerui vstionem pro secunda Hyacinthorum descriptione, docuit Dioscorides. 2. libro. cap. 50. & Scribonius Largus cõpos. 122. in hæc verba: Sumũtur cerui cornua, dũ te-
" nera sunt (intellige ante trimatũ, vel
" circa id tẽpus) in taleolas breues di-
" uisa, olla noua fictili cõponũtur, oper
" culoq; superposito, ex argilla vndiq;
" circundata, fornace vruntur, donec
" in cinerem candidissimum redigan
" tur, atq; ita in vase vitreo mundo re
" ponuntur. Aut simpliciter integra
" cornua, viuis carbonib9 obruta, aut
" flammæ immissa vruntur: & quam-
" uis primò nigricant, ad plenam ta-
" men vstionem alba fiunt.
"

Coriandri præparationem pro eadem Antidoto inferius habes super Diamargariton frigidum.

Du-

Durant hę cõfectiones ad tres annos. Dosis est à drachma semisse vsq; ad tres.

Valẽt tá in curatione pestis quàm in eiusdẽ pręseruatione. Cõferunt febribus malignis, & omni affectui cordis à frigida causa præsertim orto. Corroborãtq; omnia mẽbra pcipua,

Dantur cum vino albo vel liquore stillatitio Acetosæ, aut Scorçoneræ, secundum ægri dispositionem.

Diascordium Fracastorij.

R. *Cinnamomi. Casiæ ligneæ, añ. vnciam semissem.*

Scordij, vnciam vnam.

Dictamni Cretici. Tormentillæ. Bistortæ, añ. vnciam semissem.

Galbani. Gummi, añ. vnciã semisse.

Opij, drach. vnam & semissem.

Styracis, drach. quatuor, & semissem.

Acetosæ, drach. vnam, & semissem.

Gen.

Gentianæ, vnciam semissem.
Boli Armeni, vnciã vnã & semisse.
Terræ sigillatæ, vnciam semissem.
Piperis longi. Zinziberis, añ. drachmas duas.
Mellis albi despumati libras duas & semissem.
Vini aromatici, libram semissem.
Sacchari rosati, libram vnam.

FRAGOSVS.

VTuntur etiam nostrates medici ad febres pestilẽtes & malignas confectione Diascordium appellata, ex Hieronymo Fracastorio libro 3. cap. 7. de curatione verè pestilentium febrium.

Scorodõ & Scordium differunt maximè.

Animaduertãt tamẽ ne in vetustũ errorem incidãt Pharmacopolę, vt quoniam Scorodom significat alliũ syluestre apud Græcos, illud in compositione accipiant. Aliud enim est

Sco-

Scorodom agrion, id est allium syl-
uestre, aliud Scordium herba, quę (vt
scribit Dioscorides) folijs Trissagi-
nis cōnstat estq́; præcipui contra ve
nena ac serpentum ictus remedij.
Vnde nō abre & Theriacę, huic An
tidoto, alijsq́; plurimis confectioni-
bus immiscetur. De hac herba siue
Scordio vero retulit Galenus in li-
bro de Theriaca ad Pamphilianum
&. 1. de Antidotis, quod cùm eorum
corpora qui in pręlio ceciderant diu
in sepulta iacere contigisset, quæ-
cunq; sors tulit, vt supra Scordium
iacerent, multo minus quâm reliqua
sensisse putredinem, atq; eas præser-
tim ex toto corpore partes, quas ip-
sius herbæ tactus defendit. Vnde cre
ditum est eandem cōtra animalium
venena & pestifera medicaméta quæ
vim habent putrefaciendi, auxilia-
ri. Hanc pariter plantam idem Gale
nus libro. 9. de simplicium medica-
mento-

mentorum facultatibus, inter cæteras quę putrefactionibus aduersantur, præcipuè commendari testatur.

Theriaca Smaragdorum Ferdinandi à Sepulueda.

R. *Smaragdorum. grana. x.*
Hyacinthorum. scrupul. vnum & semis.
Seminis peoniæ. Cinnamomi. Radicis pæoniæ. añ. scrup. quatuor.
Seminis citri mundati. Dictamni, añ. drach. sex.
Corallij rubri. Alchermes. Seminis Acetosæ. añ. drach. tres.
Croci. drach. vnam.
Visci quercini. Rasuræ eboris. Galangæ. añ. drach. duas.
Syrupi facti ex succo limonū & melle libram vnam & vncias tres, fiat secundum artem.

FRAGOSVS.

DVbitant Myropolæ an viſcum illud glutinoſũ, vel potius quod lignum crucis cognominant hîc admitti debeat. Credimus tamen Emplaſtris, Ceratis & Vnguẽtis, molle & ſucculentum viſcum admiſcendũ, vt cenſet Platearius in expoſitionibus Nicolai ſuper Emplaſtrum Apoſtolicum. At in confectionibus cordi deſtinatis ac per os ſumẽdis, qualis hæc eſt, lignum crucis recipietur. Veteres enim, illi ſucco glutinoſo nullam vim cor roborandi tribuerunt. Ex recẽtioribus Arnaldus Villanouanus connumerans medicamẽta epilepticis dicata, Ligni crucis potiſsimùm meminit. Autor etiam Pãdectarij cap. 82. de Corallio, ſe expertũ ſcribit Lignum crucis ad epilepſiã, valere. Verùm quod huiuſmodi lignũ in operibus medendi ſit maximi

Viſcũ quale ſit accipiendum.

ximi vsus, Gentilis Fulgineus, ac Iacobus de partibus super Auicennam exposuerunt, & ipsum ob præclaras illi insitas vires, Lignum sanctæ crucis appellarunt, credunt enim cōtra epilepsiam, apoplexiam & paralysim Lignum hoc præstare, tum intus epotū, tum collo appensum. Dosis huius Theriecæ est à drachma vna vsq; ad. ij. & in prouectioribus à drach. vna & semis. vsq; ad. iij.

In Diarrhodon abbatis Nicolai Prępositi.

FRAGOSVS.

Confectionem hanc è rosis Abbatis (hoc est præsidis collegij) hactenus Seplasiarij cōmendarunt, atq; in hunc diē parant. Caueant tamen ne Bernardi Dessenij Cronemburgij scriptis decepti, vbi Nicolaus

Scrup.

Scrupul.ij ipsi drachmas ij.reponãt, & mox pro scrupulo j. drachmam vnam, nec solùm semen cucumeris sumant, vt ille turpiter admonet, sic enim fieret quod aucto numero calfacientium medicamentorum, demptisq; simul alijs seminibus frigefacientibus, tota compositio reddatur inutilis ac superuacanea. Præter id quod Nicolai Myrepsi dictio, Antidoto.94.[ex quo mutuat9 est Prępositus] nò differt à vulgari descriptione, nisi quia Myrepsus recipit corallium, crystallũ & semẽ lactucæ, nullo in cæteris obseruato discrimine.

Animaduertẽdum etiam est, vt semina frigida maiora huic cõfectioni & alijs eadem admittentibus, statim ab initio misceantur: secus enim integrum non erit Antidotum: & si ad tempus mixtionem differas rancorem timens, repente [vt accidit] petita Antidoti drachma ex medici

prescriptione, nec commodè conteres omissa semina, nec debitum pondus facilè reperies.

Berberisque pars sumenda sit. Seminis à fructu differentia.

Hic demum commonefaciendus est seplasiarius in Berberi, fructum ex carne & semine constare, vt inquit Theophrastus lib. 1. cap. 3. de historia plantarum: semen verò pars est in medio fructus contenta. Quare cùm alicuius plantæ fructus expetitur, caro cum semine intelligenda est, cùm verò semen desideratur, aut ponitur in compositione, interior solùm pars intelligenda. Ideo si Berberorum, Rusci, aut Asparagi semen optaueris, carne semper adempta, nucleum recipies.

In Aromaticum Rosatum Gabrielis ex Mesueo.

FRA-

FRAGOSVS.

COnſuetudo & experientia retinuit, vt hanc confectionem cæteris eiuſdem nominis omnes Officinę antepoſuerint. Eſt quippe parum calida, ex eoq; ſecurius in tẽperatura calida, & tempore calido exhiberi poteſt.

Eliges glycirrhyzę corticem mundum raſumq́; abſq; parte interna ex Galeni cenſura libro. 7. cap. 2. de compoſitione pharmacorum ſecundum locos in Arteriacis medicamentis, vbi ait: Radicis dulcis eiecta medulla. Glycirrhyzę radix q̃liter vſurpãda.

Per ſandalos Mazachari, citrinos intellige odoratiores, ipſi enim ſumendi ſemper, quum ſandolorũ ſimpliciter fit mentio. Sãdali Mazachari.

Spicæ drachmas duas codices Meſuæi vulgares paſsim habent, cùm Doſis Spicæ

In hac confe ctione tamé Neoterici (vt Bernardus Dessennius, Valerius Cordus, Anutius Foesius & Carolus Clusius) non nisi scrup. ij. præscribát, eo potissimùm argumento ducti, quòd sic repererint in antiquis exemplaribus. Verùm (vt mihi videtur) non multum refert, hanc vel illam lectionem insequi, quum Spica nardi calore temperato sit prædita, & astringentis cuiusdam qualitatis particeps, quarum facultatũ præstantia, grata redditur stomacho & iecinori, extrinsecus admota & ebibita, vt inquit Galenus libro. 8. de simplicium facultatibus. Paratur absq; syrupis solidiori forma cum solo saccharo, vt simul delectet & iuuet.

Diacyminum Nicolai Myrepsi.

R. *Cymini ad integrum diem aceto infusi & exiccati, drach. octo,* scru-

ſcrupulum vnum.

Cinnamomi. Caryophylli, ſingulorũ drachmas duas, ſcrup. ſemis.

Galangæ. Tymbræ ſeu ſatureyæ. Calaminthæ. Zingiberis. Piperis nigri, ſingulorum drachmam vnã, & ſcrupul. duo.

Ameos. Lybiſtici, ſingul. drach. vnã, grana, xviij.

Piperis longi. Spicæ. Nucis moſchatæ ſingulorum. ſcrup. duo & ſemis.

Mellis Attici aut ſacchari. quantum ſufficit.

FRAGOSVS.

DEnuo oportet in memoriam reuocare, vulgares Nicolai deſcriptiones, vt plurimũ eſſe vitioſas, prę-ſertim ſi cum Græcis conferantur â quibus ſunt tranſcriptæ. Qua de re operepreciũ duxi genuinam My-

repsi compositionem proponere Antidoto. 100.

Cæterùm quum ventriculi frigiditati & intestinorum flatibus conueniat Antidotus, crassiorem postulat contritioné, nisi tamen medicus pro vrina cieda tenuissime tritam requirat. Id quod liquidò docuit Galenus cap. 14. libri. 4. de sanitate tuenda, in suo Diospolitico, quod multum æmulatur alterum Diacyminũ Mesuæi. Verba Galeni sunt hæc: Quam obrem etiam medicamentum quod Diospoliticon vocant, crassius facere soleo quoties deijcere aluum per id studeo. Quidam verò id non intelligens, cum tenuissimum minutissimumq; instar pollinis fecisset, vt aluo deijciendæ nihil contulit, sic vrinam planè multam mouit.

Diospoliticũ Galeni videtur esse ꝙ Mesueus Diacyminũ inscripsit.

Triasantali Nicolai Alexandrini.

R. San-

R. *Santali albi. Santali rubri. Santali citrini. Rosarum. Sacchari, ana. drachmas tres.*

Rheubarbari. Spodij. Succi glycyrrhizæ. Seminis portulacæ, añ. drach. duas scrup. semis, grana quinq.

Amyli. Gummi Arabici. Tragacanthi. Seminũ melonum. Citruli. Cucumeris. Cucurbitæ, añ. drachmã vnam & semissem.

Camphoræ, scrup. vnum & semis.

FRAGOSVS.

A Tribus Officinarum lignis quæ Santali nomen habent, vocata est hæc cõpositio. Hîc notandus Iacobus Syluius qui vulgaria Santala ex Cedro esse potius quàm vera cõtendit, genuina autem tertio ordine frigida, atq; nostratia calefacere, vt Manardus etiam affirmauit. Sed de

Sylu. de Santali natura & tẽperamẽto iuditium.

hoc satis, neq; enim est præsentis loci in simplicium examine tempus conterere. Hanc igitur confectionem Nicolaus Præpositus transcripsit ex Alexandrino, nisi quod Præpositus preter alia semina, semen quoq; scariolæ admisit. In quo grauiter errauit Valerius Cordus, Scariolam proprie vocans Endiuiam illam vulgarem, quæ in dorso foliorũ est spinosa. Cùm enim Officinarum Endiuia, vera sit lactuca syluestris, non video qua ratione, scariola esse posſit.

Error Valerij Cordi in scariola.

Nicolaus Myrepsus Antidoto.213. violæ vnciam mediam adscribit, sic vt tres autores parum admodũ dissentiant.

Nihil tandem animaduersione dignum superest, nisi quod semina frigida à principio cum cæteris misceãtur, vt in cõfectione Diarrhodon superius admonui.

Dia-

Diatrion Pipereon Galeni simplex.

R *Trium Piperum, singulorũ drachmas quinquaginta.*
Anisi Cretici. Thymi Attici. Zingiberis integri & non perforati, singulorum drachmas octo.
Mellis optimi curiose despumati quãtum sufficit, omnibus simul tusis, & per tenue cribrum transmißis admiscetor.

FRAGOSVS.

GAlenus libro. 4. de sanitate tuenda cap. 11. simplex hoc appellauit, quod vtiq; ijs dádum esse ait qui parum cõcoxerunt, & qui recens frigus in ventre habent, & pituitosum succum, siue cruditatis abundãtiam in primis venis. Hoc etiá magis sim-

plex à quo gingiber detrahitur. Cõ-
positũ verò ex eisdẽ cõfici scribit, si
ad cuiusq; trium piperum drachmas
quinquaginta, aliorũ cuiusq; sexde-
cim drachmarũ inijciatur pondus.

Amõmũ q-busdã Cæterùm si piperis figuram spectemus, duæ sunt in vniuersum eius species, rotundũ scilicet & longũ. At rotundum piper aliud caudatum est & quàm acerrimũ, nuper Lusitanis cognitũ, vocantq; pimiẽta de Rabo, id est piper caudã habẽs, quod amomũ esse nõnulli putarunt, aliud sine cauda vulgatũ, & est duplex, albũ scilicet & nigrũ.

Piper caudatũ est. Piperũ electio. Albũ (Galeno docẽte libro citato) eligendũ quod maximũ est atq; plenissimum. Nigrum verò quod nec exile sit nec rugosum nec
„ crassi corticis, sed ex eo quod põde-
„ rosum vocãt, id quod tum maximũ,
„ tum plenissimum est eligatur. Lon-
„ gum verò piper integrũ minimeq;
„ foratũ esse oportet: æque verò & gin-

gi-

giber. nam ambo perforari facile so- ››
lent. Quinetiá non solum non perfo ››
ratũ, sed & verũ illud quod ex barba ››
ris affertur, piper esto. Et statim ad-
dit duplex esse quod adulteratur. Al
terũ quod in Alexãdria maxime cõ- Piper
ficitur. Alterũ quod herbæ cuiusdam longũ
germẽ est. Qua verò ratione possit dupli-
adulterinum internosci, sequẽtibus citer
verbis docet: Principio enim expe- adulte
riendum gustu est, diligenterq; æsti- rari.
mádum an piperis qualitates seruet: ››
postea in aquá mittendũ. Nam quod ››
factitiũ est, si per diẽ totum humore ››
maceretur, illico liquatur, ac solui- ››
tur. Si ergo tũ piperis ei qualitas pla ››
nè inest, nec maceratum resoluitur, ››
sicq; (vt dictũ est) minime foramini ››
bus perfusum: piper id longum ido- ››
neũ iudicabis. Libro etiã de Antido
tis. 1. cap. 22. piper longum fraudulẽ-
ter concinnatum, in aqua similiter
deprehendere docuit, quod enim
fraude

„ fraude caret, indissolutũ manet: Atqui libro de Theriaca ad Pisonem cap.16. quod piper longum sæpe fal-
„ lat, sequẽti sermone exarauit: Iã ve-
„ rò & in pipere oblõgo dolos fieri te
„ ignorare haud quaquã par est, siqui-
„ dẽ nonnulli adulterãtes ipsum, ęqua
„ lem cum vero longitudinẽ habẽs, py
„ rethri vel sinapi modico indito, ita
„ gustus mordacitate gustantẽ fallũt.
„ Verum in his exercitatus, & qui gra
„ dus in cibis, acriusq; gustu nouit de-
„ prehendere, necnõ arboris radicem
„ ei adhærentẽ curiosius inspiciat, ger
„ manũ piper inuenit, & falli ab ipsis nequit. Et libro sibi attributo de sim
„ plicibus ad Paternianũ, Eligimus, in
„ quit, longũ piper, quod quando frãgitur, strictissime granula sua coniũcta habet, & circa suam veluti medullam coherẽtia, quod quę gustum viscide mordet & calefacit.

Non cessat nũc afferri copiosè ex Occi-

Occidentali plaga, piperis lōgi quodam genus, cuius annis exactis in nostro de historia simplicium vtriusq; Indię volumine, aliquam mētionem fecimus. Quod sane commanducatū, pituitam elicit, & Ranunculi modo linguá exurere videtur. Et nisi prorsus integrum in aqua maceratū conspexissem, factitium fortasse iudicarem: tum ob feruētiorem gustū, tum ob granulorū cum pediculo lignoso teneram compagē. An verò pro medicamentis componēdis commodè vsurpari debeat (quáquá ad cōdimēta posit conuenire) id alijs pręfiniēdum relinquo: plura enim piperis vice vsu veniunt Indis, & sapore scilicet & acrimonia non dissimili, quę vix inter genuinas piperis species reponent, qui plantarum & fructum ipsorum historiam penitus ignorant.

Piper longū ex Occidētalibus Indijs

Li-

DE ELECTVARIIS

In Lithon Tripon Nicolai Alexandrini.

FRAGOSVS.

NIcolaus Præpositus ex octaua ponderum parte trãscripsit hoc Electuarium ex Nicolao Alexandrino, quem etiam & fidelius secutus est Arnaldus memor Ameos, Ireos, Amomi & Ligustici, quæ Præpositus omissit. Si ergo Myropolæ communi Præpositi descriptioni, Ammi post Apium, Iridem, Amomum & Ligusticum post mastichem adiecerint, germanam Nicolai Alexandrini confectionem parabunt.

Aduertant tamen vt eam in puluerem tenuissimum redactam sine vllo liquore seruent, si facultatem suam commodè exercere debeat.

Dia-

Diadragacanthum frigidum Nicolai Myrepsi.

R. *Tragacāthæ cādidæ, uncias duas. Gummi Arabici, unciam unā, drachmas duas.*
Amyli, unciam mediam.
Glycyrrhizæ, drachmas duas.
Penidiorum, uncias tres.
Seminis peponis, id est melonis. Cucumeris. Cucurbitæ. Citruli, singulorum drachmas duas.
Seminis urticæ. Papaueris albi, singulorum drachmas tres.
Chaphuræ, scrup. semis.
Sacchari & aquæ quantum satis ut debitur.

FRAGOSVS.

DIfficiliter cōponitur, præsertim si spectes modum confusaneū ex

cipiendi

eipiendi simplicia, & (vt coniector) deprauatum nimis apud Nicolaum Prępositum, qui semina etiam vrticæ & papaueris omisit. Quamobrem adhærendum existimo Myrepsi Antidoto. 98. cuius scripturam recitauimus.

Confice sic: Gummi per se terantur, puluerem glycyrrhizæ paulatim affundendo, deinde semina excorticata, cultello minutim concidátur. Camphora verò seorsum ac leuiter in mortario ducatur. Atqui si penidia non posśint vt decet comminui, licebit saccharum cādum eorum loco subijcere. Insuper quum ex humidis & gustu gratis paretur confectio, pro singulis sacchari libris duę pulueris vnciæ reponētur vt notauit Arnaldus in Antidotario, cap. de melle despumato.

Sunt qui adulterent hanc confectionē amyli accremēto, sed cognoscitur

scitur dolum, vt inquit Platearius, quia posita in ore, farinam sapit. Per annum seruatur.

Diaireos simplex.

℞. *Iridis, vnciam semissem. Sacchari candi. Specierum diadragaganti frigidi, an. drach. duas. Sacchari albissimi quod satis est.*

FRAGOSVS.

ANtidotum Diaireos simplex vt multis familiarissimũ, ad vsum seruari oportet, nisi forte contigerit compositum medico desiderari, ex Nicolai descriptione.

Cæterùm non desunt qui in hac compositione Ferdinandum de Sepulueda secuti, iridis radicem decoquant per duas horas, & proiecta aqua, aliam inijciant, tertiò idem fa-

cientes vſquequo amaritudinem deponat: quam poſtea in frigida lauāt, & cribro tranſmiſſam, ſaccharo immiſcent. Id quod ſuperuacaneū exiſtimamus, nam vi coctionis, calor iri dis & extenuans ipſius facultas, non parū remittuntur. Quare ſiccata radix & trita imponetur, vt Platearius ſenſit, neq; enim erit alijs mixta guſtui ingrata.

Si quādo tamē Diaireos cōpoſitum medicus requirat, cōfuge ad Nicolaū Prępoſitū, qui ab Alexādrino integrè in Antidotarium ſuum tranſpoſuit. Verùm cùm abſq; melle in forma ſolida parari fuerit ex more, non erit à ratione alienum, caryças, dactylos & paſſulas omittere Actuarij imitatione, cap. de Antidotis idem fermè ſcribentis. Præter id etiam quod cum ipſis paratum medicamētum, citiſsimè rancore vitiabitur. Saccharum igitur in aqua roſarum diſſo-

dissolutũ accipies (aduertente Antonio Foesio) siquidẽ mel, vt nuper dicebamus, solidę compositionis materia esse non potest.

Manus Christi perlati.

R. *Margaritarum splendidarum, unciam semissem.*
Zacchari albißimi & solidißimi cũ aqua rosacca dissoluti, libram semissẽ.
Formentur rotulæ.

FRAGOSVS.

HAnc cõfectionẽ oportet semper paratã habere ex Antonio Guaynerio differentia. 2. tractatus. 4. cap. 4. de cura quartanæ à melancholia sanguinea prouenientis, quę Manus Christi perlati cognominatur, componitur enim absq; Margaritis cum Sacchari optimi in aqua rosarũ dissoluti libra vna. Vniones igitur siue Margaritæ in mortario operculato

confringuntur. mox ſuper lapidem Porphyrium exquiſitiſsimè fricantur. deinde ſaccharum cum aqua roſarum diſſolutum coquitur, & formantur tabellę.

Diamargariton frigidum.

R. *Margaritarum, drach.* vj.

Corallij rubri. Roſarum rubrarum, an. drach. iij.

Coriandi præparati. Tragachāti. Gūmi Arabici. Glycyrrhizæ. Doronici. Trium ſantalorum, an. drachmam j. *ſemiſsem.*

Spodij. Raſuræ eboris. Cornu cerui vſti & loti cum aqua roſarum. Oſsis de corde cerui, an. drach. j.

Camphoræ, gran. xv.

Serici crudi. Ligni aloes. Seminis portulacæ. Seminis acetoſæ, an. drachmam, j.

Pan-

Pannorum aureorum, x.
Fiat puluis.

FRAGOSVS.

PLatearius in additione sup Diamargaritō calidum Nicolai Præpositi, duas assignauit Diamargaritonis frigidi descriptiones: quamuis margaritarum à quibus denominatur, neutiquam meminerit in prima, quam secutus est Bernardus Dessenius. Similiter fecit Cordus & Clusius, nisi quod hi margaritarũ drachmas tres, illi addiderunt. Memini legisse in primo tomo Centuriarum Amati Lusitani, aliud Diamargarit. frigidũ, quod Valentiæ ac Hispaniæ medicis, familiare esse scribit. Constat autẽ multo maiori sumptu, quũ præter cætera, Zaphiros, Hiacynthos, Smaragdos, moschũ & ambarũ adijciat. Sed inter hæc propositum

Antidotum mediocritatem seruat, nec viribus est infirmius.

Coriandri præparatio. Coriandri præparationem docuit Chiricus de Augustis in suo Thesauro aromatariorũ super Trochiscos de Spodio cum semine Acetosæ, vbi ait: Coriandrorum semina bene lauentur cum aqua communi, vt ab eis puluis amoueatur: & per tres dies in aqua permittatur mutando quotidie aquam: postea colletur, & in forti aceto permittantur per quatuor dies quotidie mouendo cum manu: postea colentur & superponantur succi Cydoniorum & aquæ rosatæ añ. partes æquales, & per duos dies intus permittantur, mouendo quotidie & sæpe cum manu. Postea colentur & soli ad exiccandum apponantur, & sic præparati dicuntur.

DE ELECTVARIIS purgatorijs.

In

In Diaphœnicum Mesuęi.

FRAGOSVS.

MVlta sunt in hoc Electuario de quibus ambigunt Myropolę. Primum quales dactyli sunt deligēdi, an ponderādi aceto macerati, vel priusquam macerentur. quales amigdalæ sumendę, & an penidia, dactyli & amigdalę, in mellis serie poni debeāt, aut seorsum potius suo pōdere ab autore prescripto assumenda. Ac postremo quantum mellis sit inijciendum. Quāuis circa rutæ exiccationem & Turbit trriturā, adhuc sit nonnihil controuersiæ. Vt igitur omnia ordine absoluamus, dactyli fului siue immaturi sunt intelligendi, Kheyron enim vox tales exposcit vt Syluius interpretatur, chyrrus Græce legens. Eo autem nomine immaturi sunt aptiores, quòd magis

Dactyli q̄les sūt deligēdi.

astringant: nam mediocris astrictio alijs purgatorijs mista, efficatius mouet, Galeno teste. 3. simplicium medicamentorum, cap. 14.

Dactyli à ponderari debeant antequã aceto macerẽtur.

Non sunt ponderandi priusquam aceto macerentur, sed antea macerati, vt in hac confectione, & libro simplicium, capite de Turbit ex Ioanni tio plane iubet. Ratio autem conuincit, quando si (quod alij sentiunt) prius ponderarentur, valde multa dactylorum copia esset, aliorum ex quibus fit medicamentũ proportione. Neq; obstat quod arguũt fore maiorem copiam aceti quàm dactylorum, id enim est inter alia quod pharmaci actionẽ longè adiuuat, vt crassos pituitososq; humores trahat, quã maior dactylorum copia trahi non permittat. Neque nostram conuellit sententiam, quod aiunt, Serapionem & Auicennam post præscriptũ eorum pondus iniundere, & nõ antea,

quando

quando longè ab ijs differt Mesuæi compositio.

Penidia ex hordei decocto parentur, talia enim Sahari interpretantur Arabici Idiomatis professores.

Penidia quaelia esse debeāt

Ex amigdalis verò, etsi amaræ sint dulcibus magis medicamentosæ, vt inquit Dioscorides, dulces tamen absolutè positæ semper intelliguntur, vt apparet in Electuario Regum, in Loch sano, & in Electuario boni saporis, in quibus dulces requirens autor, simpliciter amigdalas scripsit. At in Dialacca magna, & in Loch de pino, amaras expressit tanquá illis confectionibus magis inseruientes. Præter hæc, ratio etiam persuadet, vt hîc dulces deligantur, quę sic citatis noxam à Turbit contractam magis corrigant, cuius gratia amigdalas existimo recipere. Mesueum in præsenti Electuario. Verùm cum Dioscorides dixit minus valere in

Amigdalæ absolutè positę quales sūt intelligēdæ.

remedijs quàm amaras, id intelliges in vniuersum, factaq; ex vtrisq; comparatione. Nec minus obstat Mesuęus, cap. 3. de rectificatione medicinarum cum ait: Res autem
„ amara adiuuat in soluendo & est
„ de bonis miscibilibus, loquitur e-
„ nim (vt idem inferius exposuit) de acutis & vehementer purgantibus, confectio verò de dactylis, est medicina securitatis, & est solutiuum facile & conueniens, eodem testante.

Turbit tritura.

Ceterùm quãquam in vniuersum purgãtia medicamenta crassiusculè teri debeant, nihilominus Turbit tenuiter hîc conterendum, vt vis eius celerius per crassos ac lentos humores permeet. Cuius rei testis est Serapio cap. 330. simplicium suorum sic scribens: Et si vis dare ipsum ha-
„ bentibus phlegma viscosum & te-
„ nax, tere illud subtiliter & cribra, vt ipsum

ipsum adhęreat phlegmati & expel „
lat ipsum. „

Rutæ folia quæ domestica est exiccari oportet ex Galeni censura 4. de sanitate tuenda, cap. 10. sic scribentis: Sunto verò rutę folia modicè desiccata, vt enim si plusculum exic „ centur, acria amaraq; reddũtur & su „ pra quam par est calida, sic si pror- „ sus non sicces, excrementitiũ quen- „ dam humorem retinent nondum „ ex toto concoctum, cuius vitio flatum discutere minus possunt.

Rutæ folia qualiter sic cãda.

Circa penidiorum, dactylorum & amigdalarum computationem, visum est monachis Mesuęi censoribus, vt nec ponantur ratione mellis, neque ratione puluerum, sed vt seorsum intelligantur. Consultius est tamẽ penidia & reliqua mellis locum supplentia (vt saccharum) in mellis locum reponere, secus enim nõ adeo fęliciter purgatio cedet. Amigdalæ

quę

quæ puluerari quadantenus possũt, pro puluere computentur. Dactyli qui nec pulueris aut mellis formam admittunt, seorsum paratis reliquis, suo pondere assumantur.

His ita cõstitutis quia Mesuæus de certa mellis mensura nihil firmi in hoc Electuario definiuit, multi ambigunt quantum mellis sit assumendum. Bernardus Dessenius, mellis cocti atq; expumati libras duas, aut circiter, ex vncijs duodecim cõstátes ponit, partesq; in medicamento drachmas vertit. Peritissimi pharmacopæi vsu longo obseruasse testátur, tribus generatim puluerum vncijs vni mellis libræ commistis, Electuarium mediocrem assequi consistentiam. Attamen Ioannes Costa in expositione super Electuarium de Aromatibus, acriter contendit vulgatam hanc cõsuetudinem, nulla ratione aut autoritate fulciri, parũq; in-

intereſſe in non purgantibus plus mellis aut minus addere, in purgatorijs verò plurimum referre, ſubindeq; dandam eſſe certam normam. Præſertim quod autores contra docere videantur: nonnumquam enim mellis quadruplum (collato ſcilicet ſpeciebus melle) aſſumũt, vt in Diamoſcho dulci & Philonio ex inuentione propria Meſuęi: quandoq; triplum, vt in Triphera magna Auicẽnæ: interdum tantumdem, vt in Hierapicra nonnũquam fieri idem Auicenna teſtatur: aliquando etiam ſexcuplum, vt in Diacydonite purgatorio Meſuæi, diſtinctione.3. in quo binis ſpecierum vncijs, mellis librá vnam adiungit. Hanc tamen litem alijs interea dirimendam relinquo, neque enim citati Coſte (alias doctiſsimi, acerrimiq; iuditij) tantum arriſit definitio, quantum ipſius cõtrouerſię excogitatio.

In

In Electuarium, ex succo rosarũ Nicolai Prępositi.

FRAGOSVS.

NIcolaus Præpositus ad verbũ ex Alexandrino trãsposuit in Antidotarium.

Dacrydiũ. Dacrydij vox scammonium simpliciter, citra præparationem inquá significat hîc & in alijs Mesuęi aut Nicolai compositionibus ad tempus seruãdis, reliqua enim componẽtia simul cum tempore castigant, vimq́; medicamenti hebetant. Cûm autem autores scammonium pręparatum requirunt, ipsi declarant cum aiunt: *Scãmoneæ coctę in pomo vel in cydonio*. Cuius sententiæ fuisse videtur *Serapio*, cap. 303. simplicium dicens: *Sed illa quę est assata cum Cydonio & in pasta in furno quando superuenit longum tempus super eam, amittit virtutem suam.*

Et

Et propter hoc oportet, vt prępares eam solum tunc quãdo vis illum administrare.

In Electuarium rosaceum Mesuęi.

FRAGOSVS.

OMnibus est familiare hoc Electuarium, nec futura est Officina quæ illo careat: cum pręsertim ad vsum pilularum aggregatiuarum, & ex hermo dactylis, sit nimis necessarium. An verò coquendum sit Scãmonium cum alijs ne coeat, multi hactenus dubitarunt. Sunt qui dicãt nequaquam coqui debere, talemq; fuisse autoris mentem, vt ea tantunmodo decoquãtur, quæ sustinent alterationem calidi agentis, ac proinde post aliorum cocturam, sub forma pulueris immiscendum esse. Cæterũ prę-

Scamomonium an coqui debeat.

præter autoris institutum faciũt qui Scammonium in puluerem redactũ postremo addunt loco cum speciebus. in coqui enim iubet omnia Mesuęus leui & pauco igne, Scammonij pręsertim gratia: quando reliqua nõ ita refert quali coquantur igne. Pręter id quod Scammonij coctio, est eiusdem præparatio quędam, vt sępe in suis Canonibus docuit autor. Sed quo pacto coquendum sit, ne in grumos cocat, dicemus in confectione Hamec.

Demum quum ipse Mesuæus duas formulas trochiscorũ de spodio, totidem ex Gallia, & de Berberis pręscribat, singulorum primam ex vulgata consuetudine, deliges.

In Diacatholicum Nicolai Prępositi.

FRAGOSVS.

Ni-

NIcolaus Myrepſus & Alexādrinus diuerſimode huius Electuarij contextum recenſuerunt. Lōgus tamen vſus, Præpoſiti compoſitionem comprobauit. Quamuis ſciā nō deeſſe qui hac relicta ad Myrepſum cōfugere tentent, Turpetum, id eſt Turbit, recipientem pituitæ purgatorium: cuius occaſione catholicæ hoc eſt vniuerſalis, ſeu omnes humores purgantis nomen, illam mereri dicūt, minimè autem vulgarem, quæ Senæ ratione atrā bilem, ac vi Rhabarbari flauam purgare poteſt. At verò ſi conſulas Meſuæum, Rhabarbarum inquit bilem & pituitam trahere: Senam autem per inferna bilē tum atram tum flauam: &, vt Actuarius ait, non bilem tantum, ſed etiā pituitam citra noxā deijcit: quod ſanè experiētia cōprobatur. Sileāt igitur qui Prępoſiti Electuariū dānant, ac ſi non omnes humores purgaret. Sena oēs humores purgat.

Sena mũdata qd vocetur.

Cæterùm per Senã mundatam, nõ à granis (vt nõnulli interpretãtur) intelligo (nã & hęc, Cõrado Gesnero Tigurino autore libro de delectu medicamentorum, vehementer purgãt) sed à re quapiã extranea & aliena. Quinimo & si folliculi Senæ in quibus semen includitur preferantur à Mesuæo (ea tamen lege vt recẽtes sint & non caduci quales ad nos asportari solent) consentaneũ erit folia identidẽ subijci posse, quę nõ minori purgandi potẽtia prędita sunt.

In Antidotum Hęmagogon Prępositi.

FRAGOSVS.

HAnc Antidotũ multi attribuunt Nicolao Alexandrino, sunt qui Myrepso, & alij Præposito: inter quos non reperio multum dissensio

nis

nis, etenim omnia simplicia & pondera fere sunt eadem, preterquam quod quinq; simplicium principij, ana drachmam. j. & grana. vj. habet Præpositus, Myrepsus verò & Alexãdrinus pro drachma. j. scrupulum ponunt. Verè tamen Præpositi compositionem optimam & incorruptam arbitror, ac retinendam esse suadeo.

Cauendum est tamen ab errore tenentium quod in medicamentis soluentibus, casia lenitiua intelligenda est vbi simpliciter describitur casia aut casia fistularis, in reliquis aromatica, nam Hierapicra Galeni descriptione Nicolai (quæ casiam fistulam recipit) euidentissimè ostendit, odoratam admiscendam esse. Credẽdum itaq; est, omnibus medicamentis ab Arabibus inuẽtis quę casiam fistulã recipiunt, solutiuam esse inserẽdam, vt in syrupo fumiterræ maiori, in

Casia simpliciter posita qd denotat.

medicamine Hamec Mesuæi, atq; in Diacastorio & Diacosto Nicolai. Si tamen in Græcorum scriptis (relicto Actuario & Nicolao Myrepsico qui à Mauritanis multa mutuati sunt) casiafistula inueniatur, aut in Arabum compositionibus à Gręcis transcriptis, casiam odoratā Dioscoridis & Galeni semper iniiciendam cēsemus, vt apparet in præsenti Antidoto, item in Athanasia, & in Hiera Cōstantini, quæ Xylocasiam etiā recipit.

Animaduertendum insuper quod tametsi rationi cōsonum appareat, helenium loco ellebori recipi posse in hac compositione iuxta castigationē Fuchsii in Nicolaū Myrepsum & Bernardi Dessenij in Alexandrinū, minime tamen à codicis serie discedendum censeo, elleborum nigrū exprimentis, cuius virtus (etsi vehemens sit) admodū est necessaria huic

Antidoto, Hemagogo dictę, quia sanguinem menstruum proliciat: scribēte præsertim Dioscoride, quod menses trahit & partus enecat. Ratio etiam suadet, nam si asarum menses trahit & veratri modo purgat, vt ipse Dioscorides inquit, aut asarū est â compositione delendum, aut helleborum simul reponi conueniet.

In Benedictam laxatiuam Nicolai Prępositi.

FRAGOSVS.

ADeò indiscriminatim Benedicta describitur ab autoribus, vt quis merito dubitare posſit, cui potius sit adhærendum. Proinde veterem Præpositi vtpote longa cōsuetudine probatam lectionem retinendā cōsulo.

Cæterū vehemēter errāt qui discedētes à legitima descriptione huius

Electuarij diagridij hoc est scámonij, drach. v. recipientis, non drachmas sed scrupula potius intelligunt, secuti fortassis opinioné cuiusdá Nicolai, aut Dispensatorij, aut alterius, quicunq; tandé is sit: obijciunt enim eo tendere hanc confectionem, vt humores pituitosi euacuentur, quos nõ attrahit Diagridiũ. At verò quáquá Diagridium per se bilem purget, ex mixtioné tamen simplicium hác cõ positionem ingredientium, resultat qualitas seu vis phlegmaticorum humorum deiectoria.

Esula apud Nicolaum qd vere sit.

Nec oportet hîc esulá relinquere vt quidá faciũt Arnaldũ Villanouanũ insequẽtes, quòd non animaduerterint hactenus, quid verè per esulá intellexerit Nicolaus: apud qué nihil aliud est quá chamæpytis seu yua artetica officinarũ, vt exponit Leonartus Fucsius Antidoto. 30. in Nicolaũ Myrepsicũ, cuius verba hæc sunt,

Nico-

Nicolaus esulá non tithymali spe- „
ciem, sed potius chamępytim vocat. „
Sic etiá in dictionũ Nicolai interpre „
tatione scribitur, esula est chamæpy „
tis. Quantum autẽ hoc habeat veri-
tatis constabit, si conferas vires Ele-
ctuarij & ipsius chamæpytis. Etenim
de Benedicta inquit Nicolaus quod
valet ad Guttá arteticá, ad podagri-
cos ex frigiditate, & quod renes & ve
sicá purgat. Galenus verò libro. 8. de
simplicium facultatibus, eadem ferè
de chamępyti, insinuauit, inter alia
scribẽs, vrinę mouendę medicamen
esse, & in melicrato decoctá exhiberi
ijs qui coxẽdicis doloribꝰ torquẽtur.

Circa semen rusci & asparagi, sunt
qui intelligant solam carnem & pul
pam eorum, reiectis nucleis osseis, vt
Cordus. Alij solam cuticulam demẽ
dam censent ex Celso libro. 5. cap. de
Emplastro ex baccis lauri. nos verò
integrũ semen recipiẽdum volumus

 siqui-

ſiquidem qui nihil excludit totũ dicit, quum præſertim, ſemen à ſeminando dictum videatur, ſemenq; ſit quod terræ immiſſum, ſimile producit, vt cenſent rei ruſticæ ſcriptores.

In Hierampicram Nicolai Prępoſiti.

FRAGOSVS.

VArias Hieræ compoſitiones tradiderunt autores, ex quibus in vſum vertimus hoc tempore Hierá Logadij & Hieram ſimplicem Galeni (de quibus mox dicemus) & Hieram magná eiuſdé ex Nicolao Præpoſito, cuius nunquam ſit mentio in Galeni libris niſi apud eos qui ex ipſius ſcriptis ſeſe eam mutuaſſe cõfitentur. Itaq; Nicolaus Alexandrinus cap. 405. & Nicolaus Myrepſus ſectione. 23. de Hieris, numero. 7. ad eun-

eundem modum ex Galeno comme morant, quo Nicolaus Præpositus scripsit, amaram vocans & falsò etiá Galeno acceptam referens. Fit ex sedecim rebus citra aloem & mel.

Hiera Logadij Aetij.

R. *Medullæ Colocynthidis sextantem & unciæ dimidium.*

Scillæ assatæ. Agarici. Ammoniaci thymiamatis. Thymi. Scammoniæ, singulorum drach. xx.

Corticis verati nigri. Hyperici, utriusq; drach. x.

Epithymi. Bdellij. Polypodij sicci. Aloes. Chamædryos. Marrubij. Casiæ, singul. unciam. j.

Myrrhæ troglodyticæ. Piperis albi. Piperis longi. Piperis nigri. Cinnamomi. Croci. Opopanacis. Sagapeni. Ca-

storij. Petroselini. Aristolochiæ longæ, singulorum drach. iiij.

Excipe melle. Dosis perfecta sunt. drach. iiij. media. iij. minima. ij. adijce ad dosim dum exhibiturus est, salis tenuissimè triti cochlearij dimidium.

FRAGOSVS.

NIcolaus Præpositus huius nominis Hieram composuit, cuius est vsus in plerisq; officinis. Cauendum tamē ab errore Caroli clusij qui eam transcribens in suo Antidotario, scā moneam præparatā vertit pro Diacrydio Nicolai: quæ vox lachrymā ipsam, ceu scammoniam simpliciter dictam, verè significat. Ceterùm visum nobis est hanc ex Ætio descriptionem (Tetrabibli primæ, sermone. 3. cap. 111.) indicare, paratu quidē faciliorem nec minus efficacem: quā in

in posterum (si libuerit) parare licebit pharmacopolis. Si tamen vulgarem ex Nicolao composuerint, non eos fugiat, centaurij, agarici, ammoniaci thymiamatis, folij, scillæ, spicę dacrydij singul. vnciam vnam Myrepsum recipere in secunda eiusdem nominis confectione, Præpositum drachmam tantum.

Hiera simplex Galeni.

R. Cinnamomi, Spicæ nardi. Xylobalsami. Mastiches chiæ. Asari, singul. drach. vj.
Croci, drach. v.
Aloes electæ drach. xc.
Omnibus tritis & in puluerem redactis, deinde mellis quantitate sufficienti exceptis fiat Electuarium.

FRAGOSVS.

GAlenus varijs in locis variatimq; Hieram simplicem describit, vt lib.

lib.7.Methodi.6.de ſanitate tuenda, lib.de ſanguinis miſsione, & .8.de cō poſitione pharmacorum localiū. Cęterùm libro.2. eiuſdem tractationis cap.1. de his qui ex ſtomacho caput dolent,non vt inuentor,ſed vt autor præcipuus, legitimam deſcriptionē ex pfeſſo docuit, his verbis ſcribēs:
„ Quorum optimum remediū eſt ex
„ aloe pharmacum,quod aliqui picrā,
„ hoc eſt,amarum,aliqui Hierā,id eſt,
„ ſacrum ex aloe appellant: inq; eius
„ compoſitionem aloes drachmas cē-
„ tum conijciunt, & ſex vniuſcuiusq;
„ reliquorum, quorum etiam ſex nu-
„ mero exiſtunt,cinnamomum, ſpica
„ nardi,Xylobalſamū, maſtiche chia,
„ aſarum,crocus. Præſtātius autem fit
„ pharmacum vbi minus de aloe addi
„ tur. Viſum namq; mihi eſt,nimiam
„ eius copiam centum drachmas eſſe,
„ ad proportionem reliquorū quibus
„ hæ addantur,quapropter etiam per

xc.

xc. drachmas ipsum cõposui, & per „
lxxx. Quin & per pauciorẽ aliquãdo „
crocũ, propterea quod quidã ex eius „
vsu capite lædãtur, quod ipsum sępe „
ex solo croci odore ꝑpetimur. Quare „
optima eius fuerit cõpositio quæ „
ex Aloes drachmis xc. & croci drach „
mis. v. cõstat, hac ego vtor. „

Huius Hierę autorem fuisse Antonium Musam qui Tiberij tẽpore vixit, Scribonius affirmat cap. 110. quãuis Galenus in Andromachum referat, qui ætate Neronis fuit.

Sed quia multi quęrũt, qualis attritio huic Hierę aptior sit (docẽte Galen. 8. libro de cõpositione pharmacorũ secũdum locos, per tenuissimũ cribrũ excipiẽdam esse, cõtra tamẽ, purgantia medicamenta crassiorem postulare trituram vt idem Galenus exemplo Diospolitici libro 4. de sanitate tuenda scriptum reliquit) respondendum dupliciter confectam

ser-

seruari oportere hanc Hieram à Myropolis, scilicet tenuissimè tritam ad vteri affectus, ad menses, vrinamque ciẽdam, & ad hydropicorum vsum, iuxta Galeni doctrinam loco citato de Hiera Themisonis, crassiorè verò ad purgationem vitiosorum succorum.

Diaturbit Rhazis.

R. *Turbit electi, drachmas. xx.*
Sacchari. drachmas. xxx.
Zingiberis, drachmas. x.
Fiat puluis.

FRAGOSVS.

Fieri solet cũ Rhabarbaro descriptione Montagnanæ. Fit & sine eo simplicius sub forma proposita ex Rhaze, lib. 9. ad Almásorem cap. 71. quem imitari frequentius cõueniet.

 Pur-

Purgat humores pituitosos & crassos à vētriculo & partibus remotis. Dosis est vsque ad drachmas, iiij.

Diacartamum Guidonis.

R. *Pulueris Diadragaganti frigidi, vnciam. j.*
Carnium cytoniorum cōfectarum cū saccharo, vncias, ij.
Zingiberis albi. Hermodactylorum, añ. drachmas, iiij.
Medullæ cartami, drachmas, vj.
Diagridij, drachmas, iij.
Turbit electi, vnciam, j.
Mānæ granatæ. Mellis rosati despumati, añ. 4. semis.
Sacchari, vncias, xvj.
Fiat Electuariū. Dosis est, drach. iij.

FRAGOSVS.

FRequentes sunt apud Arabicę familiæ autores Diacartami seu Diac-

Diacnici descriptiones, nec parũ ambiguitatis & confusionis habentes. Vnde fit vt Officinæ ob multiplices tum huius, tum aliorum medicamẽtorum formulas, in multis errorum periculis versentur. Reliquis tamen omissis deliges, quam Guido Cauliacensis descripsit tractatu.6.doctrina 1.cap.1.de Gutta & dolore.

Cæterùm mirum dictu quantum torqueantur seplasiarij circa põdus mannæ & mellis, sit ne quartum vnciæ vnius, aut libræ, potius intelligẽdum. Nam si quartum vnciæ intelligamus, id erit, drach. j. quod parum videtur, si quartum libræ, id est, vncia vna & semis, quod plurimum apparet. Consentaneum tamen esse iudico, quartum vnciæ inijciendũ esse, quamuis parua dosis appareat, hoc enim non solet remorari in alijs cõpositionibus, siquidem in confectione Litontripon Nicolai legimus inter

ter alia, olei muscellini scrup.j. & grana.4. Preter id quod pondus precedens reliquorum simplicium, non est libræ sed potius vnciæ dosis.

Diasenna Nicolai.

FRAGOSVS.

NIcolaus ille Mesuęi quē Prepositum nūcupamus, duas Diasennæ descriptiones assignauit, in quarū prima vulgaris vsus, neutiquā discordat à Nicolao Alexandrino. Nequaquam tamen accedendū est Appolini Francisco ab Alexandris, qui suo Radio.1. caliginem inducit huic compositioni, dū Folij, & gariophyllorum, legendum esse contendit, bis enim & sub eadem dosi gariophylli repeterentur, quod est absurdū. Aut Folium igitur Gariophylli arboris (quod Lauri folijs assimilatur) intel

ligere oportet, aut rectius (depris gariophyllis in secunda dictionis parte positis) Malabathrũ per Folium intelliges iuxta præscriptionem Caroli clusij. Præter id quod Nicolaus Myrepsus Antidoto e Sena C 12, Folij tantum mentionem fecit absque gariophyllis, quorum antea meminerat.

Setæ vstio. Sericum, iuxta Seruitoris codicem sic vres. Folliculi recentes eiusdem
„ anni aperiantur & exemptis vermi-
„ bus mortuis vrantur in olla obtura
„ ta lapide & carbonibus leuibus im-
„ positis, idq; non vt in cinerem redi-
„ gantur, sed eximátur cum ea acces-
„ sit vstio, vt commodè teri possint.

In Confectionem Hamec Mesuęi.

FRAGOSVS.

Primam

PRimã huius nominis cõpositionẽ apud Mesuęum, publica multorum annorũ cõsuetudine. sequuntur omnes, pręcipuè cùm falsi careat suspicione. Nec desunt illi in quibus adhuc hæreant pharmacopolæ nostri. Primum an è Myrobalanis sint auferendi nuclei cõtra Platearij sententiam? Alterum, quum serum lactis assumit de infusione agẽs autor, non declarat quod serũ eligendũ sit; & an secerni debeat oxymellite, sicus lacte, cinnara, aut similibus, aut qua mensura accipiẽdum? Tertium an per quinq; dies molienda sit infusio; cum serum tam lõgo tempore soleat acescere & corrumpi, & an dies cõnumerãdi sunt ex duodecim horis (vt voluit Antonius Musa) an ex quatuor supra viginti? Quartum, si Rhabarbarum modicam decoctionẽ sustinet, an sit melius ipsum seorsum infundere [deinde postquam

bullierint alia ipsis immiscere) quã cum ceteris simul infundere & deinceps coquere vt pręcipit Mesuæus? Quintum, quum iubeat infusa manibus fricari, an fricanda omnia & casia & tamarindi, an aliqua tantũ, atq; id an fieri debeat oleo rosarum aut amigdalino? Sextũ cur Scammoniũ coquendum pręcipit, si deprehẽsum est plurimorum obseruatione, coire in grumos dũ coquitur? Adhęc, quare casiam & mannam in medicamẽto coquit, si in Canone de modis co-
" ctionis dixit: Verùm neq; per decoctionem fit iuuamentum in his quæ
" soluunt leniendo & lubricum faciẽ-
" do? Postremo an agaricum, rhabarbarũ & colocynthydem ligata conueniat sero immittere?

Myrobalani an sint enucleandi.

Hęc igitur sunt ambigua in hac confectione quæ breuiter absoluentur, à Myrobalanis incipiendo. Hos itaq; enucleare oportet, vt scribit Cronem-

nemburgi is, tum in hoc Electuario, tum, alibi quoties per pondus & non per numerum scribuntur, quanquam in alijs fructibus minoris momenti, & qui parum cortice aut carne regũtur, id non soleat obseruari.

Pro secundo, S rum cum Mesueo cap. de aqua lactis, caprinum est preferendum, vtpote nec nimis dilutum nec crassum, sed consistentia mediocre, aut eius inopia ouinum. Recenter autem emulctum sit, boni odoris & saporis. Quod verò in medicinę vsum cũ oxymellite secerni debeat, retulit Galenus. 4. de ratione victus in morbis acutis his verbis: Sed sanè solo vti sero poteris per oxymeli ipsum vbi lac ante coxeris separás, vas quoq; ęneum frigida plenum aqua continenter in lac demittes. Nam & hæc si probè fiat demissio, serum à caseo separatur. Ætius verò libro. 2. capite 96. eius eliciendi rationem sic

Serũ quale sit deligẽdũ.

„ docuit ex professo: Lac in ollam fun„ ditur, sed non ouillum neq; suillum, „ vtrunq; enim ineptum est ad serum „ detrahendum, coquiturq; igne côci„ tatiore, & assiduè ac æqualiter mo„ uetur, & vbi efferbuerit, à motu ces„ setur, & vbi adhuc amplius efferbue„ rit, aqua frigida in pròpiu sit in pro„ fundiore quodá vasculo sita, in quá „ olla in qua lac coquitur immititur: „ statim enim sedatur. Sedato autem „ feruore, rursus coquitur, & vbi ef„ feruescit, acetum mulsum aut aqua „ mulsa bis aut ter irroratur: quo fa„ cto caseus statim à sero disparatur, „ serum itaque mox per panniculum „ excolatur. Vbi igitur crassas & pi„ tuitosas superfluitates abundare su„ spicatus fueris, acetum mulsum ir„ rorabis: vbi acres & biliosas, aquam „ mulsam. Quin & immisso in ollam, „ postquam lac bis aut ter efferbuerit, vase

vase frigidissimam aquam habente, „
fissuram ac secretionem facimus. hæc „
Ætius. „

Sed quantum aceti mulsi pro lacte Quãtitas oxymellis pro lacte.
sis recepturus, habes apud Dioscoridē libro. 2. cap. de lacte, ex cuius doctrina (vt colligo) vncijs nouem lactis, proportione respondet vncia vna & media oxymellis.

Verùm quia seri mensuram pro rebus infundendis iuditio pharmacopæi commisit autor, visum est suffi- “
cere vt rebus infusis, serum quatuor “
digitis superemineat. “

Pro tertij satisfactione occurrunt “
duo inter alia, seri corruptionem in quinq; diebus prohibentia, alterum est (testante Costa) vt quotidie ollam sæpius agites, alterum vt leui calore ad præscriptum vsq; tempus semper foueas. id quod Mesuę menti consentire videtur, occludi ollam iubentis ne quid expiret, quum ex

 frigi-

frigido sero nihil exhalare possit sed ex calido. Præter id etiam quod serum oxymellite extractum, ob mellis & aceti vires à putredine diutius vindicari potest.

Dies verò infusioni dicati, naturales sint oportet ex viginti quatuor horis, si Galeno credimus libro.7.de compositione pharmacorũ partiũ, cap.de confectione ex capitibus papaueris sic dicenti: Præmacero autẽ ea non ad triduum, sed ad vnam diem. Accipienda est autem in omnibus huiusmodi sermonibus etiam nox.

Attamen vt quartũ prosequar, dicendũ minime opus esse vt Rhabarbarum seorsum infūdas vel coquas, nam vbi ad statutum tempus reliqua macerata fuerint, tunc vbi feruere primum cœperint, remouẽda sunt vt præcepit Mesuęus, quo pacto atq; vnico feruore, Rhabarbari facul-

tas non poteſt reſolui.

Ad quintũ respondetur, quod percolato ſero addere oportet caſiam cũ tamarindis & mãna, hæcq́; in eo manib9 aut rudicula accuratiſsimè diſſoluenda. & iſta fricatio eſt quam autor petit, relictis oleorum figmentis & imaginationibus.

Scammonium verò (vt ſexto ſatiſfaciamus) ſi optimum ſit & in frigidum ſerum conijciatur, agitandoq́; diligẽter commiſcueris & lento igni exponas, vt idem autor in Electuario roſaceo docebat, concreſcere nõ poterit. caſiam adhęc & mannã coquere iubet, nõ quod fiant coctione meliora vt acuta & vehemẽtia quibus comparantur in canone citato, ſed quia cùm nihil bonitatis amittant, præſtantius ſit medicamẽtum. Quinimo ipſe Meſuæus cap. de mãna, eandem coctam commẽdauit, & citius operari ſcribſit.

Scammoniũ an cõcreſcat in coctione.

Tādem agaricum, rhabarbarum & colocynthidem, an ligata sero misceantur necne, nō multum interest (vt opinor) quamuis Ioannes à Sepulueda, colocynthidē saltem ligare admoneat.

In Electuarium Indum minus Mesuęi.

FRAGOSVS.

Minus hoc dicitur maioris quod præcessit respectu. Minus tamē est in vsu frequentius, quia efficatius purgat pituitā & bilem mistam nec adeò calefacit: taleq; absolute positū intelliges. Caue tamē ne in huius Electuarij constructione decipiaris Valerij Cordi Dispēsatorio, in quo Turbit drachmæ sex, pro centum ponūtur: Qui sane turpissimus error calcographo potius attribuēdus, quàm

viro in medicamentorum compositione exercitato.

Sed quod ad componendi modum attinet, mellis despumati libræ tres medicinales & unciæ quatuor satis esse videntur.

DE PILVLIS ANImaduersiones.

PRÆFATIO.

PIlulæ seu catapotia medicamenta sunt vt corpus expurgent potissimùm confecta. Quamuis interdum intra corpus sumātur vt sensus stupefaciant, catarrhos tollant, tussimq; leniāt. Dictæ autem sunt à potu catapinin quod est deuorare, deglutire vel bibere, quoniam integrè vsurpantur, vt testatur Scribonius Largus.

Fiunt ex siccis medicamentis tri-

tis, deinde cũ cõuenientibus liquoribus in massá redactis, quá papyro inuolui cõuenit. postea vsu postuláte, massæ cõteritur quantũ sufficit, & cũ succo aliquo cõformatur in pilulas.

Tritura pilularũ. Traijci debẽt pulueres pilularum per crassius cribrũ, vt eorũ sustantia in ventriculo manens lõgius, ex partibus distantibus potẽtius trahát, & expurgent.

Duratio pilularum. Durant vt plurimum per annum, quæ purgantes sunt: quamuis teste Serapione tractatu. 7. cap. 34. ex duobus ad sex menses operentur efficatius. Cęterùm si Galenum consulamus libro. 1. cap. 1. de cõpositione pharmacorum secũdum locos, nõ tam numerum dierum attendere cõuenit, quam ipsarum massæ colorẽ, odorem, gustum, & compagem. Verba Galeni hæc sunt: Valde enim vetusta omnino fugere oportet, nõ solum in his pharmacis, sed omnibus

etiam

etiam alijs, quæ videlicet ſucci & li- „
quores, & flores, & folia, & fructus, „
& radices, & ſemina exiſtunt, quãdo „
ſane etiam metallica ipſa per lõgio- „
ris temporis ſitũ vires ſuas amittant. „
Vtimur tamen quibuſdam pharma- „
cis viginti aut etiam triginta anno- „
rum, propterea quod nondum omni „
no vergentem habeant ætatem; alia „
enim aliam tum vigẽtem, tum ver- „
gentem ſeu inclinatam ætatem ha- „
bent, atque etiam ſi ita dicere libeat „
ſenectam. Vnum quodq; autem pro- „
prium vigorem his qui ea ſæpe vide „
runt indicat, tum ex odore, tum ex „
guſtu. aliquando etiam ex colore, & „
ſecundum craſsitiem compage. „

Hic obiter aduertendum circa cõ- pagem & formationem pilularum quod non debent cum melle confici in quo ſucci cocti & conſumpti ſint, vt multi ex recentioribus conten- dunt, alias enim accreſcit quantitas

Con- formatio pilularũ

ra-

ratione mellis, & virtus minuitur. Quod si lapidis duritiem contrahãt, aut rimas & situm rancidum ostendant, ab eis abstine, alijs denuo paratis.

In Pilulas sine quibus Nicolai Prępositi.

FRAGOSVS.

VIx reperies apud autores classicos harum pilularum cõpositionem excepto Nicolao Mesuæi comite, & Arnaldo Villanouano. Inter alia tamen aloes ablutio est in cõtrouerso: sunt etenim qui aquã pluuialẽ eligũt, alij (& multo melius) aquã specierum Alephanginarũ recipiãt, ad mentẽ autoris dicentis, Aloes loti & odoriferi. Arnaldus etiam qui fere omnia ex Nicolao transcripsisse creditur in suo Antidotario de his

ait,

ait, Recipe aloes abluti cũ aqua aro- "
maticorum. Accedit testimoniũ Ser- "
uitoris, nam vbi locutus est de Aloe
loto cum speciebus, statim subiũgit,
Vtere eo in medicinis laxatiuis, & "
alijs in quibus aloes ingreditur. "

Hic etiam non sunt audiendi qui scammonium bene tritum, secundũ artem & regulas contritionis medicinarum soluentium intelligunt, id est crassiuscule in puluerẽ redactũ, à quibus plurimum mea distat opinio, si verborum contextus in autore spectetur. debet quippe temperari aut dissolui cum succo fœniculi, tantumq; admisceri quod puluis scammonij per pannum cum ipso succo exprimatur. Quamobrem haud in hoc assentiẽdum est Cronemburgio viro alioqui doctissimo, qui in eadẽ compositione, seorsum tritum scammonium reliquis addendum docet: nam etsi ita fieri neutiquam noceat, satis

satis sit, non esse ex Nicolai instituto.

In Pilulas Cochias Rhazis.

FRAGOSVS.

MEminit Præpositus pilularum Cocchiarum ex Galeno, libro (vt suspicor) primo de cōpositi. medicamen. per locos cap. 1. de Alopetia & Ophiasi, & 5. Methodi curatiuæ cap. 14. Sed Rasij contextum obtinere oportet ex libro. 9. ad Almansorem cap. 1. cuius meminit etiā Christophorus de Honestis supra Mesuæum in expositione pilularum de Sagapeno. Earundē etiam mentionē fecit Myrepsus initio pilularū, titulo ad dolorem vētris & stomachi: in quas Hieram picrā Galeni recepit. Sed quum vnicuiq; suum sit reddendum, equius est, quam Rhazes ipse compo-

cõposuit inijcere, crocum autẽ multorum capita lædit, testante Galeno libro.2. de compositione per Locos, vbi Hieram componere docet.

Picra verò Rhasis quam eodem libro cap.64. scripsit, talis est.

R. pulueris rosarũ rubrarum, spicæ, Mastiches, Xylobalsami.

Carpobalsami, Cinnamomi, Xylo casiæ, asari, ana drachmam vnam.

Aloes succotrinę vncias duas.

Singula ad artem exactissime trita, & per cribrum decussa, in vsum seponantur.

Circa succũ quo excipi debent, adhuc est controuersia, Syluius enim mel eligit, Cordus syrupum stęchadis, falluntur tamen, quia accrescit substãtia (vt superius annotaui) exindeq; minuitur dosis. Præstat igitur eas excipere succo absynthij, iuxta Mesuęi sententiam de egritudinibus capitis, vbi agit de solutiuis.

conuenientibus sodæ frigidæ, simili-liter sentiente Christophoro de Honestis loco adducto.

Pilulę Assaiaret Auicennę.

R. *Pulueris Hieræpicræ Galen. vnciam j.*
Mastiche. Mirobalanorum citrinarum, añ. vnciam semissem.
Aloes hepaticæ, vncias ij.
Fiant pilulæ, cum syrupo stæchadis.

FRAGOSVS.

HVius cōpositionis autor est Auicenna libro. 3. Fen. 1. tract. 1. cap. 29. de canonibus vniuersalibus curationis, quantitatem tamen singulorum simplicium quam ille subticuit, Montagnana, & Gentilis Auicennæ commentator designarunt.

In Pilulas Stomachicas Mesuei.

FRAGOSVS.

EX multis harum pilularũ descriptionibus (si qua tamen in vsum vertetur) eam elige de qua inquit Mesueus, Pilulę stomachicæ nostræ. Nec displicet quorundam sententia, qui vel harum loco, vti malunt pilulis ex Hiera simplici Galeni: hæc enim vt vẽtriculo est gratissima, & eius vitiosos succos deturbat, sic quę libet stomachicarum compositio, & multum vacuat, & stomachi vires dissoluit.

In Pilulas Opticas vel Lucis Mesuei.

FRAGOSVS.

EX duabus similiter pilularum lucis descriptionibus, parabis pri-

mam & maiorem, vtpote efficatiorē. Minor enim magis respicit atram bilem, à qua rarissimè oculorum affectus oriri solent.

Pilulę ex fumoterrę Auicennę.

R. *Myrobalanorū citrinarū. Myrob. chebularum. Myrobal. Indarum, an. drach. v.*
Aloes succotrinæ, drach. vij.
Scammoneæ, drach. v.

FRAGOSVS.

HÆc est legitima Auicénæ descriptio, lib. 4. fen. 7. cap. 7. tractactus. 3. in cura pruritus & scabiei,
„ vbi statim subiunxit, Conficiantur
„ cum succo fumitterrę, & dimittátur
„ donec exiccentur, & bibantur vice
„ altera, & dimittantur donec exiccē-
tur

tur, & fiat illud tribus vicibus, & in ,,
omni vice fiat ſicut ſorbitio: deinde ,,
dimittatur donec inſpiſſetur, & cō- ,,
pactum fiat, & fiant inde pilulæ. Ha-
ctenus Auicennæ verba. vt hinc con
ſtet longè abeſſe ab illius mēte, ſi (vt
inquit Bernardus Deſſenius) cū mel
le compingātur, in quo idem ſuccus
conſumptus ſit, ne lapidis duritiem
contrahant, aut rimas & rancorem
oſtendant. Quem modū conforman
di pilulas in ipſarum præfatione im-
probauimus.

Bernardo Deſſenius taxatur

In Pilulas Alephanginas Meſuęi.

FRAGOSVS.

Aromaticæ etiam ob magnā aromatum copiam nuncupantur. Sunt tamen qui volentes recedere à præcepto Meſuæi circa decoctionem

aromatum in duodecim libris aquæ moliendam, alios coquendi modos excogitarunt: inter quos est vnus Sepulueda. Is enim vt vtramq; virtutem ex aromatis eliceret, aquam partitur, bisq; coctionem perficit. Anutius Foesius aromata crassiusculè trita, ex aquæ libris octo lẽto igne ad dimidias coquit, timet enim ne largior aquæ copia diutiori cõcoctione aromatũ igneam vim minuat. Cæterùm aut non est recedendum à contextu Mesuæi (qui forte per nimiam decoctionem vim astrictoriam aromatum quærit) aut consulendus Galenus cap. 2. libri. 8. de compositione pharmacorum secũdum Locos apud quẽ istius aromatum decoctionis, & aloes eodẽ de cocto macerate, quoddam expressum est exemplar in confectione Lãponis Pelusiotæ ex Andromacho. Ait verò: Cinnamomi, calami aromatici, casiæ nigræ, xylobal
sami,

ſami,floris iunci odorati,palmę ela- „
tes,ſingulorum quadrantem,alij vn „
ciam vnam. omnia in craſſas partes „
tuſa in ollam nouá conijce, & aquæ „
pluuię ſextarijs tribus infuſis,donec „
dimidium ſuperſit coque, & excola, „
& accepta aloes Indicæ libra vna, „
aquam pluuiam ſufficientem ſuper- „
fundito, & ſub caniculæ æſtus do- „
nec reſiccetur terito,atq; vbi primũ „
per hanc aquam aloem ipſam edul- „
caris, poſtea eam quæ ab aromatis „
excolata eſt,aquam affundito, & in „
ſole donec reſiccetur terito,indeque „
trita,adde croci,myrrhæ, maſtiches, „
ſingulorum quandrantem, alij vn- „
ciam, conterito ſimul omnia & ſic- „
ca reponito. „

In Pilulas ex Agarico Meſuęi.

FRAGOSVS.

MEsuæus etiam in opere Medico, capite de asthmate ex ijsdẽ parat, variatis tamen ponderibus. Per Hieram picram, intellige Galeni compositionẽ, hanc enim ipse Mesueus, vt præstãtiorem reliquis, ante alias scripsit.

Colocynthidis præparatio.

Colocynthidis preparationem docuit Serapio cap. 282. de simplicibus ex plantis. Sunt tamen nonnulli ex Pharmacopolis qui statuunt, hîc & in similibus compositionibus addẽdam esse colocynthidẽ duplicato põdere, ita vt si autor dicat, drach. ij. recipiantur, drach. iiij. ratione tragacanthi quod admiscetur in præparatione. Cæterùm errant manifeste & contra mentem autoris, qui vbi requirit colocynthidem preparatam, ipse exprimit vt in Hiera Hermetis. In alijs verò cõpositionibus vbi simpliciter ponitur, mixtione aliorum medicamentorum castigatur, vt reli

qua

qua medicamenta purgantia. Tantumq; abest vt hæc nostra sententia Serapioni aduersetur, vt ex ipsius scriptis eliciatur, ait enim cap. proprio, Expellit humores quos volu- „ mus purgare, & nō est necesse quod „ misceatur cū medicina alia. Et infra „ docēs rectificationē, sic scribit, Si igi „ tur colocynthidā volueris rectifica- „ re & miscere cū alijs medicinis, &c. „ quibus verbis nō insinuat perpetuo esse pręparandam, sed si quādo vsus exigat qualiter fieri debeat.

Sarcocollæ prępa ratio.

Sarcocollam hic cum oleo amigdalarum præparabis, quamuis in medicamētis oculis dicatis, cum lacte asinæ vel aqua rosarum sit præparanda vel nutrienda, ex Mesuæo cap. proprio, ea tamen lege vt nō maceretur in lacte, ne acida fiat, aut vires cōtrarias obtineat, sed potius lacte irrorabis.

Errant demum qui veram Mesuæi

descriptionem relinquentes, mastichem his pilulis adijciũt, innixi fortasse deprauatis cuiusdam Luminaris & alirum composit ionibus.

In Pilulas Aggregatiuas Mesuęi.

EX tribus pilularũ aggreg. descriptionibus, prima vt pręstantior eligēda vbi ait, ex inuētione nostra.

Circa succũ Eupatorij animaduertãt pharmacopęi, ne in hoc Valerij Cordi Dispensatoriũ sequãtur, quòd perperam scribat in hac cõfectione, pro ipsius Mesuæi Eupatorio, admiscendã esse Gratiolã. Siquidem hæc nullis notis nec facultatibus, illud re prefētat. Cõueniet igitur in hoc medicamēto, & in alijs â Mesuęo relictis, suum interponere Eupatorium, quod haud dubie Aggerato Dioscoridis per omnia respõdet, & in Gręcorum

torum compositionibus, Agrimoniá addere. Sic enim fiet vt vnicuiq; quod suum est reddatur, vti supra dictum est.

Eodé modo, per Electariũ rosatum quo sunt excipiendæ hæ pilulæ, non id Nicolai intelligendum, sed quod ipse Mesuæus inter Electaria sua recensuit.

In Pilulas Masstichinas.

FRAGOSVS.

HArũ pilularum descriptioné inuenies apud Frácifcum de Pedemontium, inter opera Mesuæi, tractatu de ægritudinibus stomachi, cap. 19. & 21.

Cõficiuntur cũ succo Altiliȩ (id est Artemisiȩ) vt prȩcipit ipse autor. Poterũt tamen in defectu succi, cõformari vino, minime cũ Syrupo stȩchadis vt placuit Cordo.

Pilu-

Pilulę communes vel ſine cuſto dia Rhazis.

R. *Aloes, drachmam, j.*
Myrrhæ. Croci, an. drachmam ſemiſsem.
Cum vino albo ſubtili & odorifero fiant pilulæ.

FRAGOSVS.

HArum pilularũ deſcriptio ſumpta eſt ex Rhaze libro. 4. ad Almanſorem capite de peſtilẽtia vnde cõmunes ſeu peſtilẽtes dicũtur, quia cõmuniter tẽpore peſtis ſumi ſolẽt. Cęterùm aduertant noſtri Myropolæ, ne Manardo & Ruellio aſſentiant, qui contendunt hanc compoſitionem parãdam eſſe ex aloe, myrrha & ammoniaco ſine croco ex Rufi Epheſij ſentẽtia, alia enim eſt Rufi compoſitio, ſiquidẽ pro croco ammoniacum habet. Differunt itidem for-

forma, quia hæc, potio fuit (vt manifestò Paulus edocuit lib. 2. cap. 36. de Pestilentia ex commentarijs Rufi) illa verò in pilulis digesta. Præter id etiam quod grauem vulgaris ammoniaci odorem vix erit qui perferat. Decet igitur Rhazis compositioné paratam seruare, nisi seplasiarius ex alicuius medici præscripto alteram Rufi concinare cogatur.

In Pilulas ex Rheubarbaro Mesuęi.

FRAGOSVS.

QVum inter Rhabarbari genera, Rauetsceni in India natum præstantius sit, si Mesuæo fides adhibeatur in simplicium censu, haud mirum videri debet si pilulas ex Rhabarbaro inscribens, eiusdem vocis in contextu non meminerit, sed potius Ra-

Rauetsceni, quod idem est cum Rhabarbaro. Nec inde infertur vt harũ pilularum loco alias de Rauetsceni ab eodem autore descriptas in vsum trahas, quòd multum sint dissimiles longèq; efficatioris potentiæ quâm quę de Rhabarbaro vocantur.

In Pilulas Aureas Nicolai.

FRAGOSVS.

CVnctis Officinis Præpositi nomine innotescũt pilulæ Aureæ. At Nicolaus Myrepsus pro mastiche Hierampicram ponit. Non desunt tamen qui pilulas Aureas Mesuęi (quę Turbithicę dicuntur) harum loco vsurpent, sed ineptè. potentissimæ enim sunt propter Turbit copiam. Cur Aureę sint nũcupatæ, nihil refert scrutari, quoniã (vt inquit Galenus libro. 1. de compo-

posi.medic.secũdum genera cap. 2.) appellatio nec seruauit hominé vnquam nec interfecit, sed medicaméntum. Si verò in compositione aut facultate committatur error, hinc pericula imminere solent.

Tragacanthi tandem drach. vna, aquæ vncijs duabus ad dissolutioné super cineres calidos maceretur, colati mucagine paulatim affusa, puluceres comprehendes & massa optimè fingetur.

In Pilulas ex Cynoglosso Pręposititi.

FRAGOSVS.

DEscribũtur à Mesuęo sub nomine pilularum ad omnes morbos catarrhi, sed Hispani medici Nicolaum Pręposititum imitátur. Hic nõ loquimur de legitimo Cynoglosso quod

quod (Dioscoride teste) neq; caules, neq; flores, neq; semen gignit, sed potiꝰ de vulgari, quod Lingua canis Officinis, & vulgo Viniebla passim appellatur, cuius meminit Plinius libro. 25. cap. 8. Radix in vsum venit.

SYRVPORVM ANImaduersiones.

PRÆFATIO.

HActenus Antidotorum & medicaminum purgantiũ quę in Officinis nostris passim occurrunt animaduersiones, qua potui diligentia pertractaui, nunc deinceps item ceptam absoluere constitui, Syruporum compositiones aliquot aggrediens. Prius tamen dicendum hic venit, neminem veterum Gręcorũ Syrupos nostros cognouisse, quãuis ijs ætate posteriores, ex Arabũ scriptis accepe-

Syru- [illegible] an [illegible]æ- [illegible]e [illegible]co [illegible]ti.

acceperint. Cōstat enim apud Simeonem, Ætium & Actuarium reperiri dulces potiones quę à nostris appellatis syrupis non admodū dissident. Nicolaus etiam Myrepsus qui Græcè opus scripsit de componendis medicamentis, Drosaton appellat, huiusmodi cocturam quæ in nostris syrupis fit. Cęterùm hac re diligentius animaduersa, negari haud poterit, extenuātium, incidētium & detergētium potionum facultates tam fuisse apud antiquos celebres, vt male successuram purgationem, nisi his præmissis experirētur. In quos vsus passim accepta sunt à Galeno & Hippocrate, oxymel, hordei decoctū, & aqua mulsa cū hyssopo, pulegio, origano & calamintha probe cocta. Archigenes quoq; apud Galenum. 8. de compositione phar. secundū Locos, chelidonij succū cum melicrato ad morbum regium exhibuit, quæ vera Drosaton quid.

est syruporum nostrorũ imago. Galenus libro.6.citati operis, ex succis nucum, mororum, malorum punicorũ varia medicamenta ex melle decoquit. Paulus libro.7.cap.15. de medicatis & dulcibus potionibꝰ & propomatis ad febres destinatas, multas scripsit. Oribasius libro.5.cap.132. potiones dulces, refrigerantes, incidentes & astrigentes ex melle, aqua, & aceto & succis fructuũ morbis accomodat. Hipocrates ipse ad aluum subducẽdam mercurialis succũ cum ptisana & melle decoctum ter die exhibuit, vt ipse refert libro.2.de Morbis. Quæ omnia nostris syrupis vel zulapijs viam parauisse constat, vt apte in eorum locum veniant. Syrupos verò siue ab opis, succis, & syro, traho, quasi sint succi extracti: siue quod à Syria fuerint allati (vt placet Michaeli Villanouano) siue ab eo quod Galeno dicitur sireõ, id est sapa,

ru- vn- de di- catur.

pa, vel dulcis cum melle decoctio, siue aliunde dictos quis velit, constat non à Græcis sed Arabibus eo nomine vsurpatos. Syrupus autẽ simplex est vel ex multis compositum. Simplex censetur quando cum melle, saccharo & aqua ex herbis & floribus tantummodo efficiuntur. Compositus verò cùm preter dicta, aromaticas insuper species, & alia simpliciũ genera accipiunt. Simplices syrupi constant ex succis herbarum, aut ex succo fructum: & coquuntur succi ad quartæ partis consumptionem, & depurantur: deinde succi puri libra cum sacchari clarificati tantundem coquitur ad debitam compagem, cuius signũ erit si guttula in marmor effusa hereat (vt ex Nicolao Preposito didiscimus in Diamoron) aut si digitis accepta, horum adductione & diductione fila ducat.

Syrupor ũ differẽtiæ.

Sacchari & succi depurati quãtitas ꝑ syrupis.

Simplices in sua bonitate per an-

Syru- porũ duratio. num seruantur. Compositi biennium.

In Syrupum Papaueris Mesuęi.

FRAGOSVS.

DVas docuit Mesuęus syrupi Papauerini descriptiones, primam scilicet simplicem ex capitibus papaueris cuius est frequentior vsus. Sed quum omnino sit deprauata non tãtum ob exiguam sacchari & penidiorum dosim, verumetiam ob multitudinem capitum papaueris pro decoctione nimis etiam longa respectu aquę, oportet ad Galenũ confugere, qui libro. 7. cap. 2. de compositione pharmacorum secundũ Locos, paucis in melius mutatis, eandem instituit compositionem in eundemque vsum, ex decem papauerum capitibus & sextario aquę fõtanę aut plu-

uiæ

niæ recentis cum dimidio sacchari, sequentibus verbis. Cæterùm velut „ ego compono confectionem ex pa- „ paueris capitibus, ita ea vtendũ cen- „ seo. Etenim cum de prædictis confe- „ ctionibus experimentũ sumpserim, „ præstãtior ea visa est, in qua ad vnũ „ aquæ sextariũ capita decem inijciun „ tur, quemadmodum Crito scripsit, „ aut ad duos sextarios quindecim ca- „ pita, velut Soranus. In medio autem „ amborum terminorum est, vbi octo „ aut nouem capita in vnum sextariũ „ conijciamus. Præmacero autẽ ea nõ „ ad triduum, sed neque statim ablata „ coquo, sed si humidiora & molliora „ fuerint, ad vnum diem cum nocte. Si „ verò duriora & ficciora sint, etiam „ longiori tempore ipsa macero, pre- „ stat autem accipere nondũ indurata. „ Manifestum verò quod etiam valde „ mollia abijciẽda sunt: ficciora enim „ modicũ succum habent, humectiora „

,, verò multum quidem, sed crudũ ad-
,, huc & aquosum ac debilem: quapro-
,, pter ex humidis ac palustribus locis
,, accepta fugiēda sunt. At verò nume
,, rum quē dixi inijci oportere iuxta
,, proportionē aquæ, de mediocribus
,, intelligere oportet, quemadmodum
,, vt plurimum esse solent. Terminus
,, autem cocturæ sit, non vt tertia aut
,, quarta, aut aliqua talis pars aquæ
,, fiat reliqua, verum vbi iā primum in
,, totum flaccida fuerint facta: suc-
,, cum enim ipsorum exprimere volu
,, mus, hoc verò sufficienter cōtinget,
,, ipsis flaccidis factis. Cæterùm mel-
,, lis dimidiam mensuram huic succo
,, admiscendam cēseo, & coquendum
,, simul ad lentum ignem ad compa-
,, gem Attici mellis. Verùm in aqua
,, pluuia quidam capitum cocturam
,, fecerunt, ne videlicet ipsa ad aliā pu
,, tredinosam qualitatem transmuten
,, tur, tibi verò etiam fōtana sufficiet
plu-

pluuia non presente, si munda sit, & ,,
omnis mixture expers. Hactenus ,,
Galenus. ,,

Hîc nota quod Sextarius [vt idem Galenus exponit] librá vnã & semis sem & sextá illius partem pẽdet, vt oẽs simul iunctæ vnciæ sint viginti, ex lib. 1. de compositione pergenera. Sextarius quid.

Capita papaueris nigri siue syluestris sunt eligẽda, eodẽ Galeno teste.

Loco Mellis, nos saccharum ponemus coquẽdo ad syrupi cõsistentiá.

In Syrupum ex Mentha Mesuei.

FRAGOSVS.

MEminit similiter duarum huius syrupi descriptionũ, ex quibus secũdam deliges vbi ait, Syrupus de ,,
mentha inuentione nostra & est ex- ,,
cellentior priore. ,,

Aduertendum insuper quod cum sint libræ.7.cum dimidia succorum ac menthæ sesquilibra (ita vt maior quantitas videatur quàm vt a succis humectari atque ad medium ebulliri possit) colligunt nõnulli aut succos augendos, aut mentham diminuendam esse. Discedere tamen oportet in hac cõtrouersia à Bernardo Dessenio Cronemburgio suadentis, mẽthæ siccę vncias duodecim accipiendas esse, nam tametsi in alijs syrupis (quorũ ipse meminit pro exemplis) similis in coquendo proportio seruetur, in pręsenti quidem nihil de mẽtha detrahendum censeo, ex qua tota vtilitas consequitur. Igitur assumetur mẽtha quæ nec viridis sit, nec omnino sicca, sed talis quæ superuacaneam humiditatẽ deposuerit, ita vt possit à quãtitate succorum præscripta complecti.

At vero quoniã in hoc syrupo nõ

præ-

præscribit autor, Galliæ quātitatem pro eiusdem conditura, siue (vt hodie loqūtur) aromatisatione, cōijcere expediet formam ex eiusdē Mesuęi syrupo de Calamento, vbi pro quatuor libris, drach. ij. Galliæ admiscuit.

In Syrupum Boraginis ex Plateario.

FRAGOSVS.

Fiat ex succo eius & saccharo, teste Plateario cap. proprio, & Mattheo Syluatico, cap. 103. additis vtriusq; paribus portionibus. Alijs curiosius paratur in hunc modū. Succi boraginis depurati libris quatuor, sacchari despumati libræ duæ addūtur: coquuntur aliquandiu, deinde florū boraginis recentium contusorū libra vna in aquę sufficiēti quantitate coquatur. Colatū & expressum reliquis affunditur, & fit syrupus.

In Syrupum Saboris Regis Medorum ex Mesuęo.

FRAGOSVS.

SYrupus de pomis cõpositus Officinis etiã dici solet, qui Sapori Medorum regi attribuitur, & Mesuæo adscribitur cap. 25. de cura maniȩ & melãcholiæ sanguineȩ, in suo medẽdi opere: ad quem locum, pharmacopolá ablegamus. Ex omnibus pomorum generibus prȩstãtiora cẽsentur quæ Hispani vocãt camuesas, habẽt enim quid aromaticũ, & gustui gratũ saporem exhibent. Secundum bonitatis locũ obtinent, quæ vulgo peros de eneldo vocamus, & tertiũ Italorum Melapia.

In Syr. Violarum simplicem Mesuȩi.

FRAGOSVS.

Fit

FIt hoc tempore in nostris officinis syrupus violaceus, nõ ex violarum recentium infusione (nisi rarissime) sed ex saccaro potius violaceo, non seruatò debito temperamẽto vt constat, estq́; ex saccaro potius syrupus quã ex violis. Quapropter visum est, vt penuria recentium violarum, aridæ infundantur pro huius syrupi confectura, vt testatur Arnaldus in Antidotario cap. proprio his verbis, Apud necessitatem fit ex vio „
lis siccis & zuccharo. Idẽ confirmat „
Syluius supra iuleb rosarum & violarũ, & Antonius Brassauola in opere syruporum. Præter id quod experimentum gustui demonstrauit, magis lenire syrupũ ex violis siccis, quã ex condito paratum. Violarũ igitur aridarum (si recẽtes deficiant) vnciæ tres, aquæ, sextarijs tribus horis viginti quatuor macerentur. Colatum cum sacchari libris tribus, in syrupũ
per-

percoquitur. Hæc ſyluius ſuper iuleb violaceum.

In Syrupum Adianti.

FRAGOSVS.

MAgna huius ſyrupi in vulgatis codicibus varietas, anſam præbuit Officinis quencunq; ſine delectu admittendi. Sunt enim qui Magiſtralem compoſitum ve cum glycyrrhiza & penidijs conficiant. Quidã, ex infuſione Capillorum veneris recentium ter facta ſecundum artẽ cõponunt. Platearius in libro de ſimplici medicina cap. proprio de Capillis veneris, docet modum hunc ſyrupum conficiendi dicens, Ex aqua de
„ coctionis eius & zuccharo fiat ſyru-
„ pus, Hãc igitur formulã cęteris ſimpliciorem deligemus.

In Syrupum ex Fumaria Meſuęi.

FRA-

FRAGOSVS.

Syrupus Fumiterræ maior siue cõpositus, ex ordine Mesuęi fieri cõsueuit, minori (sed adhuc cõposito) eiusdem autoris relicto. At simplex ex Arnaldo parabitur in Antidotario cum tribus partibus sacchari vel mellis & vna succi. verba ipsius hæc sunt, Bulliat quarta pars succi fumiterræ lente super prunas vsq; ad cõsumptionem medietatis & clarificetur cum zucchαro vel cum melle, & fiat syrupus. ,, ,, ,, ,, ,,

In Syrupum ex succo Endiuię.

FRAGOSVS.

AVtor additionis supra syrupum ex Portulaca Mesuæi, Si accipiatur, inquit, succus Endiuiæ coctus & de- ,, ,,

" depuratus eſt addas zuccharum, tũc
" erit ſyrupus de ſucco Endiuiæ qui
" multum eſt in vſu. Vnde coſtat normam ipſius Meſuæi inſequendá eſſe, libras duas ſacchari pro totidem ſucci depurati aſſumentis: quamuis Musa, libras tres ſacchari pro duabus ſucci accipiat, vt ſit guſtui gratior, ſed nõ erit tam efficax. Alij ex neotericis vtilitati potius quàm guſtui conſulentes, pro libris octo ſucci, libras quinque & ſemiſſem ſumunt: Quid tamen de ſyrupo Endiuiæ cõpoſito [qui Gentili acceptum refertur] ſentiendum ſit, ſtatim audies.

In Syrupum ex Cichorio Nicoli Florentini.

FRAGOSVS.

Vulgus

VVlgus medicorum & pharmaco polarum syrupũ ex Cichoria de duplicato rhabarbaro passim vsurpant, vt distinguerent ab alio eiusdẽ nominis Guillielmi Placentini, clarissimi sua ętate medici, qui rhabarbari drach. ij. tãtũmodo accepit. Cęterum si de syrupo ex Endiuia vel Cichorio composito iuditium nostrum ferendũ sit, non video cur Gẽtilis aut Nicoli descriptio parari debeat: vsque adeò enim ambigua & turbata videtur, tantaq́; barbarorum nominum obscuritate detenta, vt omnes in eorum expositione non parum tumultuentur. Consulerem igitur vt celebribus istius syrupi cõstructionibus omissis, simplicissimus ex cichorij syluestris succo reciperetur. Sed quoniam Iacobus Manlius de Bosco autor libri, Luminare maius inscripti, & alij huius farinæ autores corruptã tradunt propositi syru-

syrupi compositionem (vt si quãdo suadẽte medico in vsum trahatur) visum est ex Nicolo Florentino eandẽ ad verbum transcribere, sermone. 5. tractatus. 5. cap. 15. de Opilatione Hepatis vbi ait.

R. *Endiuiæ domesticæ. Endiuiæ syluestris. Cichoreæ. Taraxacon, añ. M. ij.*

Cicerbitæ, id est, sonchi. Hæpaticæ. Scariolæ. Lactucæ. Fumiterræ. Lupulorum, añ. M. j.

Hordei non excorticati. Alchechengi, añ. vnciam, j.

Liquiritiæ. Capillorum veneris. Ceterac. Polytrici. Adianti. Cuscutæ, añ. drach. vj.

Radicum fœniculi. Apij. Asparagi, añ. vncias, ij.

" *Ferueant in aqua sufficienti & colentur*

lentur & cũ zuccharo albo solido fiat ”
syrupus, pro cuiusq; vna quaq; libra, ”
ponantur ad decoquendum rheubar- ”
bari electi drach. iiij. spicæ ligatæ in ”
petia rara scrup. iiij. quæ sæpe expri- ”
mantur donec syrupus sit perfectè de- ”
coctus, Dosis vnciæ iiij. cum aqua ”
emulsionis seminum frigidorum. Ha- ”
ctenus Nicolus. ”

FRAGOSVS.

VVlgaris Endiuia, nullũ hic neq; nomen neq; locũ habet. est enim lactuca syluestris, vt alibi sępe demõstrauimus. Endiuia igitur domestica est Intybus satiua primæ speciei apud Dioscoridem, folijs lactucæ latioribus. Endiuia syluestris erit cichorium Hedypnois, cuius meminit Plinius. Cichorea, est Picris quæ simpliciter cichorium dicitur. Taxacõ, (Hedypnois Picris.)

Rostrum porcinum.

vulgo dens leonis, & Rostrum porcinum nominatur. Scariola est secunda species endiuię hortensis. Sed profecto maxima est seplasiariorũ multorum negligentia atq; ignauia, qui cum in hortis numerosissimum pręstantissimumque habeant Intybum præsertim secũdæ speciei quod Scariolam vocant: in campestribus vero Cichorium vbique frequentissimũ, loco Endiuię domesticę & syluestris alias plantas subijciant pro suo arbitrio, non eiusdem fortasse facultatis & temperamenti.

Simili modo, tametsi per Capillũ veneris & per Adiantũ, duas eiusdẽ generis plantas intelligant, albũ scilicet & nigrum Adiantum, & per Polytrichum, Trichomanem [Græcorum plantam notissimam] nihil prohibebit, vnum Adianti genus, reliquorum defectum supplere.

SY-

Syrupus ex Artemisia Matthei de Gradibus.

R Artemisiæ. Manipulos duos. Pulegij. Calaminthæ. Origani. Melissæ, Persicariæ, Sabinæ, Maioranæ, Chamædryos Hypericonis, Chamæpytios, Matricariæ cum flore, Centaurij minoris, Rutæ, Betonicæ ana Manipulum unum.

Carpobalsami, Costi, Asari, Radicis pyrethri ana unciam mediam.

Radicum apij, Petroselini, Fœniculi, Asparagi, Rusci, Saxifragæ, Enulæ, Dictamni, Cyperi, Rubeæ tinctorū, Iridis, Pæoniæ, ana unciam unam.

Seminum Iuniperi, Lybistici, Petroselini, Apij, Anisi, Nigellæ ana unciam mediam.

Casiæligneæ, Cardamomi, Calamiaromatici, Phu, ana unciam mediam.

Purgatæ ac cõtusæ radices primo bulliant in libris duodecim aquæ pluuiæ, mox apponantur semina confracta, postea herbæ incisæ. Circa finem verò adde sabinam, maioranam, chamædrym, chamæpytim atque aromata coquendo ad libras septem tũc ab igne aufer ad horas duodecim, deinceps colentur, & cum mellis optimi expumati libris quinq;, fiat syrupus.

FRAGOSVS.

AVtoris verba leguntur cap. 24. suæ Practicæ secũdæ partis. Verùm non minus curiosa quàm præcedens huiusmodi apparet descriptio, raroq; in vsum vertẽda (vt opinor) quod singula ex simplicibus, eundẽ effectum (menses scilicet euocandi) præstare possint. Vnde Plinius ad has & similes compositiones respiciens.

ciés, libro.24.cap.1.naturalis histo-
riæ, Officinas improbat in quib9 va
rię & mixturæ inexplicabiles decá-
tantur. Si quādo tamen propositum
syrupum componēdi vrgeat neces-
sitas (aut verius curiositas) in primis
aduerte omnia ingredientia, singu-
lorum Manipulo vno complecti ab
autore. Sed cùm indeterminatū pon
dus videatur, radices saltem per Ma
nipulos vsurpare, quando alij alijs
aut capaciores aut cōtractiores ha-
beant, Manipulū in vnciam conuer
tendū ob incertitudinē dictam, tu-
tius fore iudicaui cū Bernardo Des-
sennio.

Hic etiam annotabis, vt herbarum
quicquid lignosum durumq; est ab-
ijciatur, teste Galeno. 4. de sanitate
tuenda cap.14. in Diacalaminthe. ac
cipienda vero ad medicamentum fo „
lia, atq; ex his maxime quę subtilis- „
sima virētissimaq; sunt, atq; in sum- „

,, mis herbis nata, ad hæc flores & quę
,, cum ijs sunt vnà minutissimas tenuissimasq́; festucas, &c.

Persicariarũ vtra deligẽda, Demum ex duabus Persicarijs ab autoribus descriptis, illa acerrimi gustus (quam Hydropiper vocant) accipiendam esse admoneo, altera enim maculata vehementer astringit, & frigido temperamento constat.

Syrupus ex Tussilagine Magistralis.

R. *Foliorum Tußilaginis Manipulos. iiij.*
Radicis eiusdem. Manipu. ij.
Glycyrrhizæ, vncias quatuor.
Passularum, vncias quinque.
Fiat decoctio in libris viij. aquæ, &c cum mellis libris quinque & sacchari duabus,

duabus, fiat ſyrupus. Confert ad tuſſes & recta ceruice ſpirantes.

FRAGOSVS.

EXimantur meditullia abradanturq́; extremæ pelliculæ tenues. nam Galeno autore libro Antidotorum ſecundo, textu. 105. Cortices radicum in vniuerſum commodiores ſunt, medullis ipſarũ radicum. „

Cæterùm hoc debet obſeruari in omnibusquę aperiunt radicibus (vt rectè iudicauit Muſa Braſauolus & cũ eo Cronemburgius) quia earum cortex calidior, & magis aperit quá meditullium. In frigidis vero radicibus & non aperientibus, non oportet detrahere cortices: de quorũ numero eſt Cichorium, Endiuia, lactuca, ſolanum & id genus alia.

Radicũ cortices quando nõ ſunt detrahẽdi.

Cui tamen diſſonum videatur cõponi hunc ſyrupum ex Tuſſilaginis

radice (quam superuacaneam cēsuit Dioscorides) redeat ad proprium caput de Tussilagine inter Succedanea medicamenta à nobis exarata, vbi quid in hoc sentiendum sit enucleauimus.

In Syrupum ex Zizyphis Mesuęi.

FRAGOSVS.

IN simplici syrupo siue in Iuleb Iuiubino, cētum iuiubas, quatuor libris aquæ cōqui pręcepit: in cōposito verò (cuius est vsus familiaris) præter alia ingredientia, decē libras iuiubarū legimus. Quæ in libris quatuor aquę coqui non possunt, vt pro syrupo faciendo colatura remaneat. Ideoq; suspicādum est mendam esse, corruptèque legi in antiquis codicibus, iuiubarum libras x. pro nu-

mero

mero sexaginta, facilis enim fuit lapsus scribendi lx. id est libras decē, pro lx. id est, sexaginta numero.

Aduertendum secundo quod simplicia huius syrupi [quæ muccosa sunt cum tragachanto] panno lineo raroq́; comprehendi debent, siue in nodulo colligari, vt facultas syrupo imprimatur, & minus sit glutinosus.

Hoc etiā loco reuocabis in memoriā, quod quoties iuiubæ, sebestē, pruna, tamarindi per pondera ęstimātur, tunc semina siue nuclei auferūtur, quādo verò per numerū, tūc vnà cum seminibus ipsis recipi debent.

In Syrupum ex Absynthio Maiorem Mesuęi.

FRAGOSVS.

VSus inualuit in cōposito seu maiori, est enim efficatior cū libra

ſemiſſe Abſynthij Romani vel Pon tici, quod nos vulgo Aſsẽſios dulces vocamus.

Hoc loco animaduerte, Bernardũ Deſſeniũ augere vini quãtitatẽ vſq; ad.x.libras, diminuereq́; abſynthiũ in vncias quatuor. tum vt ſumẽtis guſtui gratior fiat ſyrupus, tũ vt melius perficiatur coctio vſq; ad medietatẽ. Ego tamẽ multo aliter atq; ille ſentio, parandũ ſcilicet ex Meſuæi doctrina cum præfinitis ipſius quãtitatibus. Preſertim quod (ſi credendũ ſit cuidam expoſitori) coctio fieri debet non ad medietatis conſumptionẽ, ſed verius ad mediocritatẽ. Abſynthiũ enim mediocrẽ ſuſtinet coctionẽ (eodẽ Meſuæo autore cap. 12. ſimplicium) ſpica parum, & roſæ minus. Atq; eo magis quod cùm longo tempore macerata fuerint, parua egebunt coctione, taliſq́; nõ niſi mediocris exiſtimabitur. Vnde inferopro

Autor Modif.

pro

probandum esseCordi & Caroli clusij consiliũ,qui præsentis syrupi co-ctionem,non ad medietatem sed ex arte moliendam esse docuerunt.

Hoc tandem animaduertẽdum ex Brassauola, quod quãdo infusio per aliquod temporis spacium decoctionem præcedit,tunc omnia simul infunduntur. cum autem bulliunt & non præcedit infusio,tunc ordo seruandus est,vt quæ maiorẽ decoctionem patiũtur,primo inijciantur.

In Syrupum Ex Lacca Francisci de Pede Montium.

FRAGOSVS.

AVicennas libro.4.Fen.1.tractatu.4.cap.10.de cura variolarum sic ait,Et de illis quæ sunt vehementis iuuamenti ad faciẽdum apparere variolas est vt sumantur ficuum ci-

trina-

» trinarum drach. vij. lentium excor-
» ticatarum drach. iij. laccæ drach. iij.
» dragagãti, seminis feniculi añ. drach.
» ij. decoquãtur cũ libra vna & semis-
» se aquæ donec remaneat ex ea ferè
» tertia, & coletur, & detur in potu de
» ea, expellit enim caliditatem à parti
» bus cordis, & prohibet pulsum eius.
Consulendus tamen Frãciscus de Pe
de Montium apud Mesuẹum cap. 6.
de medicinis febriũ pestilentiũ, qui
laccam ablutam eligit, lẽtes verò cũ
corticibus, anisum adijciẽs: quæ tria
magis aperitiuam (vt sic loquar) cõ-
positionem reddũt. Sed quoniã mel-
lis vel sacchari non meminit, vt sub
forma syrupi cõponeretur, necessa-
rium est ad libram succi vel deco-
ctionis, librã mellis vel sacchari simi
liter ponere: aut ex aliorum consi-
lio, in proportione sesquialtera, vt si
mellis aut sacchari sint duæ libræ,
succorum tres apponantur.

Saladinus. Monachi Mesue expositores ca. de Loch. de amigdalis.

In Syrupum Rosaceum ex. 9. infusionibus.

FRAGOSVS.

Hic syrupus [vt notauit Antonius Brassa vola] idẽ est cum simplici Mesuęi ex infusione rosarum, hoc dempto quod plures infusiones habet. R. igitur rosarum Persicarũ recẽtium, detractis vnguibus libr. vj. ponãtur in vase amplo vitreato stricti orificij, & fundantur super eas aquę calide libræ. xv. & dimittãtur per horas octo, quibus transactis colo transfundes liquorem leniter expressum. Postea supra eundẽ liquorem feruẽtem, totidem rosarum recentium libras inijcies, donec id nouies perfeceris. Quo tempore liquor obtinebit colorem, odorem, & saporem rosæ. Tandem pro omni libra sacchari, librã vnam & semisẽ infusionis accipito, & fiat syrupus. Antonius Musa Andreas Lacuna.

Re-

Recens magis purgat. post sex verò mẽses debilẽ vim habet. nisi quis per id tempus [quod Deus auertat] scammonij quicquam addiderit. Occasione cuius consultò abstinent nõ nulli medici ab hoc syrupo, asserentes in rosis nostratibus vim quãdam purgantem nimis & [vt dicunt.] scãmoniatam expertos fuisse.

In Syrupum Rosarum Siccarum.

FRAGOSVS.

FIat [relictis quorũdam nugis] in modum simplicis, ex rosis recẽtibus Antonio Musa Brassauolo testãte. In hoc enim tantum est differentia, quod rosæ siccæ ponuntur, vt magis astringat & corroboret.

In Rosaceum mel.

FRAGOSVS.

Tri-

TRiplex mellis rosati genus paratur Mesuæo. Vnũ mellis partes tres & rosarũ vnam capit: & mel rosatum cum folijs, aut non colatũ dicitur. Alterum succi rosarum & mellis partes æquales habet, & mel rosatum colatum dicitur. Tertium foliorum & succi, singulorum partem vnam & semissem recipit, mellis partes tres.

Eliges tamen secundam mellis rosati descriptionem ex tribus enarratis, distinctione quarta de Cõditis. Si tamen par pondus mellis & sacchari addas, fit mel rosaceum ex saccharo nuncupatũ. Reperiuntur & alia mellis genera, interque sunt Purgatoria vt Rhodomeli Alexandri Tralliani, Actuarij & Ætij. Est & mel violatum, eandem habens cum rosato compositionem. Sunt & alia quibus non nisi in medicamentis componendis vtimur, vt Mel pas- Mel violatum.

sul

ſulatum pro Loch de pino Mel emblicatum in Electuario de Gemmis & in Lætificante Rhazes. Mel myrtinum quo vtitur Nicolaus in Diacodio. Mel anacardinum, in confectione Anacardina, & Mel de Centaurea, pro Emplaſtris, de quo ſtatim.

In Centaureę Mel.

FRAGOSVS.

DIoſcorides cõficit cum aqua, At nos Guidonis Cauliaci imitabimur doctrinam tractatu. 7. de Antidotis vulnerum, cum vino tẽperantis, quòd ſit ad vulnera efficax, inutilis verò aqua. verba eius ſunt.

„ R. Centaureæ minoris. M. vj. tempe„ rentur per noctem in vino albo. de„ inde coquantur ad conſumptionem „ medietatis vini, & colentur, & illa

cola-

colatura iterum bulliat, vſque quo ſit reddita ad ſpiſsitudinem mellis. Et ſeruetur.

In Diamoron Nicolai Prę-poſiti.

FRAGOSVS.

SVnt qui præferant ad vſum officinarum Diamoron Pauli ex ſucco mororum hortenſium: ſed cùm valde ſimplex ac debile ſit, aliud verò eiuſdẽ autoris ex moris rubi, ſimplicíſsimus etiam cenſeatur (quamuis maiori aſtrictione polleat,) eligendum illud deſcriptione Nicolai ex vtriuſque ſuccis cũ ſapa & melle paratum. Quod non multum differt ab illo Meſuęi, diſtinctione. 5. de Loch. Nec valet opponere quod in diuerſis temporibus matureſcunt fructus, ex quibus ſucci exprimuntur, qui enim citius prouenit ſuccus, col

ligendus est, & cum saccharo decoctus, reponendus, donec alij maturi fiant.

In Acetum Scillinum.

FRAGOSVS.

Scilla bulborum nobilissima, acetum scillinum facit, veteribus celeberrimum. Quo etiam in syrupum cum saccharo cocto vtimur: aliquando verò cum melle, & Oxymel scillinum dicitur. Fit ex aceti scillini libris duabus, mellis despumati libris tribus. Circa acetum autē conficiendum, hoc vnum animaduersione dignum arbitror, an scilicet cruda vel cocta scilla, aceto sit inijcienda? Dioscorides enim libro. 2. quum de scilla agit ex ea cocta & mutata sępius aqua donec amaritudinē vel acrimoniam amiserit, acetum scillinū confici docet. Cęterum cum hoc acetū secandi attenuandiq; gratia parari soleat

Oxymel scillinum.

soleat, non dubium est quin ex scilla cruda acrius & valẽtius reddatur. Sic autem parari docuit Dioscorides, libro. 5. & Galenus. 1. De Antidotis, & in de Theriaca ad Pisonem. Aetius quoq; Paulus & Auicenna, ac Plinius lib. 20. & quicunq; de hac re agunt, crudam scillam sumunt. At verò cum sint corporum nonnũquã & morborum dispositiones, quibus leniora medicamenta satisfaciunt, quibus etiã acetũ ex cocta scilla cõgruere possit, ex eo Dioscorides tali modo in vsum medicũ venire scripsit lib. 2. Sed quia duob9 modis ex cruda scilla cõfici acetum potest, ex ea videlicet exiccata, & ex recenti, tutius iudicamus ex deficcata fieri; quamvis valentius esset ex recenti.

In Acetum Rosaceum.

FRAGOSVS.

FLores rosarum absque rore siue pluuia lecti, in vmbra ad triduum aut quatriduũ exiccentur ne acetũ corrumpatur. Quod verò ad florum debitam quantitatem pro aceti mensura pertinet, Dioscoridem libro. 5. in vino rosarũ imitari oportet, vbi libram Rosarum siccarum, sextarijs octo, hoc est libris duodecim vini, ad menses tres demergit, deinde colatũ reponit. Sic enim odorem, colorẽ & medicam qualitatem seruamus.

Bernardus Dessenius.

Acetum mulsum siue Oxymeli simplex Galeni.

R Aceti partem vnam
Mellis despumati partes duas
Aquæ fontanæ partes quatuor.
Coquantur ad tertiam partem vel etiã quartã, spuma interim detracta.

FRAGOSVS.

Acetũ

ACetum mulſum, Græcis Oxymeli dictum, Arabibus Secaniabin (quo nomine à Meſuæo deſcribitur) potus fuit antiquiſsimus apud Hippocratem & Galenum, vt conſtat libro.3. de ratione victus in morbis acutis. 4. de Sanitate tuenda, ad finem de cibis boni ac malis ſucci. 8. methodi atque alibi. Ex profeſſo tamẽ lib. 4. de Sanitate tuenda cap. 12. ipſius doctrinam inſtituit. Paulus libro.7. Oxymeli valentius facit ex aceti & mellis partibus æqualibus, & aquæ duplo. Actuarius mel duplum ad acetum, & aquam triplicem facit. Nobis verò ex Meſuæo & Galeno imbecillius paratur, vt ſi opus ſit vtẽdi tempore ex medici præſcripto, eius vires intendi aut remitti poſsint. Quamuis enim Galenus improbauerit eos qui ſub vna quapiam menſura id conficiunt, ſatius tamen eſt (eodẽ Galeno teſtante) eam miſtionem

nē talē esse oportere, quo plurimis cōueniat, & quæ sumētis naturæ fuerit cōuenientissima & iucundissima: Est etiam & Oxymel compositum, quod alio nomine Syrupus ex quinque radicibus cum aceto & melle dici solet, & Mesuæo Secaniabin de radicibus, sed in proprie [me iudice] ita vocari videtur: quādoquidem & ante illum, alius eiusdem nominis Syrupus descriptus apparet.

Syrupus ex quinque radicibus siue Oxymel compositum.

DE ECLEGMATIS siue Loch Animaduersiones.

PRÆFATIO.

MEdicamenta Arabibus & ferè omnibus Loch dicta, Græci Eligmata & Eclegta vocāt, Latini linctus, quòd linguntur & lábantur, ac retenta in ore paulatim liquescūt, & in Trachæā arteriā delabátur. Qua dē caūsa mos est veteribus & recentioribus Arteriaca hæc pharmaca appellandi, & in Arteriacis, id est asperæ arteriæ aut circa laryngis muscu

los eueniẽtibus malis vſurpare. Horum cõſiſtentia media eſt inter Syrupos & Electaria: nã Syrupis craſsiora ſunt, & Electariis dilutiora, ne tã facile elabantur vt Syrupi, nec tam difficile permeent vt Electaria. Sunt & inter hęc, ſimplicia & cõpoſita ſimpliciaex ſolius medicamẽti ſimplicis decocto aut ſucco, & ſaccaro melle, alioue liquore parãtur: cõpoſita verò, gũmi, fructꝰ & aromata recipiũt. Simplicia in ſua perfectione ad annũ ſeruãtur: Cõpoſita bienniũ, his tamẽ exceptis quę amigdalas, ſtrobilos, piſtacia, & alia huiuſmodi quæ facile ſeneſcũt, receperunt. Reponi debẽt in vaſis figulinis vitro incruſtatis. Duratio Eclegmatũ.

In loch .ex pulmone Vulpis Meſuęi.

FRAGOSVS.

SVMITVR compoſitio ex Meſuæo ſumma. 2. de Medicinis ægritudinum pectoris &

pulmonis.cap.12. de Phthisi: quáuis ex Galeni autoritate scribat. Hoc loco nil occurrit animaduersione dignum preter pulmonis vulpini præparationem, quæ sic fit, Scinditur recens ex vulpe venatu capta & iuuene pulmo probe purgatus sanguine & venis, deinde vino albo odorato ac tepido abluitur: mox exéptus siccatur vmbra aut furno modice calido: postremo absynthij folijs siccus tegitur, atque in vsum seponitur.

Præparatio pulmonis vulpini.

In Loch Ex pino Mesuęi.

FRAGOSVS.

NEc huic cōpositioni defuit controuersia, Sunt enim qui mellis passularum, butyri & sacchari drachmas 4. recipiūt ac legunt: si tamē cōsulas antiqua exemplaria, mendam esse suspicaberis, legereq; oportet vncias pro drachmis, vt similiter sentit Bernardus Dessenius, Apollo, & Mo-

& Monachi Mesuæi expositores.

DE TROCHISCIS SIue Pastillis Animaduersiones.

PRAEFATIO.

TRochiscorum vt varia nomenclatura, sic nec vnica est ratio. Quidam enim potari, quidam inijci, quidam inungi, quidam suffumigari solent. Fiunt ex medicamentis siccis tritis, & cum liquore miscentur, donec ad eam crassitiem reducantur, qualis est massa pilularum. Formantur autem in rotulas siue orbiculos; vnde Græcis Trochisci & Cyclisci quasi parui circuli dicuntur. Latinis pastilli à pane, per diminutionem vt vt autor est Festus. Nostro tempore cum quadam in medio depressione ac sigillo drachmæ pondere formantur. Siccari solent in vmbra, & reponuntur

Trochiscorum materia.

Trochiscorũ figura.

nuntur vt pilulæ. Assumendorũ, vt pene cõstãs est drachmę vnius pondus, sic & illorũ qui ad sopiendũ dolorẽ narcoticis seu stupefaciẽtibus cõstãt medicamẽtis, parcior debet esse modus. Hi enim intra scrupulũ aut semidrachmã cõsistũt. Initio fortẽ faciũt operationẽ, ad sex vsq; mẽses debilẽ, teste Serapione tractatu. 7. cap. 34. Durant annũ vnum & qui opiũ recipiũt, vt pilulę opiũ recipientes. Qui verò foris admouẽdi sunt, cũ ex medicamẽtis fiant quæ nõ facile resoluũtur, seruari possunt in annũ vnũ aut duos. Sunt etiam è Trochiscorũ genere Sief Arabũ siue collyria, quorũ vsus est in oculorum morbis. In vtroque autẽ genere necesse est, vt medicamẽta ex quibus constant, tenuissimè terantur.

Duratio trochiscorum.

Sief Arabum quid.

In trochiscos ex terra Sigillata Mesuæi.

FRAGOSVS.

Trochiscorũ dosis.

GAlenus libro. 8. de cõpositione

pharmacorũ per Locos cap.3.ad finẽ, earũdẽ viriũ pastillos duplices recẽset titulo Aster, quos Arabes Trochiscos stellę appellarũt. Qui verò ex more Mesuęi cõpositionẽ confecerint, ꝑ Ramich intelligant Trochiscos eodẽ nomine abeo descriptos. Ramich aũt à Rumicę dici videtur herba eius dẽ generis cũ Oxalide aut Acetosa nostra, cuius recipit vncias sedecim hęc cõpositio. Sunt & alię huius vocis interpręrationes, quę ad hunc locũ parũ attinẽt. Illud tamẽ silẽtio prętereundũ nõ est errare eos qui ab hac cõpositione aufferũt hanc vocẽ, Eupistidos, eandẽ rẽ esse cũ hypocistide existimãtes. Auicẽnas enim.2.Canone tria capita scribit interse differentia, caput scilicet.114.de Barbahircina, (ꝙ nomen apud illum significat Cystũ) & cap.332. de henfistides vel eupistides, vbi succũ ipsius plantæ insinuat, quem nonullæ ex nostris officinis cõdẽsũ seruãt ad hãc parandã

Ramich quid significat.

Ramic vnde dicatur.

confectionē. Caput verò. 694. eiusdem Auicennę est de Tarathit, hoc est de Hypocistide, vel succo fungi nascentis sub ipsa planta. Vterque igitur succus plantæ scilicet Barbæ Hircinę Auicennę & fungi, huic cōpositioni immittendus est.

Terrę ablutio.

Terrę sigillatæ siue Lemniæ lotionem, habes apud Galenum libro. 9. de simplicium medicamentorū facul. cap. 3.

In Trochiscos Alchechengi Mesuęi.

FRAGOSVS.

NEc Bolus ab hac confectione demendus, differt enim à Bolo Armeniaco vt latiꝰ proprio capite Succedaneorum docuimus.

Hoc loco nō fructus grana, sed corticem

ticé eliges ex Galeno libro.5. de cõ-
positione medicamentorum secun-
dum genera cap. vndecimo in pastil-
lo ex Vesiccaria vbi ait: Halicacabi, »
hoc est vesicariæ corticis. Similiter »
AEtius sermon.2. cap.3.lib. 14.
Hi pastilli ob semina ex quibus con
stant permanent lenti. Quare duri
admodũ & siccati, vt vetusti & in-
vtiles sunt reijciendi.

IN TROCHISCOS
Ex Charabe Mesuęi.

FRAGOSVS.

COgnoui medicos qui maluerunt
è Gręcis monumentis, horum
Trochiscorum cõpositionem depro
mere, pręstantiorem arbitrantes. Et
idcirco Galeni verba de ijs referam
7. de compositione per locos. cap.
4. Psyllij mundi drach. xlv. iridis
Illyricæ, masticheS, ramentorum

Pastilli ex succino Galeni.

succini

succini, croci, singulorum drach. 30. opij drach. 15. Cæterùm Mesuæi cõpositionem, multorum annorum experimentis efficacissimam comperimus, ad copiosos sanguinis fluxꝰ cohibendos. Gummi igitur, corallium & similia vstionem requirentia, ad magnitudinem orobi cõfringuntur ac fictili tecta, dum vsus postulat, assantur, donec albescant, & in puluerem redigi possint. Modum autẽ conformandi Trochiscos cum muccagine psyllij, docuit Galenus, sequẽtibus verbis: Psyllium in aquam calidam cõiectum macerari sinito, atq; vbi viscosum ac glutinosum de se in aquam deposuerit, liquorem exprimito, & cum eo pharmacum pręparato, in pastillos, ipsum cogẽdo. Psyllij quantitas Galeno est drachmarũ quadraginta quinque, aquę verò sextarij tres. Sextarius verò pendet vncias mensurales viginti.

Quantitas liquoris pro muccagine.

IN TROCHISCOS EX GALLIA MOSCHATA NICOLAI.

FRAGOSVS.

QVamuis multiplex Galliarum sit discrimen, Officinarum nostrarum vsus, duas potissimum retinuit, alteram scilicet ex Mesuæo, secundam ex Nicolao. Errant tamen qui vncias quatuor olei sambucini immiscent huic confectioni, iuxta vulgares Nicolai codices, nã ea quantitate, medicamentum liquidum & penitus humidum euadet, & non sub trochiscorum forma. Errant secundo quòd prædictam olei quantitatem accipientes, cõpositionem exurunt, oleum ad medietatem consumẽdo. Sed aduerte quod Nicolaꝰ olei

Sambucini pondus conueniens prę-
ſcripſit. ſ. quartam partem vnciæ
vnius. Etenim ſi quatuor vncias
voluiſſet, primo [vt illi mos eſt]
vncias poneret, deinde numerum
aſsignaret.
In eo quod attinet ad illa quę legun-
tur in eadē confectione, hoc eſt, olei
„ Sambucini bulliti & colati ad me-
„ dietatem deinde miſce cum ſpęcie-
„ bus iſtis bene tritis etc. aduerte [vt
notauit quidam noſtri temporis au-
tor Luſitanus] viſum eſſe Nicolai ex
emplar manu ſcriptum caracteribus
longobardicis & inauratis exaratum
atque depictum, quod ex inſtructa
bibliotecha Mathiæ Vngarię Regis
illius, qui Ioannem ex Monte regio
ephemeridum ſcriptorē, multis au-
xit honoribus & diuitiis, prodierat,
in quo ita ad verbum hęc legebātur,
„ olei Sambucini cocti, & bulliant ad
„ medietatē cùm ſpeciebus iſtis bene
tritis

tritis. ex qua lectione satis cõstat, locum hunc apud Nicolaum Præpositum deprauatum esse Typographi vitio. sic igitur deinceps legere oportet, Et postquã fuerint exiccati Trochisci, terãtur subtilissimè, & misceantur cum quarta parte vnciæ vnius olei Sambacini cocti, & bulliant ad medietatẽ, cum speciebus istis bene tritis, Quę lectio veritati consonat optatoq; huius cõpositionis scopo. Hallucinantur deniq; qui falsi vocabuli similitudine Sambacinũ & Sambucinum oleum idẽ esse existimant, Zambach enim vel Sambac est apud Arabes quod jessemin vel jazmin vocamus, ex cuius floribus oleum paratur pro hac cõfectione. Sit igitur (vt notat Foesius) oleum Sambacinum purum, & sordium expers: non sambucinum, vt malè in vulgatis Nicolai codicibus legitur: pro quo etiam perperam ebuli oleum apud Myre-

psum habetur, Antidoto. 424.

In Trochiscos de Rosis, de Spodio, de Berberis.

FRAGOSVS.

EX singulis propositorũ nominũ Trochiscis plures adducit Mesuæus descriptiones, quarum primę semper sunt eligendæ vt nobiliores, idq; ex communi fere omnium consensu.

Trochiscus Andronius.

R. *Cytinorum, drachmas x.*
Aluminis, drachmas iiij.
Calchanti, drachmas xij.
Myrrhæ, drachmas iiij.
Thuris. Aristolochiæ. Gallæ, singulorum, drachmas viij.
Salis Ammoniaci, drachmas iij.
Fiat puluis, diluatur cum passo aut oxycrato.

FRAGOSVS.

SIc â Galeno ex Asclepiade describitur lib. 5. de cõpositione pharmac. per genera. cap. 12. quem vellem paratũ seruari in Officinis ad vsum chirurgorum: est quippe vlceribus recentibus antiquatis efficax valde, sanguinisq́; profluuio ex erosione & alijs medetur, Galen. autore. 5. & 6. & 14. Methodi.

DE OLEIS ANImaduersiones.

PRÆFATIO.

PRiusquam oleorum peculiarem scripturam aggrediar, id in genenere de oleo dicendũ, quod absolutè & simpliciter positũ aut scriptũ, ex oliuarũ baccis expressũ intelligitur, reliqua per translationem, quemadmodum Galen. 2. simplicium, cap. 7. ac

Oleũ absolutè quid.

ac libro.6.euidenter docuit:

Oleũ absolute quid. Olea ex multis aromatis vel alijs medicamentis composita, vnguenta veteribus nuncupabantur, vt constat apud Galenum lib.6. de simplicium facultatibus.

Oleorũ duratio. Operantur olea donec rancida fiant, vt inquit Serapio tractatu.7. de Antidotis cap.34. vnde ante id tempus seruari possunt. Postea verò ab officina propellãtur, cum potius nocere quàm iuuare sint apta.

Quamobrem quæ citius corrumpuntur, vt sesaminum vel amigdalinum, non antea elici debent quàm vsus sit necessario, idq; in parua quãtitate. secus de alijs quæ ex fructibus stipticis parantur, vt ex Lentisco & Myrto, aut quæ ex odoratis eliciuntur, hęc enim (odorata inquam) per sex menses durant, astringẽtia verò & stiptica, per integrum annum seruari possunt.

IN

In Oleum Rosatum Galeni.

FRAGOSVS.

PLeriq; Nicolaum Præpositũ imitantur in rosacei præparatione, nec tamẽ errãt si rosas in duplici vase coquere oporteret. Oleum enim quod ex floribus constat, aliud diu insolatur, aliud pauco tempore: nullum tamen cum floribus coctionem tolerat, imo nec solem æque omnes: quia flores subtiles prompte difflantur, & sic eorum virtus euanescit; idcirco ij diuturnum aerem non ferunt, nec vllam coctionem, vt lilia, cheyri, sambuci. Qui vero validam odoris vim possident oleo mersa, oleum reddunt insolatu tenuius magisque vtile, sicut quod ex rosis paratur. Atqui, ex Galeni doctrina lib. 4. cap. 15. de Sanitate tuenda, flo-

res macerari debent in oleorum con
fectionibus, coctio autem euitanda,
„ cuius verba hæc sunt, Nonnulli diu
„ macerari, tum flores, tum semina
„ non ferentes, partim ea præcoque-
„ re in oleo coguntur, partim aquam
„ inijcere vtique qui cautiores sunt,
„ quo videlicet nec torreantur quæ
„ sunt iniecta, nec oleum vstione odo-
„ re referat. Qui vero his magis sunt
„ curiosi, in duplicibus vasis coquũt.
„ hoc fit cum in lebete in quo sit aqua
„ feruens inseritur exiguum vascu-
„ lum in quod fundi oleum debet. Id
„ quod sane & nos facimus, non ta-
„ men ad semina flores ve coquen-
„ dos, quippe hac coctione minime
„ egemus, propterea quod ea diu ma-
ceramus, &c. Speciatim tamen de
oleo rosaceo scribens Galenus li-
bro. 2. cap. 1. & libro. 3. cap. 1. de
compositione pharmacorum secun-
dum locos, & libro. 2. de composi-
tio-

tione medicamentorum per genera cap. 3. idipſum annotauit dicens,
„ Memineris autem quod bonum ſem
„ per roſaceum dico in quo plurimæ
„ roſæ maceratæ ſint. Cęterùm cum
non definiat Galenus quantitates,
nec tempus macerationis, Ætio
ſubſcribemus ſermone primo Te-
„ trabibli primæ, vbi ait, Roſaceum
„ oleum ſic pręparatur: Accipitur
„ floris roſarum rubrarum exun-
„ guium, & per diem ac noctem,
„ ſiccatarum quadrans, olei ſextarius vnus: Roſis iniectis, os vaſis
„ occludere oportet intrinſecus linteola forinſecus pellicula, propter imbres repentinos, & inſolare ad dies quadraginta, atq; ita excolatū reponere Roſas aliquatenus ſiccare primò cōſueuerunt multi, vt odorē ſynceriorē efficatiorēq; relinquant, moniti ex Theophraſtro, lib. 6. de plantarum cauſis cap. 23.

Roſæ quare ſiccātur pa rūper ꝑ vnguētorū cōfectionibus.

Oleũ rosatũ cõpletũ & incompletũ.

Verum duobus modis parari, vnũ completum ex oleo communi aut sesamino & rosis maturis, alterum in oleo Omphacino & rosis adstrictis, rude & incompletum, notius est quá vt nostra egeat demonstratione.

In Oleum Violarum Mesuęi.

FRAGOSVS.

NOn parum est cõtentionis apud nostros pharmacopolas, quid intellegerit Mesuæus in oleo violaceo, per oleum viride cùm ait: Et modus operationis eius est sicut olei rosati, excepto quod debet fieri cum oleo viridi aut amigdalino, aut sesamino. Sunt enim qui per oleum viride, recens & completum intelligant, alij immaturum, quod Omphacinum vocant. Sed vere secundum intentio nem

nem Mesuæi confici debet violaceũ cum oleo ex Oliuis immaturis vel omphacino. Nam si modus operationis eius est sicut olei rosati, excepto quod debet fieri cùm oleo viridi, & oleum rosatum communiter fit cum completo, Violaceum igitur fieri debet cum Omphacino, aliàs nulla esset differentia.

Secũdo, quia ipse Mesuæus se ipsum exponit capite proprio de violis dicẽs, Et melius oleum earum est, »
cuius fundamentum est oleum Om- »
phacinum aut Amigdalinum. »

Tertio, quia oleum Sesaminum vel amigdalinũ quæ pro viridi substituit Mesuęus, astringentis etiam sunt facultatis ex Galeni sententia, libro. 6. simplicium capite de oleo, vbi ait: Pugnant cum istis myrtinũ & sesaminum, tum quod astringãt, »
tum quod crassarum sint partium. »
Et inferius de Amigdalino inquit, »

" Amigdalinum porrò amaritatem
" exuperantem poſsidet, cæterùm cu-
" iuſdam etiam aſtrictionis eſt parti-
" ceps.

Quartò, quia licet vſus olei violacei ſit ad leniendum, non ſolum non nocet aſtrictio ex parte olei omphacini, verum prodeſt ad penetrationem vbi fuerit mediocris, Galeno ipſo teſtāte libro.3.de ſimplicium facultatibus.

His omnibus accedit Pauli Æginetæ teſtimonium, qui cum oleo Omphacino, ſuũ violaceum parat.

Cæterùm qui Nicolaum ſequuntur, in olei violacei confectura, extra litem ſunt, cùm ex oleo dulci fieri inſinuet, ſimiliter Arnaldus, & inter recentiores Grȩcos, Ætius.

In Oleum Chamȩmelinum.

FRAGOSVS.

Hoc

HOc oleum Galeno maximè celebratum. 3. ſimplicium, cap. 9. ſine ponderis certitudine & abſque florum delectu componi ſolet. Conuenit igitur imitari Actuarium & Nicolaum Myrepſicũ qui accipiunt florũ vncias ij. olei dulcis libram j. Aduertẽdum etiã quod partes albæ ambientes capitulũ luteum, ſunt reijciẽdę ex Pauli & Actuarij ſcriptis. Pauli verba lib. 7. cap. 20. ſic habẽt, Chamęmeli floris ſine albis foliolis „ marceſcentis per diẽ noctemq; vnã, „ olei ſextarius Italicus. vaſe lintheo „ ſimplici contecto vt perſpiret, inſo- „ latur, idq; diebus quadraginta, inde „ ſecure hoc percolatum repones. „

Verba Actuarij. 6. lib. Methodi ſunt quę ſequntur, Chamęmeli florẽ ſine „ candidis foliolis ſextantem, id eſt vn „ cias ij. in olei libra, vitreo vaſe lin- „ theo cooperto quadraginta dies in- „ ſolato.

Naſci-

Nascitur in campestribus quoddá chamemeli parui genus cũ capitulis nudis & absq; foliolis albis (quæ frigidiora sunt, quam huius olei tempe ramento cõueniat) quod quidem nõ negauerim cõmodum esse ad huius olei compostituram.

In Oleum Lumbricorum.

FRAGOSVS.

GVido Cauliacensis libro. 3. suæ Chirurgiæ cap. de incisione ner uorum, vnguentum adducit ex vermibus, à quo olei lumbricorum cõficiendi rationem elicimus, recipiẽ do lumbricorum terrestrium lotorũ cum vino vncias, vj. olei librá vná. Cæterùm quod oleum rosaceum accipiendum hîc sit, testatur Ætius ser mone.2. Tetrabibli primæ, cap.168. de terræ intestinis vbi ait, At vero

in rosaceo cocta aurium dolores sa- ››
nant oleo calido infuso, oportet au- ››
tem terræ intestinorum vncias sex ››
esse, & rosacei libram vnam. ››

Accedit ratio, nam cùm hoc oleũ ad neruos corroborandum & dolores in articulis sedandos inuentũ sit, præstantius erit ex rosaceo confectũ quàm ex communi, mediocri astrictione ex parte rosæ nonnihil iuuãte ad penetrationẽ, vt superius ex Galeno suasimus.

Lauantur in vino lumbrici, deinde immittuntur in oleum, & cum vini vncijs, ij. coquantur in duplici vase ad vini consumptionem, colatum repone.

In Oleum Laurinum Mesuęi.

FRAGOSVS.

CAueãt nostri pharmacopolæ ne ob baccharum viridium inopiã hoc

hoc oleum aliunde aduectum, adulterinum tamen nec bene paratum emant, sed potius legitimum requirant ex insulis Fortunatis, vbi Lauri copiosissime proueniunt.

In oleum Vulpinum Mesuęi.

FRAGOSVS.

Magna est inter autores dissensio circa vulpium præparationem, pro huius olei confectura. Sunt enim qui integram viuamq; vulpé in oleo coquendam esse malint contra Mesuæi institutum, quòd legerint apud Galenum libro simpliciũ, cap. 47. multos viuas iniecisse, Auicenna etiam, 2. canone cap. 740. dicente, oleum eius in quo viua decoquitur esse valde fortius. ducuntur similiter aliorum animalium similitudine (lumbricorum videlicet, ac scorpionum,

pionum,quæ integra cum interaneis in oleis decoquũtur. Præter id quod intestinis adipis copiam subesse arguunt, quæ non parui momenti est ad ipsius olei efficaciam. Alij contra à Mesuęi dogmate non discedentes vulpem coquũt interaneis exemptis, de quorũ numero est Nicolaus Alexãdrinus cap.745. Bernardus Dessenius (haud scio quo numine afflatus) recéter mactatam vulpem & cũ ipsis interioribus, in oleo abundanti coquendam præcipit. In hac scriptorum discordantia, visum est nobis Mesuæi scriptis adhęrere, quum pręsertim Galenus vtrãq; viam aggrediẽdi, libertatem reliquerit. Neq; rationi consonum opinor, excrementa & ipsorũ receptacula, simul cum reliqua carne decoquere, vtpote superuacua & immunda, & quæ fortassis possint obtundere actioné medicamenti. Nec nostræ sentẽtiæ re-

fra-

fragatur Auicenna, is enim non comparat oleum viuę vulpis cum oleo mortuæ, ſed oleum eius cum aqua decoctionis ipſius, de qua paulò ante loquebatur. Inferiꝰ vero de oleo vulpino ſimpliciter docens, Et quãdoq; ait, coquitur in oleo viua, & quandoq; coquitur in ipſo decollata, & quęcumq; ambarum adminiſtretur, ceſſauit illud quod eſt in iuncturis. Nec obſtat inſuper aliorum animalium ſimilitudo, quæ integra in oleis ebullire ſolẽt, nam prę ſui paruitate vix poſſunt exenterari, perinde ac exiguæ radices, quæ totę cum medullis aſſumuntur, quamuis aliàs excorticari ipſas oporteret. Si demum adipis interaneis hęrentis aliquid ſit (quod ad rem multum facere videatur) licebit cuiq; detrahere.

Cęterùm circa aquæ quantitatem Braſſauoli dogma recipiendum cenſeo, vt tãtum aquæ imponatur, quã-

tum cõmode poſsit ebullire, diſſolui, & optime conſumi: vulpes verò contundenda eſt, vt ab oſsibus medulla diſsiliat. Sed quia ex his quædã ſunt maiores, nonnullæ minores, interdumq́; coguntur pharmacopolæ antiquam vulpem & duriorem accipere (ad quod multa opus eſt aquæ conſumptione) hæc regula obſeruetur, vt cum viderint vulpis membra eſſe diſſoluta, aqua addatur vt penitus diſſoluantur, & totum pingue eliqueſcat.

In Oleum de Ben.

FRAGOSVS.

MAnardus in annotationib9 Meſuæi, vertit in dubiũ an oleum de Ben, è nucleo exprimi debeat, an è putamine, nam Theophraſtus ait Vnguentarios vti putamine fructus

contuſo. At ex Galeni cenſura lib. 6. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, oleum hoc (balaninũ appellatum) ex carne nucleorum exprimi debet. id quod ex Dioſcoride colligitur dicente, conſimili modo fieri balaninũ & amigdalinum. Nec credibile eſt poſſe hoc oleum ex ſolis putaminibus extrahi, quanquam diligenter admodum comprimatur prælo, arida enim ſunt, & omni prorſus humore carentia.

In Oleum Maſtichinum Meſuęi.

FRAGOSVS.

EX duab9 huius olei deſcriptionibus apud Meſuæum, poſterior in vſum accipiatur quia præſtantior.

Hoc tamen loco mouendus eſt lector (vt notat Bernardus Deſſenius) cor-

corruptam esse scripturam quę habet (in alio vncias quatuor) & appositam à librario quopiam, alioqui enim minor esset vini quantitas pro iusta compositione: cuius etiam sententiæ fuit Arnaldus Villanouanus.

Fieri debet cum rosaceo completo, nam quamuis Paulus Omphacinum apponat, non tamẽ exponit ad quæ valeat suum oleum, præter id quod semper rosaceum cum oleo parat Omphacino. At Mesuęus valere inquit ad leniendum apostemata dura, & stomachi duritiem, & sedandum dolores, ad quæ rosaceum completum est accomodatius. Accedit quod nusquã Mesuęus de oleo rosaceo absolute scribẽs, aliud à completo intellegit, nam quum illi opus est incõpleto siue Omphacino, ipse describit aperte, vt in Cerato infrigidante Galeni, & in alijs.

Regula in oleis coquēdis cū succis.

Pro huius olei vinum recipientis confectura, animaduertant Myropolę inexperti, vt quoties in oleis arte parandis, vinum siue succus recipitur, is leui coctione absumi debet, quod sic intelligitur, nam si guttulas aliquot ex vase oleum ac succum habente spatha in ignem conijcias, nō crepitāt, neq; flammę repugnāt: secus fit succo nondum consumpto, quamobrem diutius coquendum, donec rursus eodē periculo facto, quod modò diximus consequamur.

In Oleum Rutaceum Mesuęi.

FRAGOSVS.

EX syluestri seu montana ruta fit efficatius hoc oleum, domestica enim cibis magis expetitur, vt inquit Dioscorides. Sumantur autē folia molliuscula parumq; siccata, viridia

ridia enim ex crementoſo ſucco abũdant.

Paratur (autore Meſuæo) ſicut Myrtinũ, id quod intelligẽdum venit, non vt fiat cum omphacino, ſed quantum admodum conficiendi: fieri enim oportet cum oleo dulci vt multi ex recentioribus annotarunt, rutacei enim olei viseſt calefaciens, aperiens, & diſcutiens.

In Oleum Abſynthij Arnaldi Villanouani.

FRAGOSVS.

SI Dioſcoridem atq; alios non cõtemnẽdi nominis autores ſpectes, ferè ſemper vni parti florũ ſiue herbarum, tres olei admixtas inuenies, quos ſecutus ſimiliter in præſenti facies, niſi malis certũ aliquem doctorẽ imitari, qualis eſt Arnaldus à Vil-

lanoua in suo Antidotario, vbi de
„ huius olei descriptione sic ait: Mit-
„ tatur libra. j. florum vel foliorum
„ Absynthij non maritimi recentis
„ in vase vitreato, & super impone
„ olei loti vel alterius libras iiij. & stet
„ ad Solem obturando bene quadra-
„ ginta diebus postea cola, & mini-
„ stra. & si vis conficere cum oleo se-
„ samino, tunc lenit duritiem, & si vis
„ fac citius in duplici vase.

Oleum de Capparibus ex Luminari maiori.

R. *Corticum radicis capparũ, drachmas viij.*

Iridis. Agnicasti. Tamarisci, an. drachmas iiij.

Olei communis, lib. ij.

Vini, uncias iiij.

Bul-

Bulliant omnia ad uini consumptionem, deinde colentur.

FRAGOSVS.

QVamuis nemo veterum huiusmodi olei meminerit, sed fiat ex Luminari maiori; rebus tamen constat pro splene à veteribus, & Galeno imprimis commendatis libro. 2. ad Glauconem, & 13. Methodi. Foesius scolopendrium addit, & acetum vini loco ponit. Bernardus Dessennius cypero, ruta, & sconlopendrio cum vino & aceto compositionem auget, Fit in duplo vase vt alia multa.

Oleum Magistrale simplex pro vulneribus.

R. *Terebinthinæ communis, librā. j. Olei communis vetustissimi, libras ij. semis.*

Bulliant simul lento igne in vase fictili vitroso & operculato vsq; ad vnius horæ medietatē, paulatim spumam detrahendo, deinde ab igne remotis & tepidis, misce

Pulueris thuris clarissimi, vncias ij.

Myrrhæ electæ, vnciam j.

Bulliant iterum lento igne per tempus quartæ partis horæ, continuo agitando & vase obturato. Demum remoueatur ab igne & stragulis cooperiantur donec frigescant, postea colentur, & oleum ad vsum seruetur.

FRAGOSVS.

HÆc est legitima olei descriptio quam iussu Regij Senatus retexit vxor sutoris coriarij coram doctore Ioãne Gutterrio à Sanctāder, Philippi. 2. regis Archiatro, ob rarissimasq; sui animi dotes, eximiā virtutem,

tutē, & singularē doctrinā nūquam satis laudato. Id itaq; cōposuit prædicta mulier astantibus Didaco Burgensi pharmacopola Regio, & Damiano à Roxas scriba. die 8. Martij anno à natiuitate Christi. 1566.

Oleum Apparicij de Zuuia ad vulnera.

R. *Hyperici floris, vncias viij.*
Radicum Valerianæ. Cardui benedicti, añ. vncias iiij.
Tritici mundi, vncias v.
Contundantur mediocriter & macerentur per diem & noctē in libris, iij. vini albi odoriferi, & sequenti die misce
Olei antiqui & electi, libras iij.
In nouam ollam eamq; fictilē & operculo probe contectam reposita, bulliāt simul lento igne ad cōsumptionē vini

& aliarum humiditatũ, semper agitando ne herbæ uasis fundo hæreãt, facta expreßione & colatura olei, adde Terebinthinæ abietinæ, lib. ij.

Bulliant hæc duo lento igne in uase uitreato probe obturato per spaciũ quartæ partis unius horæ, semotis ab igne parumq; tepefactis, inijce (spathula uoluendo)

Pulueris thuris optimi, uncias viij.

Iterum ponantur super lentum ignem denuo agitando & ferueant per tempus quartæ partis horæ. Postea obturetur sufficienter stragulis, ne uirtus resoluatur, & cum frigescat, seruetur ad usum.

FRAGOSVS.

HÆc est similiter vera olei Apparitij de Zunia compositio, quam anno à Christi ortu 1567. vndecima die

dieMartij reuelauit eiusdē vxor, iussu Regij ac suppremi senatus in ædibus doctoris de la Gasca consiliarij cui res commissa fuit: & ipsa composuit oleum, astantibus doctore Sancti Petri in Curijs pro Pincia procuratore, & Didaco Burgensi pharmacopola Regis.

Cæterùm vtriusq; olei mētionem fecimus in posteriori Chirurgię editione: quantamq́; vim habeant in curandis vulneribus (si tamen quis dextrè ijs vtatur) satis aperuimus. Primo modo paratum est maximè simplex, atque ita sanè componi in frequenti vsu suaserim, vtpote à nobis multis experimentis comprobatum, altero tamen & compositiori non neglecto, præsertim pro diuitibus & curiosis.

Oleum de Scorpionibus Matthioli Senensis.

R. Ineunte

℞ Ineunte mense Maio (quo tempore confici debet) olei communis centum annorum, sin minus sui temporis vetustissimi, lib. iij.
Foliorum hyperici virentis, Manipul. iij.
Oleum in vas vitreum duplæ à contento capacitatis imponatur, in hypericum aliquantulum antea contusum infundatur, deinde vas cera & membrana obturetur, & mediũ in tenuissimam arenam condatur, loco vbi tota die insolari possit, atq; inibi sinatur ad decimũ vel duodecimũ diem vsq;.
Quo exacto tempore mergatur vas in calẽtis aquæ balneo ad viginti quatuor horas: mox oleum ab herba exprimatur. Hoc facto.
℞. hyperici. Chamædryos. Calaminthe. Cardui benedicti, sing. Manip. j.
Quæ

Quæ omnia prius diligenter contusa oleo admisceantur, ac subinde vas in prædictum mergatur balneum tribus cõtinuis diebus. Extrahatur deinde, & ab incoctis herbis exprimatur. Posthæc.

R. Florum hyperici Manipulos iij. à caulibus probe repurgentur, & contusi in prædictum oleum infundãtur, ac in idem balneum per triduum repo natur. Post id tempus eximãtur, & vt prius exprimantur, Idem fiat ter, aut quater, vsque dum oleum sangui neum colorem referat. His peractis su matur hypericum, quod iam defloruerit, & ab eius cacumine grana illa viridia excerpantur, quæ hordeaceis granis similia deprehenduntur, in quibus semen continetur. Ex ijs itaque tres cõfertim manipuli decerpantur qui po-

stea tusi, & vino meraco albo aliquã tulum perfusi in oleum prædictum infundantur, & cum eodẽ vitro, in arena sepulto, octo diebus coutinuis insolentur. Quo tempore transacto tridui spacio in balneum immittantur, post colentur, & modo prædicto exprimãtur: tertio, aut quarto similiter dictum semen in oleo macerari debet, donec id obscuri sanguinis colorem representet.

Adhæc

R. Scordij recentis. Calaminthæ. Cẽtaurij minoris. Cardui benedicti. Verbenacæ. Dictamni Cretensis, singulorum Manip. semis.

Fundantur omnia, merganturin oleũ prædictum & vas in balneum iterũ imponatur per biduum continuũ, dein colentur, & exprimantur vt supra.

Postea

R. Ze-

℞. Zedoariæ. Radicum dictamni al
bi. Gentianæ. Tormentillæ. Aristolo
chiæ rotundæ, singulorum drach. iij.
Scordij, Manip. j.
Tundantur item omnia, infundãtur,
& immittantur in balneũ, ibiq; per-
maneant tribus diebus continuis: colen
tur deinde, & exprimantur. Infundã
tur denuo
Styracis calamiti. Lasseris, cuiusque
drachmas vj.
Baccharum iuniperi, drachmas iiij.
Melanthij, drachmas ij.
Caßiæ odoratæ, drachmas ix.
Iunci odorati. Cyperi, singulo. drach-
mam, semißem
Santalorum alborum, unciã semißẽ
Tundãtur omnia (ut pluries de alijs
dictum est) & in idem oleum infun-
dantur, & per triduum continuum in
bal-

balneum macerentur, demum colentur, & exprimantur, modo quo ante dictũ est. Postremo adsint oportet trecenti scorpiones viui diebus canicularibus collecti. Ij in vase vitreo conclusi, cineribus calidis superponantur, & cum eos præ calore sudare, atq; irasci constet, omne iam dictum oleum calidum superinijciatur. Nec tamen id adeò feruens sit, ut uas disrumpat. Obturato statim uasis ore in balneũ tribus continuis diebus contineatur: deinde coletur, & exprimatur. Proiectis interea scorpionibus, rursum in oleũ infundantur

Rhabarbari laudatißimi. Myrrhæ vulgaris. Aloes hepaticæ, singulorũ drachmæ iij.

Nardi indici, drachmæ ij.

Croci, drachma j.

Theriacæ

Theriacæ electæ. Mithridatij boni, cuiusq; unciam semissem.
Quæ ex his tundenda sunt, terantur, mox ultimo infundantur in oleum, quod per triduum cōtinuum contineatur in balneo. Quo facto oleum non amplius percoletur, sed deinceps recondatur, perinde ac Opobalsamum.

FRAGOSVS.

OLeum de scorpionibus dupliciter paratur apud Mesuæū, quodam enim est simplex ex oleo amigdalarum amararū & scorpionibus confectum, aliud compositum ex dictis & quibusdā aromatis multo efficatius, quod etiam refertur à Rhaze.9.ad Almansorē, capite de lapide renum & vesicæ. Quæ descriptio nō displicet, tametsi primam vsus retinuerit. Paratum est etiam nostro tēpore magis compositum, multoq; ar-

tificiosius Andreæ Matthioli industria, commentarijs suis in præfationem libri. 6. Dioscoridis, peculiari experimento. Hoc enim pulsibus extrinsecus patentibus illitum, nempe temporũ, manuum ac pedum, quinetiam extimæ cordis parti ad sinistram mammillam, repetita alternis tribus horis illinitione, efficacissime succurrit omnibus venenis per os sumptis, quę tamen ex erodentium genere non fuerint, similiter viperarum, & cuiusque venenati animalis morsibus singulari auxilio est. Et vt ipse inquit libro. 2. cap. de scorpionibus, maximè pręstat cum in homines pestilentia sęuit: quippe quòd nõ modo peste infectos iuuet, sed & sanos præseruet, Additq; Manardus, ex sola inunctione aliquos liberatos, qui sæuissima biberant venena. Præstat deniq; ad omnes interaneorum vermes, omnesq; dolores mulcet ex flatu

Vires olei de scorpionibus Matthioli.

flatu vel ex frigore genitos, præsertim ventriculi, coli, ac vteri, sępissimeq́; vſu venit apud nos in febribus malignis & léticularibus ſiue (vt vulgo dicitur) de Tauardillo.

Cæterùm hîc audiēdi non ſunt, qui Hyperici ſemen tertio aut quarto ſimiliter in oleo macerandum donec id obſcuri ſanguinis colorem repreſentet, octo diebus continuis inſolant, nam etſi Matthiolus dicat tertio aut quarto ſemen Hyperici ſimiliter vt prius in oleum perſundendum, noluit tamen inſolari octo cōtinuis diebus, vt de tribus eiuſdē manipulis antea monuerat, niſi quis fotaſſe orationis contextum ignorans, genuinum ſenſum peruertat.

Oleum Balſami Factitij.

R. *Myrrhæ. Aloes. Spicæ nardi. Sāguinis draconis. Thuris. Mumiæ.*

Opopanacis. Bdellij. Carpobalsami. Ammoniaci. Sarcocollæ. Croci. Mastiches. Gummi arabici. Styracis liquidæ, añ. drachmas ij.

Ladani. Succi castorei, añ. drachmas ij. semis.

Moschi, drach. j. semissem.

Terebinthinæ pondus omnium.

Trita misceantur & destillentur.

FRAGOSVS.

PEtrus de Ebano cap. de cordis affectibus, huius Balsami descriptionem docuit, cuius etiam Iacobus Syluius meminit in annotationibus super Mesuæi distinctionem de oleis, id quod veri Opobalsami loco miscendum esse ait, Theriacæ, Mithridato, Diacurcumę & Aureę Alexandrinę. Matthiolus in commentarijs libri. 1. super Dioscoridem cap. de Balsa-

Balſamo, aliam huius olei conficiendi rationem ſcriptis mandauit: quo multi ex recentioribus cùm ſe Opobalſamo deſtitutos cõſpiciunt, illud artificio mirabili compoſuerũt. Nã ex vnica deſtillatione, diuerſis temporibus, fluit aqua, oleum, & Balſamum, quæ mirificè varijs morborũ generibus ſuccurrunt.

DE VNGVENTIS. Animaduerſiones.

PRÆFATIO.

PLinius libro. 13. cap. 1. inter laudatiſsima atque etiam honeſtiſsima Romanæ vitæ bona numerauit vnguẽta, quo nomine Græcis ſolum vocabantur olea compoſita ex aromatibus calore ignis aut Solis in eã formam redacta, vt his facile vti poſſent ad vngendum. Arabes verò ſub

Vnguẽta Græcisque dicebãtur.

vnguenti vocabulo, Cerata Græcorũ, Malagmata, & ex Emplastris nõ nulla complectantur. Cognominari solent vt plurimum ab inuentoribus & à rebus ingredientibus.

Vnguẽtorũ ꝓbatio.

Probãtur odore, vt si ea oleant, ex quibus fiant: siquidem odores in oleo seruantur, ac per eos vnguenta, iucũdiora reddũtur. Aromata quę vehementer fragrãt, nouissimo loco addi debent vnguentis. Reliqua etiã quæ misceri solent vt herbę, metallica ac terrea, exquisitissime teruntur. Si tamen virides sint herbæ, humore maceratæ coquuntur & exprimuntur. Postea earum expressio, cum reliquis ingredientibus ad sui compositionem coquitur. Liquores vero siccati, gummi ac resinę teruntur, vel pistillo calidiore soluta (si opus sit) alijs iungũtur. Cera semper cũ oleo primo liquatur, mox ab igne interrefrigerandũ, continua motione ducitur.

citur. Verùm quis ceræ cum oleo in vnguentis modus esse debeat, absolutê determinari nequit, nam ęstate plus ceræ, hyeme minus requiritur. Paulus lib. 7. cap. 24. in fine, Quod „ si vnguina (inquit) quę Græci à leuã „ da lassitudine acopa appellant, con- „ ficere constitueris, oleum ceræ qua- „ druplum immittes: at si liquidũ Ce- „ ratum, vt in fracturis præparamus, „ duplicatum. Si medicamẽtum quod „ Emplastri figuram habeat efficere „ cogitauerimus, portionem olei cerę „ ęqualem miscebimus, si aer ambiens „ moderatus extiterit: at si cera vetus „ aut squalida, aer frigidus fuerit, oleũ „ paulò copiosius quâm cera erit: quẽ- „ admodum & si cera pinguis, aer exi „ stat calidus, paulò minor olei portio „ erit, paulum autẽ hoc, medij in vtrã „ libet partẽ excessus, duodecima erit „ portio, etenim vndecim & tredecim „ olei vncias, cerę libræ admiscebis. „

Vnguetorũ repositio. Vnguenta Plinio autore lib.13.cap. 2. & 7. in alabaſtris tutiſsime reponuntur. Poſſunt inſuper pyxydibus lapideis, ſiliceis & ſtanneis excipi.

Duratio vnguetorum. Durant ex Serapione tract.7. cap. 34. per annum integrum.

In vnguentum Roſaceum Meſuęi.

FRAGOSVS.

ERrant qui pro huius vnguẽti cõfectione ſex partes olei amigdalini ad vnam axunxiæ porcinæ inijciunt, vt in vulgaribus Meſuæi codicibus legi ſolet, ſic enim nõ vnguẽtum, ſed linimẽtum potius & id valde liquidum conficeretur. Oportet igitur ſecũdum ipſius rei veritatem ſextam partem intelligere.

Nec minus errant qui oleum amigdalarum dulcium omnino à compo-

po-

positione auferunt ne vnguentum rancescat, hanc enim noxam subterfugient, si aliquam totius vnguenti absque oleo confecti partem in vase paruo reponant, ibidem immisso oleo conueniente.

Vnguentum refrigerans Galeni.

R. *Ceræ albæ vnciam vnam.*
Olei rosati Omphacini vncias quatuor.
Oleum multoties bene lauetur aqua fontana, tandem conquassetur aceto albo claro, pauco, & in vsum reponatur.

FRAGOSVS.

MEminit Galenus huius vnguenti (seu vt alijs placet Cerati albi) libro. 1. de simplicium facultatibus,

& libro. 6. de sanitate tuenda, sed ex professo lib. 10. de Methodo medendi cap. 9. vbi ait, „ Incipiam autem ab „ eo medicamine quod omnium quæ „ humectent, ac refrigerent, est simplicissimum quo etiam aduersus erysipelata vtor, & phlegmonas in pudendis vtiq; inter initia, priusquam depascens aliqua subindicetur putredo. Debebit autem ad id præparata esse cera quam optima, & elota. Sanè optima fuerit, vel alba Pontica, vel quæ ex Atticis sit fauis. Esto autem & rosaceum, quod ex oleo sit â nonnullis vocato Omphacino, ab alijs crudo, quodq; citra salem sit cõfectum, Cum vti voles, ambo mista liquantur in vase duplici. Factóque liquido Cerato (cuiusmodi scilicet erit quod triplum aut quadruplum ad ceram rosaceũ habet) postquam ipsum fuerit refrigeratũ, misceto ei paulatim tantum aquę quã-

tum in se, dum cum ea mollitur, ac- „
cipere possit. Expedit autem & ce- „
ratum ipsum prius admodũ esse re- „
frigeratum, atq; etiam quæ huic mi- „
scebitur aquam esse frigidissimam. „
Abunde autem ceratum refrigera- „
bis si cum modice coiuit, totum vas „
in quo continetur, in aquam frigi- „
dissimã dimittas. Quod si aceti quo- „
que admodum tenuis ac clari pau- „
lulũ adijcere velis, vtiq; magis tum „
refrigerans, tum humectans medi- „
camentum effic[i]es. Hactenus Gale- „
nus. „

Vnguentum Populeum Nicolai Alexandrini.

R. *Oculorum siue germinum Populi librasquatuor.*

Foliorum hyosciami, Solatri. Cimarum rubi. Semperuiuæ. Radicis Bardanæ. Cotyledonis. Lactucarũ. Violarum

larum ana uncias vj.
Axunxiæ porcinæ recentis, libras vj. vel quantum sufficit.
Axunxiam cum reliquis misce diligenter, & octo dies fermentetur, nono ad lentū ignem tenui vino coquātur, deinde per sacculum colentur abiectisq; herbis, nocte integra dimittatur liquor. mane quicquid coagulatum supernatauerit, vase vnguentario reconde.

FRAGOSVS.

Visum est nobis genuinam huius vnguenti cōpositionem ex Alexandrino potius quàm ex Præposito transponere: quem cōstat ab illo suam scripturam mala fide transcripsisse.

Non est tamen assentiēdum ijs qui ex fructu Populi albæ præsens vnguentum conficiunt, siquidem apud Græ-

Gręcos autores, vbiq; egyros, hoc eſt, nigra legitur.

Hîc etiam eſt annotãdum quod in noſtra regione, Oculi populi menſe Martio colligũtur, ſolanũ verò æſtatis tempore; qua de cauſa ad id tempus obſeruandum eſt vnguentũ alijs ammixtum, vt docuit Syluius.

Animaduertant quoq; pharmacopolę, ne decepti foliorum & fructuũ ſimilitudine, pro Solano hortẽſi Vitem ſylueſtrem colligant, quæ Alga liua vulgo dicitur, & in hortis etiam frequẽter prouenit. hæc etenim procerius aſſurgit, & arboribus conuoluitur, facultate verò & guſtu acris & mordax cenſetur, ipſiusq; vuę ſemper à maturitate rubeſcũt: Solanum contra humilior eſt planta, refrigerandi naturam ſortita, cuius grana vt plurimum in maturitate nigreſcunt, quamuis fulua aliquando conſpiciantur. Alga liua.

Vnguentum Dialthea Nicolai Alexandrini.

R Aquæ libras xiiij.
Radicis altheæ libras iiij.
Seminum lini. Fænugreci. Ceræ añ. libras ij.
Olei libras viij.
Scillæ. Colophoniæ. Resinæ añ. libr. j.
Terebinthinæ. Galbani. Gummi hederæ añ. vncias iiij.
Radices & semina per triduũ aquæ infunde, quarto die lento igne in vase æneo stagnato, ad consumptionem aquæ decoque & fortiter per linteolum cola. Deinde in succi libris iiij. oleum funde, mox ad illius consumptionem coque. Iterum cola, post cerã adde, & liquefactis gummi, postremo colophoniæ puluerem ac resinæ. Repone ad vsum.

FRA-

FRAGOSVS.

NIcolaus Myrepsus vnguẽto 49. ex Nicolao Alexãdrino scribẽs, quartam partem dosi subtraxit, Præpositus verò mediam. Omnes tamẽ eandem cõpositionem pingũt. Hinc pharmacopolas admoneo, ne vulgaribus quorundam Dispẽsatorijs ducti, eam simplicius parent, relictis scilicet gummis.

Galbanum dissoluatur cum Mucilaginibus & oleo, & non in aceto vt in alijs compositionibus fieri cõsueuit. Et quod hoc sit ad mentem autoris, constat ex viribus quas vnguento tribuit dicẽs, Valet proprie ad dolorẽ pectoris ex frigiditate & pleuresi, & super pectus inunctum sanat omnia loca infrigidata, & desiccata calefacit, mollificat & humectat. vnde constat acetum non esse commiscendum medicamento, est enim

frigi-

frigidum & ſiccum, habéſq; vim reprimendi, autore Galeno libro. 1. de ſimplicium medicamentorum facultatibus.

In vnguentum albũ Rhazis.

FRAGOSVS.

AVtor eſt Rhazius lib. 9. diuiſionum cap. 136. de aduſtione ignis,
» dicens, Volo quod vnguentum albũ
» ſit id quod factum eſt ex cera, & ce-
» ruſſa, & oleo roſaceo, & non de pluribus. Sed quoniam non præſcribit certam quantitatem olei & ceruſſæ, viſum eſt nobis pares vtriuſq; portiones inijcere, ceruſſę, ſcilicet & olei. Anutius Foeſius R. cerę albę vnciam j. ceruſſæ in aqua roſarum lotæ vncias ij. olei roſacei vncias iiij. ſed erit minus exiccans. Alij adijciunt lithargirium, camphorã & albumi-

bumina ouorum, neutiquá tamen á Rhazis ſcriptis diſcedendum, niſi aliquis medicus aliter velit.

Vnguentum Baſilicum Guidonis.

R. *Picis nigræ. Reſinæ. Ceræ. Seui taurini. Olei, ana quãtum vis, fundantur & fiat vnguentum.*

FRAGOSVS.

AVtor eſt Guido Cauliacus tractatu. 7. cap. de medicinis regenerantibus carnem, quem præ alijs ſequuntur Chirurgi, nam quamuis Cornelius Celſus libro. 5. cap. 19. & Galenus libro. 1. de Elemẽtis cap. 10. & 3. de compoſitione pharmacorũ partium, Cõmentario de natura humana & lib. 2. ad Glaucone͂, Baſilicũ Tetrapharmacũ deſcribãt ex paribꝰ

Tetrā pharmacū vnguē tum.

portionibus, ceræ, picis, resinæ & seui taurini aut vitulini, nihilominus tamen, Guidonis imitatione oleum addetur vsitato nobis vnguento, vt melius concoquat & pus moueat in vlceribus: ad quod semper Græci & posteriores hoc remedium vsurparunt precipue. Qua de re Basilicum magnum Mesuęi, ex thure & myrrha cōpositum, ab vsu recessit, vtpote carni gignendę aptius.

Caueant tamē nostri tēporis pharmacopolę, ne vnguentū hoc absq; pice nigra conficiant, colorem pallidū requirentes, vt vulgaribus potius, quâm ipsius rei veritati satisfaciant.

Vnguentum Gumielemi Conciliatoris.

R. *Resinæ vncias ij.*
Ceræ, vncias iij.
Olei mastichini, vncias ij.

Gum-

Gummielemi, drachmas vj.
Thuris. Bdellij, an. drachmas iiij.
Fiat vnguentum.

FRAGOSVS.

SVb hac forma composuit Petrus Apponensis (Cõciliator appellatus) differentia 181. Cęterùm quamuis hoc tempore obscura sit Gummielemi origo (cùm non satis constet an sit lachryma Oleę Æthiopicæ vt Matthiolus perpetua memoria dignissimus annotauit) facultas tamẽ eius apud medicos vulnerarios conspicua est, adeò vt præstantissimum ex eo paretur medicamentum, pro capitis vulneribus & caluariæ fracturis.

Vnguentum ex Pompholyge Guidonis de Cauliaco.

R. Olei rosacei. Ceræ albæ, añ. vncias v.

Succi granorum rubeorũ solatri, vncias iiij.

Cerussæ lotæ, vncias ij.

Plumbi vsti & loti. Pompholygos, añ. vnciam j.

Thuris, vnciam semissem.

Facto vnguento cum oleo & cera, reliqua in descensu ab igne in mortario misceantur, & fiat vnguentum.

FRAGOSVS.

OMnia fermè vnguenta Chirurgicis operibus destinata, & vsu medicorũ ac Officinarũ recepta, Guidone Cauliaco, sua ætate præstãtissimo chirurgo, desumuntur. Ex quibus etiá est vnguẽtũ Põpholygis siue de tucia, cuius meminit tracta. 7. cap. de Medicinis cicatrizatiuis.

Suc-

Succus in huius vnguenti confectura absumi non debet, vt constat ex verbis autoris, & ex modo componendi, neq; enim æquum est, perdere vnguenti vim (quam potissimam obtinet ex succo ad vlcera cancrosa vbi feruor aliquis est) vt eiusdem cõgruẽtem formam & diuturnitatem lucremur. Vnde sequitur perperã facere qui oleum rosaceum, ex granis aut succo solatri confectum seruant, ad vnguenti compositionem.

Vnguentum ex plumbo Leonardi à Bertapalia.

R. *Plumbi vsti, vncias ij.*
Lithargirij, vncias ij.
Cerussæ. Antimonij, an. vnciam j.
Olei rosacei quantum sufficit, fiat vnguentum.

FRAGOSVS.

SEquimur Leonardum Bertapaliam (alias Prędapaleam) Paduanum Chirurgum.

Plũbi vſtio. Plumbum vri debet ex Dioſcoride libro.5.cap.proprio, ſcilicet interpoſito ſulphure, inter plumbi laminas.

Nec audiendi ſunt Myropolæ, qui ceram huic miſcent vnguento, nam & id eſt præter autoris intẽtionem, & contra vnguenti vſum, refrigerantis ſcilicet & exiccantis facultatis.

Vnguentum ex Minio Petri de Argelata.

R. *Minij, drachmam j.*
Olei roſacei, drachmas ij.
Miſce omnia & bulliant lento igne ad olei conſumptionem.

FRAGOSVS.

FIeri etiam ſolet aliud (& verius) vnguentum, eiuſdẽ nominis non tamen tantæ virtutis in exiccando, cuius forma hæc eſt.

℞. Minij leuiſsime triti, vncias ij.
Olei roſati. Olei myrtini, añ. vncias ij.
Ceræ albæ, vnciam ſemiſſem.
Coque lento igne & fiat vnguẽtum.

At verò primũ ſub linimẽti forma, ſimplicius ac efficatius in conſolidandis vlceribus componẽdum ſuadeo, cuius autor eſt Petrus de Argelata (vel de Largelata, vel de La cerlata Bononienſis medicus & Chirurgus, cap. de Phlegmone, & Leonardus de Bertapalia cap. de Medicinis conſolidatiuis.

In Vnguentum ex Lithargirio Meſuęi.

FRAGOSVS.

ERrant qui hoc vnguentum cum cerussa conficiunt decoquendo ferè ad solidam consistentiam, neq; enim est tantæ infrigidationis, quanta ex ipso requiritur. Fiat igitur ex Mesuæo sub nomine vnguenti Triapharmaci vbi ait, Accipe lithargirij triti sicul alcohol partem vnam, & funde super ipsum nunc oleum nũc acetum, & teratur & adequetur, & proprie quantum sufficit. Hanc formam sequitur Guido tractatu. 7. de Antidotis vulnerũ, capite de Medicinis cicatrizatiuis, sed clarius Christophorus de Honestis ipsius Mesuæi interpres: qui quãtitates simplicium sub hac serie describit.

Tria-pharmacũ vnguẽtum.

R. Lithargirij triti sicut alcohol, vncias iij.

Aceti, vnciam semissem.

Olei rosacei quantũ sufficit, fiat vnguentum

guentum in mortario absque cera, & lithargirium lauetur cum aqua rosata.

Vnguentum mediæ confectionis Magistrale.

R. *Terebinthinæ, uncias vj.*
Ceræ albæ, uncias iiij.
Olei rosati, uncias iij.
Mellis rosati colati, uncias ij.
Resinæ, unciam j. semissem.
Masticis. Thuris, an. Unciã semisse.
Fiat unguentum.

FRAGOSVS.

FErdinandus à Sepulueda in suo Manipulo Medicinarum distinctione. 12. magistraliter fieri ait prædictum vnguentum pro vsu Chirurgorũ. Nomen accepisse videtur, quoniam hæc compositio seruat medio-

critatem inter vnguentum Basilicũ quod paucioribus constat simplicibus, & inter Aureum quod pluribꝰ; aut à mediocritate effectꝰ, neq; enim tãtum coquit vt Basilicum, nec adeò incarnat vt Aureum, sed vtrũq; mediocriter pręstat. Atqui ista nihil ad rem. In vulgaribus pręnominati autoris codicibus ex anno 1550. mendosa reperitur descriptio cũ exigua terebinthinæ dosi: quare dictæ acquiescendum.

In Vnguentum ex Calce Guidonis.

FRAGOSVS.

FIt ex Guidone Cauliaco tractatu. 7. de Medicinis cicatrizatiuis, qui transtulit ex Auicenna libro. 4. fen. 4. tractatus. 2. cap. 14.

℞. Calcis viuæ lauatæ septies in

aqua

aqua frigida, donec amiſſerit acuitaté quãtũ volueris, & cũ oleo roſaceo ſufficiẽti ducẽdo in mortario fiat vnguẽtũ. Gale. lib. 6. Methodi curatiuæ cap. 2. calcis lotionem docet his verbis: Lauatur optime per eſtatẽ ſub eſtu Caniculæ. Quod ſi bis ter ve eã laueris, vtilius medicamen efficies. Et. 9. ſimplicium, ſi lauetur (inquit) in aqua ſuam mordacitatem exuit & ſine morſu reſiccat. Ac ſi bis terq; aut amplius abluta fuerit, planè mordacitatis expers redditur.

Calcis ablutio

Vnguentum Apoſtolorum Guidonis.

R. *Ceræ albæ. Reſinæ. Ammoniaci, añ. drachmas xiiij.*

Opopanacis. Viridis æris, añ. drachmas iij.

Ariſtolochiæ rotundæ. Thuris, añ. drachmas vj.

Myr-

Myrrhæ. Galbani, añ. drach. iiij.
Bdellij. drachmas vj.
Lithargirij. drachmas ix.
Olei communis libras ij.
Dissoluantur gummi in aceto, & misceantur cum lithargirio cum oleo decocto, & addatur cera & resina liquefacta, & coquantur quousq; incipiat gutta coagulari. Et in deponendo ab igne, misceantur pulueres, & in fine viride æris ponatur, & fiat vnguentum.

FRAGOSVS.

MEminit huius Auicenna lib. 5. summa. 1. tractatus. 11. de vnguentis, & libro 4. fen. 3. tractatu. 2. cap. 10. de cura scrofularum cùm inquit: Et iam inuenimus vnguentum apostolorum quod factum fuit pro discipulis Christi, esse magnæ impres-

pressionis vel sanationis in scrofu- „
lis magnis perniciosis, eruptis vel vl „
ceratis, sed cum facilitate & lenitate. „
Nos tamen qui vt plurimum Guido
nem Cauliacensem in vnguẽtis Chi
rurgicis imitandum proposuimus,
ipsius dictionem exarauimus tracta
tu. 7. capite de Mũdificatiuis & mo-
do mundificandi, à quo nõ multum
discrepat emplastrum Veneris Ætio
inscriptum libro. 13. cap. 14. vnde cõ
iectura ducor inde vnguẽtum suum
formasse Guidonem, aut ipsum Aui
cennam. Recedit verò ab Auicenna
Guido, ille quippe terebinthinã ha-
bet, florem ęris & aristolochiam lõ-
gam, hic autem terebinthinã omis-
sit, & pro flore æris viride ęris, id est
æruginem, melius posuit, & eiusdem
drachmas iij, similiter & opopana-
cis: aristolochiam etiam non lõgam
sed rotũdam declarauit. Caueant in
hoc loco pharmacopęi, ne pondus
cerę

ceræ augeant ad vnguenti consisten tiam, sic enim fit vt non tantum ab autore recedant, verumetiam medicaméti actionem hebetent, cuius vi vlcera sordida absterguntur: siquidem Galeno testante.1.de compositione per Locós cap.4, Manifestum „ est vehementem ipsorum vim per „ ammistionem imbecilliorum frági.

Vnguentum Aureum Guidonis..

R. *Ceræ vncias v.*
Resinæ, quar. j.
Terebinthinæ, libram j.
Mellis quar. semis.
Mastiches. Thuris. Sarcocollæ. Myrrhæ. Aloes. Croci, an. drachmas ij.
Fiat vnguentum.

FRAGOSVS.

GVido Cauliacensis lib. 7. cap. de Medicinis incarnatiuis, Mesueo acce-

acceptum fert hoc vnguentum, ſed quamuis vt aliquantulum ſimul abſtergat, nonnihil fateatur de melle addidiſſe, nihilominus in multis alijs diſcordant vt intuenti erit in comperto: Aureum verò â colore & precio dicitur, vulnera enim tuto & ſalubriter glutinat in mollioribus corporibus, nec multũ calidis. Quã rẽ, non aduertentes indocti chirurgi & qui nullam ſumũt ex natura partiũ & temperamenti indicationẽ, à frequenti vſu relegant, quòd interdum, non modo vlcera nõ implere ſed ſordidiora fieri repererint.

Vnguentum Aegyptiacum Guidonis.

R. *Mellis libram j.*
Aceti libram ſemiſſem.
Floris æris vnciam j.
Aluminis vnciam ſemiſſem.

Co-

Coquantur ad ignem donec spissentur & rub. efficiatur.

FRAGOSVS.

NOmen traxisse videtur, vel quia ex Ægypto ad nos eius cognitio prima deuenerit (nam Plinio au tore lib. 13. cap. 3. hæc terrarũ omniũ accomodatissima vnguẽtis) vel quia illic frequẽtatum ac mire laudatum fieri consueuit. Sunt etiã qui vnguẽtum ex melle vocant, quòd ex quatuor simplicibus, plus mellis accipiatur. Diuersum est autem Ægyptiacum istud ab his quæ describit Galenus libro 3. de compositione per genera, & ab Ægyptia Andromachi quam integrè describit Hollerius libro. 3. de materia Chirurgica. Quodammodo tamen adumbratam videtur ex libro. 3. Methodi, & præcipue ex Ætio libro. 14. cap. 32. de Abscessibus.

In

In vnguentum Agrippa Nicolai Prępositi.

FRAGOSVS.

TRia hoc loco animaduersione digna reperio, primum circa ceræ dosim, alterum de ebulo, tertium de oleo. Nam Lumen Apothecariorũ cerę albæ vncias quinq; assignat, Præpositus verò quindecim: vnde alterutro modo, vel nimis liquidũ, vel durissimum consistet. Quare censeo Nicolaum Alexandrinum consulendum cap. 995. qui ceræ tantum sumit, quantum ad vnguenti compositionem suffecerit.

Præterea Lumen Maius in pręsenti vnguento, ebuli drachmas duas corruptè pro vncijs præscripsit.

Quod ad oleum lẽtiscinum aut cõmune attinet, magis accedendũ existimo ijs qui album oleum accipiũt,

a siqui-

ſiquidem lentiſcinum non eam vim poſsidet in ſubducenda aluo, emolliendis tumoribus & vrina cienda, quę oleo candido veteri & completo natura tribuit experientiæ coniuncta.

Succidis radix.

Radicem ſuccidis (exponentibus multis) eſſe cucumerem aſininũ de quo in vnguento Arthanitę Meſuęi fit mentio & in vnguento Aragon Prępoſiti, neminẽ latere puto, quáuis non poſsim in animum inducere, hanc vocem Arabicam eſſe, quia nec Serapio, nec Auicenna in ſimplicibus ea vſi ſint.

Vnguentũ Reprimens ſiue Defenſiuum ex Bolo Magiſtrale.

R. *Olei maſticini. Olei roſacei. Olei cydoniorum, ſingulorum, vncias iij.*

San-

Santalorum rubrorum, unciam semissem.
Boli Armenici, unciam unam.
Ceræ albæ quod sufficit.
Fiat unguentum, cui additur parum aceti rosacei quod in oleis consumatur.

FRAGOSVS.

SVnt qui hoc vnguentum Defensiuum vulgo dictum in hunc modum componãt, Boli Armeniæ, sanguinis Draconis, terræ sigillatæ, singulorum vncias duas, olei rosacei libram vnam, ceræ vncias quatuor, aceti quod satis est, miscẽtur ad formam vnguenti mollis. Cæterùm testificari possum omnibus, lõgo tempore primum in vsum vertisse fęlicissime, procurandis vulneribus, vt latius in nostro Chirurgicorum erotematum volumine monstrauimus.

Vnguentum Citrinum Officinarum.

R. Boracis aut Chrysocollæ drach. ij. Camphoræ drachmam vnam. Corallij albi unciã semissem. Amiãti, Vmbilici marini. Tragacanthæ. Amyli. Crystali. Antali. Dentali, Thuris albi. Nitri. singulorum drachmas iij.

Marmoris albi puri drachmas ij.

Cerussæ præparatæ ex dracontio, unciam j.

Cerussæ alterius præparatæ ex plumbo uncias vj.

Adipis suilli recentis salis expertis & puri libram j.

Seui caprilli unciã unam & semisse.

Adipis gallinacei unciam unam.

Terantur omnia simul excepta borace in mortario in tenuissimum puluerem,

rem, adipes & sæuum simul eliquentur duplici uase. Eliquatis & per tenue linteum colatis trita omnia inijciantur, & probe rudicula subigantur, subacta imponātur citrio unc aut duobus aut pluribus & coquātur ebullitione una, dein rursus in lebetem cōijciantur, & addatur illis borax seorsum tenuissime trita. subacta probe reponantur in uase.

FRAGOSVS.

VNguentum Citreum siue Citrinum officinarum, non à colore vt alia nomen accepit, sed à citro in cuius cauitate coquitur, aut quia (vt quibusdam placet) succum duorum aut plurium citreorum malorum recipere soleat. Anutius Foesius tribuit presentem descriptionem Alexandrino: ego potius Myrepso, nu-

mero Vnguentorum 42. addito tamen cum Præposito ſęuo caprillo, & adipe gallinaceo. Quantum vero diſcordet ab illis Nicolai Alexandrini compoſitio cap. 1039. lector ipſe verificabit. Nicolai codices vulgati perperam legunt Amenti dulcis pro Amianto lapide, de quo vide Dioſcoridem libro. 5. Vmbilicos marinos Barbari medici Belliculos nominát. Sunt autem lapilli [ex illorum traditione] exigui & cădidi, in litore maris reperti, vmbilicum hominis referentes, & abſtergendi facultate prę-diti, qui ad nos afferuntur hodie. Antali & Dentali ſunt lapidum nomina (vt barbaricæ familiæ autores tradűt) eiuſdem cum priore facultatis. Mattheus Syluaticus oſſa alba velut caninos dentes longos, intro perforatos & inanes dicit, inueniriq; inter profűdi maris lapides. Antalum quoq; dum frangitur venulas in longum

Vmbilicus marinus. Belliculi.

Antali. Dentali.

gum protensas ostendere aiunt, Dentalum vero denti assimilari. Alij potius esse è côcharum quàm lapidum genere melius credũt, ac proinde neminem errare cum illis censeo, si in eorum locum putamina imbricata varieq́; corrugata & concaua reponantur, quibus Hispanica litora abũdant, suggerente vicino mari. Dentale enim Plinio lib. 9. cap. 36. buccinum vocatum esse videtur, Antale autem purpuram. Cerussę ex dracõtio preparationem lege apud Plateariũm in expositione super Nicolaũ Præpositũ. Damnãda hic est nostrorum pharmacopolarum negligêtia, qui alienis laboribus malaq́; fide pro suis interdũ fruuntur, emplastra, vnguenta, variasq́; medicamentorũ cõfectiones aliunde petentes: aut quòd proprium laborẽ recusent, aut quòd ipsa rerum (quas frequenter versare oporteret) ignorantia detineantur.

In vnguentum Pleuriticum.

FRAGOSVS.

PRo ſedando lateris dolore ex inflammatione membranæ coſtarũ pectoris, haberi ſolet in vſu Officinarum vnguentum Pleureſis vocatum, ad cuius genuinam deſcriptionem obtinendã, conſules Meſuæum tractatu de ęgritudinibus pectoris & pulmonis in ſermone aquæ cicerum, cuius verba ſunt, Sabor rex Medorum, Deſcriptio vnguenti ſedantis dolorem & lenientis ſputum.

,, R. Olei violati, vncias ij.
,, Ceræ, vnciam ſemiſſem.
,, Adipis anatis. Adipis gallinæ, añ. drachmas v.
,, Hyſſopi humidæ, drachmas viij.
,, Butyri ouium loti ſæpe in aqua hordei, drachmas iiij.
,, Muſcillaginis ſeminis lini. Muſcillaginis

laginis althee, an. drachmas x. ,,
Fiat vnguentum bonum & exper- ,,
tum. Et si materia compactior fuerit, pone pro oleo violato, oleum de lilio.

In vnguentum Cordiale vocatum.

FRAGOSVS.

NEc deest Officinis, huius nominis vnguentum. pro cuius confectura insequi oportebit Antoniũ Guainerium cap. 13. sui Antidotarij vbi ait, Vnguentum cordiale frigi- ,,
dum, quod mirabiliter opitulatur ca ,,
lori febrili, & iuuat ad curandũ om- ,,
nes febres, & maxime si applicetur ,,
post vniuersales & debitas purga- ,,
tiones. ,,
R. Olei nenupharis citrini, drachmas iij. ℥iij

Pulueris florum citrinorum nenupharis, drachmas ij.
Santalorum rubeorum. Seminis acetoſę. Coralli rubri, añ. ſcrupul. j.
Margaritarum nouarum. Oſsis de corde cerui, añ. ſcrupul. ſemis.
Camphorę, grana iij.
Miſce omnia pulerizando, & cum modico ceræ nouæ ablutæ in aqua roſarum, vel in aqua nenupharis citrini, fiat vnguentum de quo vngatur regio cordis ante paſtum, & ante acceſsionem febris per horam, & eſt res mirabilis.

In Vnguentum Martianum Prępoſiti.

FRAGOSVS.

HActenus in vſum venit Vnguentum Martianũ Nicolai, nĩl aliud veri aut certi continens pręter nomen.

men. Nam neque in simplicium numero conueniunt satis autores, neq; in ipsorum dosi, neque in herbarum (quę plurimę sunt) exacta notitia. Accedit quod nullam methodũ prę sesert, plantęq; non nisi in diuersis temporibus colligi possunt, quum neq; in eodem loco aut tempore nascantur, debeantq; recenter ad vnguenti confecturam reponi. His de causis visum est trãsponere aliud vnguentum eiusdem nominis ex Nicolao Alexandrino c. 994. quod paruũ poteris vocare, est enim magis methodicum & paratu facilius, ob idq; in vsum reuocandum censemus. Fit autem sic.

R. Foliorum lauri, vncias iij.
Rutæ, libras ij. semissem.
Amaraci, libras ij.
Ros marini, libr. j. semissem.
Foliorum myrti, libram j.
Ebuli. Ballamitæ. Ocimi, singulorum

rum, vncias vj.
Butyri, vncias v.
Medullæ ceruinæ. Adipis vrsi. Adipis gallinæ, añ. vncias iiij.
Mastiches, vncias iij.
Thuris, vncias ij. semissem.
Olei Nardini, vnciam j.
Olei communis & ceræ quantũ sufficit.

In Vnguentum Rubrum Magistrale.

FRAGOSVS.

FIt ex puluere rubro Ioannis Vigonij, vnde nomen sumpsit sub hac forma.

R. Olei rosacei. Lithargirij, añ. vncias iij.
Pulueris Ioãnis de Vigo, vnciam j. fiat vnguentum.

Vnguentum Deopilatiuum Hepatis.

R. Suc-

R Succi apij. Succi fœniculi. Succi absynthij. Succi petroselini. Succi enduiuiæ. Succi cichorij, an. vncias iiij.

Vini albi. Aceti, an. vncias ij. semissem.

Olei communis, vncias xij.

Olei amigdalarum amararum, uncias vj.

Bulliant simul ad consumptionē succorum, & cum cera fiat vnguentum, cui adde santali rubri, unciam j. Spicæ. Spodij., an. drachmas ij.

FRAGOSVS.

GRauiter errant (me iudice) qui huic Hepatis vnguento, oleum amīgdalarum dulcium immiscent, nam Galenus libro. 6. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. de amigdalis, Amigdala, inquit, quæ „ quidē palam amara sunt, extenuādi „

vim posſident. Quim & quod per accidens facultatem item habeant ab obſtructione liberandi, & ipſum ſupra demonſtratum eſt, & experientia monſtrat. Nam in iecore craſſorum viſcoſorumq; humorum in extremis vaſis impactorum obſtructiones, abunde expurgant expediuntque.

Vnguentum Deopilatiuum Splenis.

R. *Succi Apij. Succi petroſelini, añ. vncias iij.*

Agnicaſti pulueris, vncias ij.

Aceti albi, vnciam j. ſemiſſem.

Olei de Capparibus. Olei irini. Olei amigdalarum amararum, an. vncias viij.

Radicis capparorum. Corticũ Tamariſci. Scolopendriæ, añ. drach. iij.

Squi-

Squinanti, drachmam vnam semissem.
Coquantur olea cum succis & Agnocasto ad consumptionem succorum, & colaturæ adde ceræ quantum sufficiat, fiat vnguentum addendo reliqua.

In Vnguentum Resumptiuum.

FRAGOSVS.

Fiat ex Ferdinando à Sepulueda distinctione duodecima de Vnguentis, quod Bernardino Gordonio in hunc modum tribuit.
R. Olei amigdalarum dulciũ. Olei seminis cucurbitæ, añ. vnciam j.
Olei nenupharis. Olei violarum, añ. vnciam semissem.
Axunxiæ gallinæ recentis pluries

lotæ

lotæ cum aqua frigida. Butyri loti sępe, añ. vnciam j. semissem.
Lactis mulieris nuper mulsi, vnciam j.
Cerę albę quantum sufficit.

Vnguentum Comitissę Varignanę.

R. *Corticum medianorum castanearum. Corticum glandium & arboris eius. Myrtillorum. Caudæ equinæ. Gallarum. Corticum fabarũ. Acinorum vuarum. Sorborum siccorum & immaturorum. Mespilorum immaturorum. Foliorum prunorum syluestrium. Radicum chelidoniæ añ. partes æquales, alij sesquuntiam. Teratur crassiuscule, coquantur aqua plantaginis perfecte, & colentur. Accipe post ceræ quantumuis (alij vn-*

cias

cias octo) eam dissolue oleo myrtino (id est cum libris ij. & dimidia) ac nouies laua prædicta aqua renouando semper eandem singulis vicibus.
Deinde Recipe
Corticũ castanearum glandiũ, & arboris eius. Gallarum, añ. partem vnam (alij vnciam vnam).
Cineris ossium cruris bouis. Seminum myrtillorum. Acinorum uuarum, añ. partem mediã (alij semũciam). Fiat puluis subtilissimus. R. huius pulueris partes ij.
Trochiscorum ex charabe partem j. (alij vnciam j.) cum cera supra scripta misceantur, & adde.
Olei myrtini loti. Olei mastiches non loti, singulorũ quantitatem sufficientem, formeturq; unguentum, quo renes & pectem ungantur.

DE VNGVENTIS

FRAGOSVS.

PRimus autor istius vnguenti & qui sua industria id comperisse testatur, fuit Guilielmus Varignana tract.16.cap.4.de retentione mẽstruorum, & exiccatione vteri, vbi „ sic ait, Ego vero in restrictione men„ struorum mirabilem habeo experiẽ„ tiã cum hoc vnguento, quod propria „ industria inueni propter Comitissã „ commatrem nostrã. Ipsa enim iam „ inceperat abortire, & sanguis & „ aqua in magna quantitate eggressa „ fuerant, perunxit ergo se semel ipso „ & sanata est, & ob hoc vocaui ipsum „ vnguentum Comitissæ, & post mo„ dum pluries & pluries ex eo sanaui: „ & si ex eo renes inungantur vsq; ad „ dorsum sistit hæmorrhoidas.

Animaduertẽdum est in hoc loco, quod hoc vnguentum ingreditur fructus cortex medius, lẽtus, ac pu-

niceus

niceus(qui extremũ echinum & intimam tunicam distinguit.

Reliqua simplicia per se innotescunt.

DE EMPLASTRIS Animaduersiones.

PRÆFATIO.

EX remedijs quibus nostri temporis medici exterius vti cõsuescũt, sunt etiam (præter enarrata iam Vnguenta) Cerata & Emplastra. Hæc autem ex oleo & cera antiqui componebant, vt Paulus testatur lib. 7. cap. 17. ad finem, Si liquidũ (inquit) " Ceratum præparamus, cerę duplicatum. Si Emplastrum efficere cogitauerimus, portio olei & ceræ ęqualis " esse debet, in moderato aere ambiente, aut si cera vetusta & sicca, aer frigidus oleum paulo copiosius quàm "

„ cera erit: contra ſi cera recens & pin-
„ guis, aer calidus, paulò oleum minus
„ erit, ac ceræ plus. Quę verba deſumpta videntur ex Galeno libro 4. de compoſitione per genera in medicamento ex Euphorbio. Hoc tempore reſinam inſuper, terebinthinam, ſuccos, liquores, gummi, adipes, aromata, metallica, & plantarũ plures partes recipiunt. vnde fit vt cerę modus certus nequeat pręſcribi. Veteres etiam (vt inquit Celſus libro 5. cap. 17.) Emplaſtra ex metallicis cõflata, Cataplaſmata vocabant. Arabes ſub vnguenti vocabulo Cerata Græcorum, Malagmata & ex Emplaſtris nonnulla etiam complectuntur, non tamen coquebant ea cõſiſtentia: qua Græci. Apud nos verò Ceratum eſt medicamentũ cõſiſtentia ferè medium inter Vnguenta & Emplaſtra. Propria Emplaſtri forma eſt quãdo ingredientia ita in maſſas (quæ Ga-

Ceratũ qd.

leno

leno Magdaliæ, vulgo Magdaliones dicuntur) sunt coacta, vt eo modo per se impònantur, aut in Cataplasmatis figuram reduci possint, aut additis liquoribus soluantur. Ea verò coquebantur, donec manus amplius non inficerent, & Arabibus recentioribusq́; Cerota nūcupantur. Emplastrorum vsus, Galeno autore. 5. per Locos, cap. 7. in illorum gratiā est, qui illitiones recusant, quoniam neq; sudoribus obortis defluūt, neq; resiccata cutem circuntendunt.

Emplastri forma

Emplastrorū coctio qualis.

Emplastrorū vsus.

Quod ad trituram attinet, arida omnia in Emplastris tenuissimè cōteri debent frequentius, vt in corporum profundum subire queant. Demum quæ huic præfatiunculę defuerint in Emplastrorum apparatu describendo, pręter Paulū, copiosissimè etiam Iacobus Syluius lib. 2. ac. 3. de medicamentorum præparatione exposuit.

Tritura Emplastrorum.

In Emplastrum ex Meliloto Mesuęi.

FRAGOSVS.

NEmo (quod viderim) è Gręcis autoribus explicauit quæ pars Meliloti in vsum Medicinæ sit eligēda, folia, aut radices, caulis, an flores, aut cornicula, aut semen. Id tamen docuit Serapio inter Arabes cap. 18. de simplicibus ex plantis dicens, Et quod de ipsa administratur,
" sunt illæ vaginæ cum eo quod est in
" eis ex granis.

Pulueres in hoc Emplastro subtiliter cōterantur ad Galeni mentem libro 3. de compositione medicamentorum secundū genera cap. 9. de Emplastris ex herbis aut radicibus, non tamen sic tenuiter teri debent, vti in alijs fieri consueuit, hoc enim medicamentum efficacius operatur cum sub-

ſubſtácia aliquantũ mediocri, quàm cũ tenuiſsimâ quæ facilè reſoluitur. Atq; idipſum obſeruandum in Emplaſtro ex baccis Lauri.

Olei vncia dimidia (vt notauit Syluius) ſufficit ad comprehendendum, inũctis manibus cum eo, tametſi autor non aſsignet quantitatẽ olei nardini & ſampſucini, ſed vtendi tempore oleo eſt emolliendum Emplaſtrum, euadit enim mox durius & friabile.

Poſtremò inquit, Aquę decoctionis foenugreci quod ſufficit ad infũdendum, gummi ſcilicet & reliquæ quę macerari conuenit, vt elicitur ex Iſopi Ceroto deſcriptione Philagrij. Cęterùm, quum decocti quantitatem non diffiniuerit, cõſuetum eſt liquorem ſupereminere per duos digitos, ijs quæ macerari ſolent, vt colligitur ex confectione alia Teſticulorum vulpis apud eundem autorẽ,

Confectio Almezereō. similiterq; obseruandum in confectione Almezereon eiusdem Mesuæi.

In Emplastrum Diapalma.

FRAGOSVS.

GAleno libro. 1. de compositione medicamentorū per genera c.6. Emplastrum phoenicinum aut ex Chalcitide confectum dicitur, Mesuæus verò vnguentū Palmeum appellauit. Guidoni tractatu.7.de Antidotis vulnerum cap. 6. Diapalma nuncupatur.

In more hactenus positum est vt loco ramorum palmæ recentium, cannæ rami assumantur (Guidone testante) quibus tanquam rudicula mouentur ingredientia pro Emplastri confectura. At verò conuenientius cēsemus Myrti aut Salicis, Vlmi vè ramos eligere, similib9 palmę præ-

præditos viribus, vt in succedaneorum tractatu demonstrauimus. Talesq́; recenter excisi sint pridie hyeme, æstate eodem die quo pharmacum conficitur, alioqui prius auulsi succũ amittunt. Sed vt pro ramo palmæ recenti inijciẽdo ipsi emplastro inter coquendum, succum foliorum cannæ vnciæ vnius quantitate substituunt multi ex recentiorum quorũdã testimonio, ita nos Myrti aut Salicis succum inijciendum monemus.

Chalcitis vrenda hic est ex Galeni censura libro.9.de simplicium medicamentorum facultatibus dicentis, Vstum hoc medicamen minus quidem mordicat, cęterùm non minus desiccat: sed & adstrictiònis nõ parũ remittit. Itaq; vnde quaq; melior est chalcitis vsta quàm quę nõ vsta est. Verum operepretium est animaduertere vrendam sic esse, vt colore cinerea maneat, non flaua: id quod nõ

Vstio chalcitidis in Diapalma an sit necessaria.

»

ſolum voluit Galenus in ijs quæ per os aſſumuntur, vt in Theriaca lib. 1. de Antidotis, verumetiam in exterius admouendis, vt conſtat libro. 1. de compoſitione medicamentorum per genera cap. 25. de candidis Emplaſtris, vbi ait, „ Chalcitis vſta ſit, elota, & colore cinereo, non qualẽ multi ex ijs qui vrunt eam faciunt, veluti ſi dicas ex pallido flauam.

Color emplaſtri Palmei qualis eſſe debeat.

Quod autem hoc Emplaſtrũ non flaui coloris, ſed albi particeps eſſe conueniat, autor eſt Galenus lib. 2. de compoſitione per genera cap. 3. his verbis, In ijs qui miſcentur quidem colores pertinaces vitare oportet, cuiuſmodi flaua & rufa, & nigra „ medicamenta obtinent. Dico autem flaua & rufa, qualia ſunt melitites, chalcitis cõbuſta, auripigmentum, ſandaracha.

Emplaſtra

Obſeruabis etiã, vt aduertit Galenus libro. 1. cap. 7. de Emplaſtris quæ

ex

ex argēti spuma prȩparantur, ne co ctionem lignis, aut carbonibus peruri incipientibus moliaris. Nā fumus ei facile nigredinem cōciliat. Perustis igitur antea carbonibus, quam exacte ardent, tūc coctionem auspicare. Quod si illā per hos absolui nō licuerit, in alio foco simili modo carbonibus prȩparatis, cacabum superponito.

quo igne sint decoquēda

Emplastrum Geminis.

R. *Olei rosacei libram j.*
Cerussæ libram j. semissem.
Misceantur fortiter & decoquantur lento igne semper agitādo vsquequo fiat emplastrum album.

FRAGOSVS.

LOngè vsitatum medicis vulnerarijs in pharmacopoerū Officinas ve-

venit hoc emplastrum à duobus simplicibus nomine deducto: sine certo tamen autore: quamuis memini legisse apud autorem Manipuli Medicinarũ. Cęterùm qualiter coqui debeant Emplastra vt alba euadant, docuit Galenus lib. 1. de compositione medicamẽtorum per genera cap. 5.

Emplastrum Triapharmacum Galeni.

℞ Spumæ argenti partem j.
Olei veteris. Aceti acerrimi vtriusq; partes ij. & semissem.
Coquitur tota die medicamentum, nigrumq; reddatur, & perinde ac bitumen probum splendens. Maximè siccat vlcera difficilia & fistulas.

FRAGOSVS.

SVnt nõ pauca, vt inquit Galenus libro 1. de compositione secundũ ge-

genera cap.7.quę potestatē aut nullam aut exiguam admodū pharmaco quod præparatur simul afferunt, commoditatem vero materiæ præbent, vt Emplastri vel Cerati speciē referant. De horum numero est Argēti spuma (quam lithargirium etiā vocāt) quæ nec manifeste calida est, sicut nec frigida nec humida, sed exiguam siccandi habet virtutem in primo absceſſu. Ob eam igitur causam miscetur à Galeno huic Emplastro libro.1.cap.9.de composi. secundum genera: quod Triapharmacum appellauit Mesuæus distinctione vndecima inter vnguenta, diuersis tamē ponderibus. Galenus autem tripliciter parari docet hoc Emplastrum, per hydræleon videlicet, & oxæleō, & per oeneleum. Officinæ tamen nostræ per oxęleum id est aquæ & aceti mistionem component, addito lithargirio, quod diuturniori coctione

ne nigrius efficitur, Galeno autorẽ libro.7. de compositione per genera cap.7.

Emplastrum confortatiuũ Ioãnis Vigonij.

R. *Olei myrtini. Olei rosati omphacini, añ. lib. semissem.*
Succi radicum altheæ, lib. ij.
Radicum fraxini & foliorum eius.
Radicum consolidæ minoris & foliorum ipsius. Myrtillorum & foliorum eius, Foliorum Salicis.
Bulliant omnia prius aliquantulum contusa cum vino nigro & tantundem aquæ vsq; ad cõsumptionem medietatis cum vncia semisse myrrhæ & tantundem thuris, deinde fortiter colentur, cui colaturæ adde sepi hircini liquefacti lib. semissem.

Tere-

Terebinthinæ clarissimæ, vncias ij.
Masticis vnciam vnam. Et iterum cum prædictis oleis bulliant vsque ad cõsumptionẽ prædictæ decoctionis, postmodum colentur, addendo lithargirij aurei & argentei, añ. vncias iij.
Boliarmeni subtiliter triturati. Terræ sigillatæ, añ. vncias ij.
Minij, drachmas x.
Et iterum ad ignem sæpe baculo agitando, lento igne cum cera noua sufficienti, fiat Ceratum admodum Spadrapi.

FRAGOSVS.

IOannes Vigonius lib. 8. Antidotarij cap. 16. edocuit descriptum Emplastrum in Officinis vsitatũ, quod ille Ceratum nobilissimæ operationis vocauit, ad restaurationẽ fracturarum ossium, porũ Sarcoydem cõ-

fortando. Sed quia codicibus Latinis Vigonij defuit dosis herbarum hoc Emplastrum componentium, opus est consulere codicem eiusdem autoris vernaculo sermone scriptum, vbi legitur, ana Manipulum semis.

Quantitas vini & aquæ pro decoctione molienda, duobus digitis supereemineat rebus decoquendis, vt sępius repetitum est.

Emplastrum contra rupturam ex Guidone Cauliaco.

R. *Picis naualis, uncias v.*
Colophoniæ, uncias iij.
Lithargirij. Ammoniaci. Opopanacis Galbani. Bdellij. Mastiches. Terebinthinæ, añ. unciam j.
Boli Armenici. Sanguinis *draconis. Gypsi. Thuris. Sarcocollæ. Aloes succotrini. Mumiæ. Aristolochiæ. Cen-*

taureæ

tauree. Consolidæ vtriusq. Sumach. Berberis. Nucis cypreßi. Gallarum. Psydiæ. Vermium terrestrium, añ. vncias ij.

Sanguinis humani, vnciam j.

Glutinis piscium. Visci quercini, añ. vnciam j. semissem.

Pellis arietinæ coctæ cum aqua pluuiali & aceto vsq. ad dissolutionem, lib. semissem.

Dissoluantur gummi in aceto, & conficiantur omnia cum viscis liquefactis & fiat emplastrum.

FRAGOSVS.

Variæ sunt hoc tẽpore istius Emplastri compositiones. Quidam enim ex Arnaldo parãt libro.2.c.30. de crepatura nimis confusè ac indistinctè. Alij (& potissimum circulatores) compendij causa breuissimè

componunt cum lapide hæmatite, & alijs pulueribus astrictorijs, addita terebinthina. Sectari tamen conuenit Guidonem Cauliacum tractatu .6. de Decoratione cap. de ruptura didymali vbi ait, Emplastrum cõstrictiuum rupturæ in quo omnes conueniunt, est de pelle arietina, &c.

Emplastrum de Centaurea Guidonis.

℞ *Centaurij minoris. M. vj.*

Temperentur per noctem in vino albo, deinde coquantur ad consumptionem medietatis vini, & colentur, & illa colatura iterum bulliat vsq; ad spißitudinem mellis, & seruetur. Et quando uolueris facere emplastrum

℞ Terebinthinæ, libram j.

Ceræ nouæ, quart. j.

Resinę

Resinæ. Thuris. Gummi arabici. Mastichis, an. unciam j.
Vini dicti ex Centaurea, uncias iij.
Lactis mulieris, uncias ij.
Fiat emplastrum.

Emplastrum ex Betonica.

R. *Betonicæ. Centaureæ, an. M. iij. Conquassentur, et cum vino albo bulliant et colentur, et colaturæ adde*
Terebinthinæ, libr. 5.
Resinæ, 4. j.
Sarcocollæ, unciam j.
Ceræ, uncias ij.
Et iterum bulliant & super acetum proijciantur, et congregentur, et cum lacte malaxentur, et fiat emplastrū.

FRAGOSVS.

VTriusq; Emplastri, pro vulneribus capitis meminit Guido Cau-

liacensis tractatu. 7. de Antidotis vulnerum cap.6.

In Emplastrum Diachylon Magnum Mesuęi.

FRAGOSVS.

VT commode succus Scyllæ extrahatur statim ab eius assatione, remota panis crusta, scillā ipsam torculari comprime vt succum reddat, contusa enim, in muccaginem prius vertitur, quàm liquidi aliquid præbeat.

Gluten hîc dissolues in mucilaginibus non autem in aceto vt Galenus libro.4.de compositione per genera, & Ætius libro.8.cap.63.ad alia respicientes adscripserunt. Est enim commune præceptum, vt gummi in compositionibus dissoluantur cum liquore in ipsis reperto, nisi aliud ex

primant

primant autores. Huius sentētię meminit Quiricus de Augustis seu Lumen Apothecariorū super Diagragantum vbi ait, Omnes doctores cō- ,, ueniunt quod gummi debent dissol ,, ui in confectionibus in quibus in- ,, trant, & non conteri eo quod pulue ,, rizari non possunt, & pistando vir- ,, tus illorum deperditur. Quare cum ,, in aliquā confectionē intrant, dissol- ,, ui debēt in aqua appropriata: in ista ,, dissoluantur cum parum aquæ vio- ,, larum, in alijs verò cum alijs aquis se ,, cundum diuersas intentiones. Autor similiter libri (Modus faciendi inscripti) gluten dissoluit ad huius emplastri confecturam in mucilaginibus ipsum ingredientibus, secus enim peruerteretur medicamenti compositio.

Magnum dicitur hoc Emplastrū sequentis respectu apud eundem Mēsuæum quod Diachylon paruū ap-

pellat, ex minoribus verò primum ante magnum descriptum in vsum reuocari debet.

In Emplastrum Diachylon Gummatum.

FRAGOSVS.

SEruatū parabitur in Officinis, ex Guidone Cauliaco tractatu. 7. cap. de Mollificatione & modo mollificandi vbi ait, „ Et qui vult addere „ emplastro Diachylon magno, bdel- „ lij, serapini, ammoniaci, an. venciā j. „ componet Diachylon gummatum.

Emplastrum de Guillen Seruen.

R. *Picis naualis, lib. j. semissem. Colophoniæ. Ceræ, an. vncias ij. Nasturtij seminis. Baccarum lauri.*

Sul-

Sulphuris viui. Croci. Pulegij. Thuris. Mastichis, an. unciam j.
Caryophyllorum, drachmas iij.
Cinnamomi, unciam semissem.
Zingiberis, unciam j.
Mumiæ, drachmam semissem.
Terebinthinæ, uncias ij. semissem.
Fiat emplastrum secundum artem.

FRAGOSVS.

HOc Emplastrũ sub prędicta forma magistraliter (vt aiunt) fieri solet apud nos, & si ipsi9 meminerit Ferdinandus à Sepulueda in Manipulo Medicinarum, 14. distinctione de Emplastris, ad cõfortandum membra conquassata, & ad doloré ex frigiditate, aucta tamẽ dosi, & alijs simplicibus. Cæterùm maximè cauendum est ab errore reperto in antiquioribus codicibus huius autoris,

vbi legitur mendose yerę pro ceræ. Quam rem non intelligentes quidã, hieram inijciendam esse iudicarunt, cum sit præter rationem, & scriptoris institutum.

Emplastrum Gratia Dei Guidonis.

R Ceræ albæ. Resinæ. Ammoniaci, añ. lib. semissem.
Terebinthinæ, quart. j.
Galbani. Olibani. Masticћes. Myrrhæ claræ, añ. unciam semissem.
Aristolochiæ rotundæ, drachmas ij.
Terenda terantur & infundantur in vino decoctionis sequentium herbarum.
Betonicæ. Verbenæ. Consolidæ maioris & minoris. Centaureæ. Pimpinellæ. Hypericonis. Herbæ Sarracenicæ. Herbæ Gratia Dei. Bauciæ. Sana-

baro,

baro, ana. Manipulum vnum. Et post extrahantur, & malaxentur cum lacte mulieris & oleo rosaceo, & fiat Emplastrum.

FRAGOSVS.

PArum ad rem facit verificare an ab excellenti huius Emplastri potētia, an potius ab herba Gratia Dei inditum sit nomen, quādo non ex eo sed legitimis medicamentis & recta conficiendi ratione sanitas petatur. Multifariam hanc compositionem autores commemorant: nam Bernardus Dessennius ex Nicolao Præposito simplicissimè describit ac sine Gratia Dei, quāuis hactenus in Preposito non licuerit emplastrum sub tali nomine reperire. Aliū deinceps docuit cum herba Gratia Dei ex Petro de Argillata, quod maius appellat. Cæterùm cùm lōgo vsu & opti-

mis experimentis omnes fermè chirurgicæ compositiones, â Guidone velut ex equo Troiano fluãt, ab ipso transcripsi dictum Emplastrum tractatu. 7. doctrina. 1. de Antidotis vulnerum cap. de Medicinis regenerantibus carnem & modo operãdi. Nec differt ab illo Emplastro ex Petro de Argillata, nisi quod Guido herbam Sarracenicam, & Sanarabo adiecit.

Herba Sarracenica.

Quam vero plantam per herbam Sarracenicam intelligere oporteat, vix est qui dissoluere posit. Quidã enim mentham Sarracenicam vel Grȩcam hortorum exponunt, cuius meminit Nicolaus in vnguẽto Martiano. Ego equidem (vt quod sentio dicam) Solidaginem Sarracenicam intelligo, quȩ inter vulnerarias herbas facilè primum locum occupat, quamq; depingit Tragus. & ex recẽtiorum testimonio, imposita vulneribus carnem primum generat, dein

statim

ſtatim glutinat, recentia vulnera ſanat, fiſtulis medetur, & maligna vlcera mundificat.

Herbam Gratiam Dei Perſicariā minorē expoſuit Pandectarius cap. 350. & 583. Hieronymus Tragus chelidonium minus vocat, & ſi ex aliorum ſententia Geranium, quibuſdā Sideritim tertiam, alijs Ropertianā vel herbam Roberti dici ſcribat. Credimus tamen omiſsis opinionibus pro Gratia Dei, Gratiolam verè accipiendam eſſe, quam doctiſsimus Matthiolus deſcripſit, hyſſopo ferè ſimilem, amaro ſapore, in pratis abūdè prouenientem: vulneribusq; celeriter mederi tritam & ſuperpoſitā, conſtanter affirmat. Herba Grā Dei.

Sanabor tandē iuxta Matthei Syluatici expoſitionem, pini ſpeciē aliquam eſſe intelligemus. Nec de hoc amplius. Sanabor.

Emplaſtrū ex nido Hirundinis, Guidonis Cauliacēſis.

R. *Nidum hirūdinis integrum, diu aqua ſufficienti ſeruefac, poſtea cribro percolato, adde*
Bulborum lilij. Radicū altheæ. Brioniæ. Maluarum. Violarum. Parietariæ, añ. M. ſemiſſem.
Fermenti acris. Farinæ ſeminis lini, añ. q. ſuffi. Miſce & bulliant, in fine adde
Olei veteris. Axunxiæ porcinæ modicum. paretur ſecundum artem.

FRAGOSVS.

PLerumq; fit in Officinis ex Chirurgorum preſcriptis Emplaſtrū de nido hirūdinis, quod mirifice diſſoluit ac maturat vnumquodq; anginæ genus, & omnem abſceſſum qui in

in gula fit & collo: cuius autor est Guido ex Lanfranci autoritate, tractatu. 7. cap. 3. de Apostematibus colli & dorsi. Sed quia simplicium ingredientium non diffiniuit quantitates, per Manipulum, aut (si placet magis) per vnciam præscribantur.

Emplastrum de Ranis Vigonij.

R. *Olei chamæmelini. Anethini. De Spica. De lilio, añ. uncias ij.*
Olei de croco, unciam j.
Pinguedinis porcinæ, lib. j.
Pinguedinis vituli, lib. semissem.
Euphorbij, drachmas v.
Thuris, drachmas x.
Olei laurini, unciam j. semissem.
Pinguedinis uiperæ, uncias ij. semisse.
Ranarum uiuentium, numero vj.
Lumbricorum lotorum cum uino, uncias iij. semissem.

Succi radicum ebuli. Succi radicum enulæ, an. uncias ij.

Squinanti. Stæchadis. Matricariæ, an. M. j.

Vini odoriferi, lib. ij.

Bulliant omnia simul usque ad consumptionem uini, deinde colentur, cui colaturæ adde lithargirij aurei, lib. j.

Terebinthinæ claræ, uncias ij.

Et cum cera alba sufficienti ad ignem fiat ceratum admodum spadrapi, addendo in fine cocturæ

Styracis liquidæ, unciam j. semissem.

Deinde auferatur ab igne baculo agitando donec tepidum fuerit, post modum addantur.

Argentiuiui extincti cum saliua, unciæ iiij

Iterumq; baculo agitãdo, donec argentum uiuum optime incorporetur.

Istud ceratum est medicina magna in remouendo dolorem, & sanat unamquanque ulcerationem morbi Gallici in breui tempore, ea lege ut ulcera dimiserint malignitatem & putrefactionem. Et ut inquit Syluius libro. 3. de modo miscendi medicamenta simplicia, confert articulorum & reliquarũ partium neruosarum doloribus etiam hæreditarijs.

FRAGOSVS.

FIt apud nos in frequenti vsu prędictum Emplastrum ex Ioanne Vigonio libro. 5. de morbo Gallico cap. 2. quod ipse Ceratum nobilissimę operationis vocauit, ac inter alia ranas viuentes numero vj. recipit. Quare miror Syluium doctissimum virũ, qui in annotatione super oleũ de ranis Mesuæi dixerit, id oleũ hodie

die parari ob id tantum quod ſit neceſſarium ad Emplaſtri de ranis cõpoſitionem à Ioãne Vigo deſcriptã. Illud quippe oleum non ex integris ranis ac eiſdẽ viuis, ſed ex capitibus tantum ipſarum conficitur. Anutius Foeſius deſcripſit hoc Emplaſtrũ inter vnguenta (vnguentum Neapolitanũ vocans) quamuis poſtea de Emplaſtris ſcribens, eandem cõpoſitionem recenſuit ſub nomine Emplaſtri Ioannis de Vigo, demptis tamen ranis & lumbricis cum vino, haud ſcio qua motus occaſione.

In Emplaſtrum filij Zachariȩ Meſuȩi.

FRAGOSVS.

SVb eodem capite tres huius Emplaſtri deſcriptiones adducit Meſuæus, quarum prima (etſi inefficatior

tior) communiter paratur, nisi medicus aliarum quālibet exigat. Sed (vt nostra fert opinio) parū valet compositio, nisi omnia addātur quæ Mesuæus scribit.

Hîc respiciant Myropolæ tempus & modum colligendi & reponendi medullas, ad Galeni mentem libro vndecimo simplicium medicamentorū vbi ait, Sed ea mihi cura est ne ,, aut putrescant aut situm colligant. ,, Itaq; in hyeme primum eas capio ve ,, lut & adipem, deinde in edibus sic- ,, cis atque editis planè humoris ex- ,, pertibus cum folijs laurinis siccis re ,, pono. ,,

Emplastrum Stomaticum calidum Magistrale.

NVlla ferè est Officina quæ nō peculiarem habeat in stomachi vitijs compositionem. Sed ne per mul-

tiplicem varietatem ęgri in discrimen perducantur, oportebit sequentem formulam describere ad stomachum roborandum, ex intemperie frigida imbecillem redditum.

R. *Foliorum absynthij siccorum. Foliorum mentæ. Rosarum, añ. drachmas ij.*

Ligni aloes. Croci. Gingiberis. Calami odorati. Cinnamomi. Nucis moschatæ. Caryophyllorum. Spicæ. Squinanti. Macis, añ. drachmam j.

Thuris, drachmas iij.

Masticis, drachmas vj.

Ladani puri, lib. j.

Ceræ, uncias iiij.

Terebinthinæ. q. suffic. fiat secundum artem.

FRAGOSVS.

NOn sibi constant Officinarij in istius Emplastri tritura. Ná qui

Arnal-

Arnaldi ſcriptis addicti ſunt, parum terendum eſſe prędicant: ait enim in Antidotario, Quod ſi operatio debetur membro propinquo vt ſtomacho & inteſtinis, debet parum teri, ſi membro remoto debet vltimatę pulueriʒari. Alij contra tenuiſsime terunt, quòd ipſe Meſuęus in Ceroto Galeni ſtomachum confortante, Tere [dixerit] ſubtiliter. Verum ex ipſius Arnaldi doctrina [quem tanquam Appollinem colunt] tenuiter infero hunc puluerem conterédum eſſe. Etenim ſi ratione obiecti regulari debet cõtritio, ſtomaticha medicamenta vt nimis conterantur neceſſe eſt. Stomachus namq; [ſi Anatomen inſpiciamus] non iuxta cutim, ſed procul ſub hepate ſitus eſt. Quærentibus enim quare iecur humanum non diuidatur in globos [vt Galeno placuit] reſpondent ſapientiſsimi rei Anatomicæ ſcriptores,

quod cum recta figura à Deo Optimo Maximo donati simus, caua sui parte stomachum siue ventriculum immediate tegit: nam à dextra in sinistram tegens, vniuersam anteriorem regionem occupauit: effecitque ne stomachus algeret. Quo circa qui ori ventriculi calida admouent huiusmodi emplastra vel vnguéta, existimátes eiusdem intemperiem frigidã hisce præsidijs sublatam iri, viderint quam prudenter id agant, iecoris præcalidi mẽbri xiphoidi substrati feruorem adaugẽtes. Nec minus stomacho, inter distantia membra numerabis intestina, quæ alijs plerisq; partibus teguntur, quales sunt vtraq; cutis, membrana carnosa, abdomen, peritoneum, & omentum. Cui sententiæ non solum non refragatur, sed potius consentit Paulus Suardus in suo Thesauro aromatariorum, super Emplastrum ex Meliloto

liloto dicens, Ea quę in Emplaſtris „
ponuntur, non multum ſunt conte- „
rẽda, eo quia virtus ipſorum ſolum „
agit in membrum quod tãgit, & diu „
virtus eius durat. Et debet eſſe Em- „
plaſtrum groſſum quando ſuper lo- „
cum ægrum ponitur. Ex quibus ver „
bis quis non videt illũ loqui de Em- „
plaſtris quæ nullo interueniẽte me- „
dio parti ęgrę admouẽtur? vt eſt Em „
plaſtrum de Meliloto & ſimilia qui-
bus vtũtur chirurgi ad tumores præ
ter naturam diſcutiendos?

Emplaſtrum nigrum vulgare.

R. *Ceruſſæ, vncias ij.*
Olei, vncias iiij.
Ceræ, vncias vj.
Miſce & lento igne coque ad Empla ſtri conſiſtentiam & nigritiem. Ser- uetur ad vſum.

FRAGOSVS.

SPadrapum quoq; vulgo dici solet, medicamẽtum multis experimẽtis probatũ ad varios affectus. Etenim tumores dissipat, abscessus ad suppurationem perducit, parotidibus medetur, vlcera glutinat, & ad alia vitia mirabiliter valet, Deniq; tale est, vt si non prosit aliquando, nocere nũquam visum sit. Fit etiam absq; cera ex Hieronymo Montuo cap. 24. de strumis, eadem in reliquis proportione seruata. Coquitur per spacium quinq;, aut sex horarum rudicula semper agitando. strumas discutit priusquam rumpantur, vlcerosas verò persanat.

In Emplastrum de Baccis Lauri Mesuęi.

FRAGOSVS.

IN hoc emplastro parãdo multi delinquunt, non tam proprij autoris quàm aliorum scriptis animum intendentes, & sic citius confundunt quàm conficiunt. Nam (vt nuper dicebatur) cùm nefas existiment â suo Arnaldo discedere, pro libra pulueris tantũdem mellis addunt. Alij grauius errantes cum Ferdinando à Sepulueda in suo Manipulo, pro qualibet libra mellis vncias quatuor puluerum adhibent. Sunt prçterea qui autorem illum ex Modo faciẽdi imitantes, pro libra pulueris mellis vncias octo iniciendas esse contendant: in quo nõ multum à ratione deuiãt. Vere tamen nihil est quod in eiusmodi errores magis inclinet, quã relicto genuino autore ad alios sese cõuertere. Cũ itaq; Mesuęus vidisset, vix posse pro præsentis emplastri confectura, certissimam præfiniri quantitatẽ mellis, Quantum sufficit ad aggre-

gandum scripsit, & vt posit extendi in pãno, id quod multo minus est quàm quod quis putet, vt ipsa docet experiẽtia. mel etiã iuxta ipsum autorẽ colatũ sit oportet, & non crudum, vt visum est Brasauolo qui maluit calidi legere, placat enim hoc emplastrũ dolorem à flatibus & ab intemperie frigida ortum: ad quod inefficatius est crudum.

Emplastrum ad Matricem Magistrale.

R. *Styracis rubei, uncias iiij.*
Lapidis magnetis, quartas iij.
Caryophyllorum. Cinnamomi. Spicæ celticæ. Menthæ siccæ. Squinanti. Artemisiæ, an. drachmas ij.
Galbani. Ammoniaci, an. unciam semissem.
Spicænardi, drachmas ij.

Picis.

Picis, Ceræ, Resinæ, an. uncias iiij.
Ladani puri, uncias ij.
Styracis liquidæ, uncias ij.
Galliæ Nicolai, drachmas iij.
Fiat emplastrum cuius uncia j. extenditur in panno puniceo.

FRAGOSVS.

SVnt qui ad maiorẽ odorẽ presertim pro diuitibus addant, Moschi & Ambræ, an. grana v. Quippe vt inquit Galenus libro. 6. de compositione pharmacorum secundum Locos cap. I. in Stomatico medicamẽto ex nucibus, Quemadmodum enim „ pauperes exilem apparatum laudãt, „ sic oportet etiam, diuitibus permittere, „ vt confectiones pharmacorum „ pro opulentiæ suę dignitate compa- „ rent. Satis enim scio ipse, non solum „ multos pauperes esse medicos, sed & „ qui ab ipsis curantur. „

 Em-

Emplastrum Isis Galeni.

R. Ceræ denariorum pondo centum, id est, drachmas.
Terebinthinæ, lib. ij.
Squammæ æris rubri. Aeruginis rasæ. Aristolochiæ rotũdæ. Thuris. Salis ammoniaci. Guttæ ammoniaci, singulorum, drachmas viii.
Aluminis combusti, drachmas vi.
Aeris usti, drachmas viii.
Myrrhæ. Aloes. Chalbani, singulorum, drachmas xii.
Radicis dracunculi, drachmas viij.
Olei antiqui, vncias vi.
Aceti acris quantum suffic. id est heminas ii.
Quæ liquari possunt, siccis in mortarium superfunduntur.

FRAGOSVS.

HÆc descriptio inuenitur apud Galenum lib.5.cap.2.de compositione medicamentorum secũdum genera cap.2.vbi docet Dracunculi preparationem his verbis, Per æstatem caule exiccato & herba tota, radicem amputare oportet: deinde in domo sicca Solem non habente repositam paulò post dies sex vel septem in orbiculos diuidere, eosq́; filo traiectos in sicca domo & à Sole remota rursum suspendere, ac sic vbi medicamentum præparare voles, radicem contundere.

Dracũculi radicis preparatio.

Cõcludit Galenus post varias huius Emplastri vires enarratas, in summa efficax esse ad omnia. Et (vt inquit Ætius sermone.2. Tetrabili.4. cap.28. de curatione neruorum denudatorum) omnium prestantissimum & nulli comparandum Emplastrum Isis appellatum, optimo rosaceo dissolutum, & cum linamẽto tepidum

„ pidum vlceri impositũ, sedat enim
„ dolores, & sordida vlcera cito repur
„ gat, incarnat, & ad cicatricem perdu
„ cit,

Vtinã omnes Officinę nostræ hoc emplastro non carerent, mirabile enim dictu quantopere medici vulnerarij illud suspiciant.

In Emplastrum Maturans commune.

FRAGOSVS.

AVtor est Guido Cauliacẽsis tractatu. 7. de Antidotis apostematũ cap. de Maturatiuis & modo maturandi vbi ait: Prima forma est de
„ maluauisco præparato cum axũxia
„ porci seu butyro: præparantur au
„ tem radices maluauisci ita. accipiun
„ tur radices lauatæ & abiecto trunco
„ cordoso intrinseco, optime coquan-
tur

tur cum aqua dulci, & pistentur, fiãt magdaliones & seruentur.

Aqua Aluminosa.

AVtor est Guido Cauliacus tractatu. 6. de Decoratione, ca. 2. de Gutta rosacea & pustulis in facie, sed quia non præscribit quantitaté

R. *Succi plantaginis. Succi Agrestæ vel Omphacij, añ. lib. iij.*
Succi portulacæ, lib. iiij.
Aluminis, uncias xxx.
Albuminum ouorum, xxx.
Infrigidat & exiccat, ideo confert vlceribus morbi Gallici cum intemperie calida.

Collyrium Lanfranci.

R. *Vini albi, lib. j.*
Aquæ plantaginis. Aquæ rosarum,

ſarum, añ. quartam j.

Auripigmenti, drachmas ij.

Floris æris, drachmam j.

Terantur ſubtiliſsime & miſceantur cum alijs, & fiat collyrium: hoc enim mortificat, deſiccat & ſanat. Verba ſunt Guidonis Cauliaci tractatu. 4. de vulneribus membrorum ſimplicium cap. 7. de vlceribus ancharũ & partium eius.

Aqua ex flore Caſię Lignee vulgaris.

R. *Caſiæ ligneæ electæ craſsiuſculæ confractæ lib. j.*

Aquæ roſarum, lib. iiij.

Vini, vncias iiij.

Imponatur Caſia lignea per biduum in vas vitreum cum dictis liquori-

bus

bus, bis quotidie ligno agitando, postea per sublimatorium eliciatur aqua.

FRAGOSVS.

FAlso passim agua de flor de canela vocatur. Stillatur tñ apud Indos ex floribꝰ ipsius canelę, vt Horta autor Indicus in suis colloquis ostẽdit, quę nõ vsqueadeò odore pręstat vt extracta ex ipsis Casię ligneæ corticibus dum virides sunt.

DE CONDITIS ANImaduersiones.

In Rhodosaccarum.

FRAGOSVS.

SAladinũ de Asculo imitari oportet. 4. particula vbi ait, Si velis bo- „
nam cõseruam facere, debes ponere „
libram vnam zucchari pro dimidia „
libra rosarum vel aliorum florum. „
Sed animaduerte, quod si igni lento

to non autem Soli exponatur, præstantius euadet medicamentum, retinens meliorem colorem, odorem, & saporẽ: quę ostendunt ipsius perfectionem, præter id quod est paratu facilius.

Puluis Ruber Ioannis Vigonij.

R. *Vitrioli Romani. Aluminis rochæ, añ. lib. j.*

Salis nitri, lib. j. semissem.

Ex his per sublimatorium vitreum stillatis (quo fortius autem eo melius) sumes, lib. j. semissem.

Argentiuiui, lib. semissem.

Hæc vase eo vitreo, ore angusto, collo obtorto, vndiq; argilla præmunito, quod ab altero recipiatur, imponantur, compages inde vasorum luto figulino sedulo obturentur, vt nullus [illegible] *rādi meatus relinquatur. Adhæc sub-*

datur

datur in primis lentus ignis ex carbonibus conflatus, vt semper ingrauescat, eo vsquequo tota defluxerit aqua. Post hæc phyalā frāges, in cuius fundo residentē placentulā rubram leuiter extrahens, in puluerē rediges super marmorem, eundemq́ cum liquore stillatitio qui antea defluxerat, rursus vasi vitreo imponito, atq́ stilla donec aqua omnino sit efluxa: tum cōfracto vase, quod superest denuo teres in tabula marmorea, & ipsum in æneo vase repones, suppositoq́ igni ualido, cū æneo baculo misce ac agita per horæ ac dimidiæ spacium, hoc enim pacto puluis melior efficitur, & rite factus, ipsum miniū coloris elegātia superat. Pulueris prę stātia in quo digno scatur.

FRAGOSVS.

DIs hunc puluerē descripsit Ioannes, tum libro. 5. de additione au

e xilio-

xiliorum secūdæ partis Practicę chirurgicæ, quæ Compendiosa nuncupatur, vbi aquam fortissimam parat ex auripigmēto, flore ęris, nitro, alumine, & vitriolo. Tū etiā lib. 8. Antidotarij cap. 13. ex simpliciori aqua conflatum. cuius pulueris compositionem exarauimus, quod eam ipse Vigo summis laudibus efferat dicēs,
„ Et audeo dicere quod huiusmodi
„ puluis inter medicamina corroden-
„ tia carnem malam, meretur ferre co
„ ronā. Et propterea dico quod est se-
„ cretum secretorum corrodentiū me
„ dicamētorum, cum quo in tempesta-
„ te nostra multas lucratus sum pecu-
„ nias, & honores non paruos conse-
„ cutus: mundificat enim vnamquāq;
„ vlcerationem virulentam, malignā
„ & corrosiuam in vlceribus, materiā
„ subtilem incrassando, & ad bonam
„ digestionem perducendo: Et propter
„ rea sua indolorosa mundificatione;


vnum-

vnumquodq; ferè vlcus ad incarna- „
tionem, & cicatrizationem festinam „
præparat. Similiter libro de Aposte „
matibus cap. 20. de cura carbunculi,
eiusdem pulueris meminit, ad pesté
remouendam sic scribens, Item ad „
eandem intentionem valet summo- „
pere sumere grana tria pulueris no- „
stri loti cum aqua rosarũ mixta cum „
semuncia sacchari rosati. & fiát boli „
tres cum saccharo albo. nam iste pul „
uis prouocat interdum sudorem, ali „
quando vomitum, sæpissimè secessũ „
cum eductione materiarum peccan- „
tium, & iste puluis vocatur Præcipi- Præcipitatũ
tatus. Nicolaus Massa lib. 5. de mor
bo Neapolitano cap. 5. eiusdem me- Puluis angelicus.
minit sub nomine Angelici pulueris,
cùm ait, Et quamuis Ioannes de Vi-
go vir doctissimus, ipsum puluerem „
doceat cõponere sub nomine pulue- „
ris rubei, nihil ei debeo in hoc, quo- „
niam antequam ipse scriberet, ego „

" ipsum componebam, & habui à quo-
" dã viro alchymista sene, qui erat mi-
" rabilis experimẽtator. Marianus Sã-
ctus in compendio chirurgię, docet
eiusdem pulueris pręparationem, &
aquæ destillationem: cuius bonitatis
signum est (vt ille ait) quod quando
de ipsa parum in humum ceciderit,
statim ipsam ebullire videbitis.

Aquę fortis bonitas in quo dignoscatur.

Forma vero totius vasis talis est.



A. est luto illineñda, quæ Vigoni dicitur Botia. Punctus nominatur capellum, B. recipiens.

Hoc loco non possum non mirari quid tandem Medicamentarij cogitent, cùm magis ad quęstum impudenter ægris illudant quàm prudenter consulant, nihil curãtes de hominum salute, modo ipsi quod volunt consequantur. Hæc dixi quòd hactenus non viderim tam

magni-

magnificum Aromatarium, qui hũc puluerem per sublimationem iuxta autoris institutum facere velint, sed (vt dicunt) per resolutionem. Vnde fit vt nec vere Ioannis puluis dici me reatur, nec opus suum in dolorose cõpleat, vsq; adeo vt multi, vel eius aspectum formident.

Puluis Restrictiuus.

R. *Mastiches. Thuris. Myrrhæ. Sã guinis drachonis, an. drach. ij. Rosarum. Corticum granatorum. Myrtillorum. Balaustiorum. Nucũ cupreßi, an. drachmas iiij.*
Lapidis hæmatites. Boliarmenici, an. vnciam j.
Bistortæ, unciam j. semissem.
Fiat omnium puluis, uulgo dicitur de toda bizma.

Puluis contra casum Guidonis Cauliaci.

R. *Boliarmenici, Mumiæ. Terræ sigillatæ, an. unciam j.*

Fiat puluis de quo drachma j. cum aqua plantaginis quolibet mane vsque ad quinque vel sex dies administretur.

FRAGOSVS.

HVius meminit Cauliacus tractatu. 6. cap. 5. de casu & offensione, Mesuæus tamen aliter describit cap. de rhabarbaro dicens. sistere hæmorragiam pulmonis vel aliarum partium, ex casu quoq; aut ictu contusa, rupta fracta, interna & externa sanare, si eius drachma vna cum mumiæ granis duobus, & rubiæ tin-

ctorum

ctorum grano j. & dimidio, & vino austero bibatur.

LAVS DEO.

FATEOR equidem lector optimè huic operi de compositorum medicamentorun animaduersionibus, iustam curam defuisse. Siquidem olim rudem materiam in futurum opus congesseramus, ad quam expoliendam plurimis vigilijs videbam opus fore. itaque non admodum erat in animo edere. Sed cum intellexissem quosdam his commentarijs insidiari, parumque abfuisse quin eos transcriberēt,

coactus sum vtcumq; emenda-
tos in lucem emittere.
Nam id malum vi-
sum est le-
uius.



INDEX SIMPLICIVM

medicamẽtorum ſucce-
danea in pręſenti opere
recipientium.



A

c 5 Ar-

He-

Rham

T

V

X

Z

INDEX LOCVPLETISSImus vocum & rerum inſigniorum quę in hoc tractatu de Succedaneis medicamentis cōtinentur Alphabetico ordine digeſtus.



A

f Adian-

INDEX.

Ameos.

INDEX.

Co-

Fasu-

Na-

Pæo-

P

Pim-

Scor-

INDEX ANTIDOTARII SIue de componendorum, miſcendorumq́; medicamentorũ exacta ratione.

De Electuarijs.

De Pilulis.

Pi-

De Syrupis.

De Loch.

Loch.

Vng.

De Emplastris.

De Aquis.

De Conditis.

De Pulueribus.

Laus Deo.